

1
7
324







XV
SINIBALDI
1640

N.7

HIPPOCRATIS ANTIPHONA

IO. BENEDICTO
SINIBALDO
AVCTORE.

HIPPOCRATIS COI
MEDICORVM PRINCIPIS
ΑΝΤΙΦΗΩΝΩΝ.
LIBRI QVINQVE.

In quibus celebriores, & à nemine consultò adhuc enarratæ, eiusdem contradictiones hinc, illinc exantlatæ referuntur, expenduntur, conciliantur.

OPVS NIMIRVM

Hippocraticæ doctrinæ studiosis apprimè necessarium.

AVCTORE
IO. BENEDICTO SINIBALDO
In Vrbis Archilyceo Medicinæ Practicæ Professore ordinario, ac totius Ecclesiasticæ Ditionis anno Iubilei
PROTOMEDICO GENERALI.

AD EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPEM

FEDERICVM

S. R. E. CARD. SFORTIAM.



ROMÆ, Typis Ludouici Grignani. M. DC. L.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

FEDERICO
S. R. E. CARD. SFORTIAE
EPISCOPO ARIMINENSI.

Ioannes Benedictus Sinibaldus perpetuæ fælicitatis omen.

QVærant alij, *Eminentissime Princeps*, cui possint, ac debeant suas lucubrationes auspicatò dicare: mihi enim quærendum potius, quid operis elaborati clarissimo tuo nomine non indignũ edere, & offerre valeam. Eloquar clariùs. Desunt nõnullis Mœcenates, quibus ingenij sui fœturas meritò nuncupent; mihi tutelaris instar Numinis, nedum Mœcenatis cùm tu sis, FEDERICE amplissime, dolendum potius, meorum studiorum valde exilem existere messem, frugesque non bene saturatas, fortè etiam haud examussim trituratas, cribratasque, ideòque adoreum fieri minùs dignum, minùsue iucundum: *Sed farre litant, qui mola nequeunt*; nec datur cunctis hecatombe sacrificare Dijs. At verò non minus est heroicæ magnanimitatis argumentum, alios amplissimis ditare muneribus, quàm à paupere manu leuia munuscula hilari fronte excipere; tametsi nec inops censenda vnquam erit manus, si comes fiat ingens, ac locuples animus, quem herclè nullis finibus in me coarctatum, sed in obsequio, & amore erga te interminum existimes, velim. Porrò cur mea, quæcunque sint, opuscula, *Princeps generosissime*, tibi debeantur vni, Vrbi, & Orbi sat notum, perspectumque esse, reor. Nam quot, quantisque inprimis beneficijs me deuinxeris, at-

que in posterum maioribus deuincturum pollicearis, vix lingua exprimere, vix calamus exarare valeat: quanti me feceris, vix alius credat: quibus honoribus me cumulaueris, ignorat nemo. Nempe non modò me in tuæ salutis custodem elegisti, & cùm Procamerarij officio fungebaris, in Archiatrorum Collegio Vicesgerentem præposuisti; sed filium insuper natu maiorem immaturæ adhuc ætatis à secretis aduocasti. Cęterùm cùm iamdiu cogitarem nomini meo haud prorsus in Vrbe obscuro splendorem adijcere, id vix aliunde, quàm à fulgentissimo gloriæ tuæ iubare consequi posse, arbitratus sum: quem enim latent, *præstantissime Princeps* (vt omittam stemmata gentilitia, atque Auorum præclara facinora toto Orbe cõspicua) quæ tua sunt, ingenium, prudentia, animi fortitudo, in læta fortuna modestia, in tristi constantia, fides, ingenuitas, ac munificentia, quibus cęteræ omnes heroicæ virtutes stabili iunguntur fœdere, ac perpetuo nupserunt vinculo, vt pleno testantur ore, totisque venerantur animis Auenionenses Populi, apud quos ante purpuram tot annos Vicelegatum egisti? Quæ rursus pietas, qualis integritas, morumque suauitas in te vigeant, experiuntur in dies non sine beneficiorũ cumulo Ciues Ariminenses, quibus Episcopus diuina prouidentia datus fuisti. Quanta denique vel apud Reges æstimatio tui sit, Hispaniarum Monarcha nuper aperuit, dum te vnum in Siciliæ Archimandritam elegit, coronæ, ac Regno nouum sidus adijciens. Patiaris itaque, vt Hippocratis Antiphona meis laboribus expensa, & conciliata nomini inscribantur tuo, vt inde plus auctoritatis liber obtineat, minus audacię critici asciscát, imò deterreátur SFORTIÆ nomine omnes, qui superciliosè aliena opera intuentur. Interim perenni, ac supplici voto Cęlites rogo, vt te diu sospitent mihi, Romæ, Amicis omnibus. Vale.

LECTORI CANDIDO.

PHILOMVSO POTIVS, QVAM PHILOMISO.

EN iterum, Philiater, in Apollinis, & Aesculapij theatrum prodeo, longè tamen aliam acturus personam, serius interlocuturus, frontemque grauiorem explicaturus; nec mirari contingat; quippe ut Seneca in Thebaide:

. . . . propria describit Deus
Officia, & æuum suos ducit gradus:
Lætitia iuuenem, frons decet tristis senem.

Olim Geneanthropologum agens omnium aures blando poppysmate deliniui: genios aphrodisia mulcedine satis oblectaui: doctrina promiscua eruditorum animos affatim paui: ideòque plauserunt cuncti. At hodie quam scenam agerem, quodue argumentum reuoluerem, diu cespitauit animus, qui tamen gliscebat aliquatenus eundem soccum induere, primæuamque referre personam, atque adeò Geneanthropeiæ alteram partem, quā impatienter expectari sciebam, in publicam lucem retexere, ac promulgare. Atqui tamen alia ex parte rationi valde consonum videbatur, vt qui semper Hippocratem in Vrbis Athenæo, & Academijs professus eram, aliquid Hippocratica maiestate dignum in Aesculapidum Choro proluderem. Verum enimuerò dum incerto hæc animo reuoluebā, fortè in Hippocratis illam sententiam ex libro de alimento incidi: Consonans dissonans est: Dissonans consonans est. *Inde Musici personam asciscere,*

imò & cantus Magistri partes agere, qui dissonas voces ad concentum reducit, mecum ipso decreui. Hem quid metaphoris vtor, & enigmaticè loquor? Hippocratis antilogias, siue discordes quæ videntur, sententias intonare, & ad synauliam reducere curæ pretium existimaui. Animum tamen, fatear, deterruit non parum prouincia laboriosa: quandoquidem necessarium futurum fore, illico mente concepi, ipsius Hippocratis vniuersos libros consultò, & φιληκόως perlustrare: singula dogmata foecundo memoriæ penu committere: sententias examussim expendere: textus dissonos inter se conferre: varias translationes, aut παραφράσεις obseruare; & ex tenebris tandem veritatis lucem exantlare, ipsam Præceptoris mentem assequi, eundemque mox ab omni contradictionis crimine vindicare. Laborem nihilominus lubens iniui, arduamque prouinciam suscepi alacer, ratus, fore vt vbique gentium resonatura esset Hippocratis Antiphωna, omniumque auribus, & animis vocum dissonantium symphωnia iucunda, & plausibilis futura foret. Sed me hercle vereor, ne scopum, vt spes erat, attigerim; siquidem publicis lectionibus, ægrotantium iugibus curis, animique diuturnis quibusdam, acribusque perturbationibus distractus, & præsentis muneris in primis arduis, innumerisque implexus negocijs, ijs maximè, quæ ex tota S.R.E. ditione Generali Protomedico hoc præsertim anno incumbunt, vix vnquam horulæ spatium nancisci licuit, quo non dicam expolire, aut exornare primam, rudemque calami foeturam potuerim; sed vix eruderare, inque ordinem aliquem redigere, atque ex orco ad lucem eruere fas fuerit. Quamobrem sublimia numina testor, quòd liber hic prodit mea non parum reclamante minerua, vt quæ subtiliorem limam adhibere, atque rubiginem omnem exterere nequierit. Id verò animum solatur meum, quòd nimirum si beneuolus, aut saltem non φιλόψογος, ἢ φιλόμωμος lector erit, Hippocratis hæc antiphωna, vt simpliciter inuenta, nedum vt pura, solidaque doctrina referta æqui, bonique consulet: Sin minùs, ringet, obtrectabit, obstringillabit, licet vn-

dique

dique læuigata, atque numeris omnibus absoluta, & exornata prodirent. Cæterùm id mihi ad calcem summè dolendum est, quòd vbi typographi errores in toto opere nec multi, nec intolerabiles erant, iniqui, scelestique chalcographi plures, & enormes existunt, dum dictiones plurimæ litteris suis defraudantur, quas tamen oculus, & iudicium supplere debet. Vale.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sacr. Pal. Apost.

A. Riualdus Vicesg.

REuerendissimi Patris Sacr. Apost. Pal. Magistri mandatis obsecutus, librum hunc, cuius inscriptio est HIPPOCRATIS ANTIPHΩNA, Auctore D. Ioanne Benedicto Sinibaldo Protomedico Generali, ac viro vndequaque doctissimo perlegi, & examinaui, multumq; in eo doctrinæ, qua plurimum prodesse, nihil impietatis, qua vel quoad fidem, vel quoad mores Lectoribus obesse possit, reperi. Ita testor.

Paulus Zacchias Medicus.

Imprimatur.

Fr. Raimundus Capizucchus Soc. Sacr. Pal. Apostol. Magist. Ord. Prædic.

ANACEPHALEOSIS ANTIPHΩNIARVM,

Quæ in ſingulis Libris continentur.

IN LIBRO PRIMO.

IN LIBRO II.

Re-

IV. Renum dolor grauis sit, an acutus.
V. Caluitium fiat ne à pituita, an à bile.
VI. Epilepsia à quanam causa excitetur.
VII. Ad lapidis generationem in vesica quænam ætas aptior sit.
VIII. Febres ardentes æstate, an hyeme fiant magis.
IX. Quartana à quo producatur humore.
X. Senes, an Iuuenes ægrotent magis.
XI. Epidemicorum, & Sporadicorum morborum quæ sit causa.
XII. Capitis vulnera hyeme, an æstate sint deteriora.
XIII. Conuulsioni febris, an febri conuulsio superueniens salutaris.
XIV. Pleuritidi superueniens peripneumonia melior, an deterior.
XV. Pleuritidi superueniens alui fluxio an utilis.
XVI. Sputum tenue, an crassum in peripneumonia reddatur.
XVII. Qui acidum eructant, an pectoris morbis fiat obnoxij.
XVIII. In hypochondriorum dolore an febris superueniens bona.
XIX. Icterus ante septimam diem an semper perniciosus.
XX. In hydrope an cõducat, vẽtrẽ aqua impleri.
XXI. Nigræ deiectiones bonæ, an malæ sint.
XXII. Lienosis dysenteria an salutaris.
XXIII. Excrementorum mutationes in dysenterijs

an

IN LIBRO III.

IN

Vi-

IN LIBRO V.

Vlce-

HIPPOCRATIS COI

MEDICORVM PRINCIPIS

ANTIPHΩΝΩΝ.

LIBER PRIMVS.

Qui continet ea, quæ ad res secundum naturam spectant.

PROCATASCEVE.

QVAE referuntur ex Hippocrate, & expenduntur hìc seriò antilogiæ, Lector Philiatre, quamuis nulla serie apud ipsum inueniantur, sed hìc illic sparsim lectitentur multigena continentes dogmata: operæpretium tamen me facturum existimaui, si easdem sub vexillum aliquod redigerem, atque ordine quopiam dirigerem. Quamobrem ea prorsus vti libuit methodo, quæ apud rei medicæ Neotericos auctores vsurpari consueuit; vt nimirum primò res quæ κατὰ φύσιν, mox verò, quæ παρὰ φύσιν sunt, recenseantur, enarrentur; siquidem vt est omnis habitus prior priuatione, ita salubris constitutio insalubri natura præit. In hoc itaque primo libro Antiphωna, quæ ad Physiologiã, in secundo, quæ ad Pathologiã, eiusq. sodales inseparabiles Aethiologicin, atque Symeoticin, in tertio, quæ ad Therapeuticin; in quarto, quæ ad res non naturales pertinent, enucleabo; in quinto demum miscellanea quædam com-

plectar, eritque omnibus numeris absolutum Hippocratearum contradictionum pentateuchon. Enimuerò vt in cultis, & elaboratis hortulis iucundius offerunt spectaculum topiaria, ac frutices in certum, atque elegantem ordinem digesti, quàm agrestes in montanis arbores nulla serie, ac venustate distinctæ; ita hasce meas, aut Hippocratis potius dissonas, & non gregales sententias gratius lectum iri arbitratus sum, si certa quapiam disponerentur serie, & ad ἴπαυλιν, siue dicas cohortem redigerentur aliquam. Hæc interim summi Vatis antiphωna, imò vnius oracula Pythiæ, vtcumque meo de tripode reddantur, boni consulas Lector candide; optarem tamen, vt qui lecturus es, Asclepiadis mysta, & Hippocraticæ doctrinæ benè consultus fores: nam sentio cum Diuo Hieronymo in Epistolis, fælices fore artes, si de illis soli artifices iudicarent. Sed in arenam iam.

ANTIPHΩNIA PRIMA.

De numero dierum, quibus fœtus intrà vterum plasmatur.

THESIS.

CONcepto in vtero parentum semine, quot dierum spatio embryo distinguatur, atque membris conformetur, libro de alimento magnus Hippocrates tanquam sub enigmate his verbis expressit. *Ad figurationem Soles triginta quinque, ad motum septuaginta, ad perfectionem ducenti, & decem: alij tradunt. Ad formam quadraginta quinque, ad motum septuaginta sex, ad exitum ducenti, & decem: alij sic. Ad formam quinquaginta, ad primum saltum centum, ad perfectionem tercenti. Alij sic. Ad discriminationem quadraginta, ad transitum octuaginta, ad elapsum ducenti, & quadraginta:* Et est id prorsus, quod secundo Epidemiorum sect. III. dixerat: *Labores in circuitibus, quicquid in septuaginta mouetur, triplicato perficitur.* Quam eamdem sententiam VI. Epidemiorum sect. VIII. repetitis verbis confirmat. Quin etiã primo de diæta numero XXI. rem luculentius definit, vbi sic: *Non autem in æquali temporis spatio omnes fœtus exornantur, sed alij citius, alij tardius,*

dius, prout singuli & ignem, & alimentum fuerint nacti; aliqui itaque in quadraginta, & tribus diebus scaturiunt, ac formantur, aliqui in quatuor mensibus. Adhuc libro de natura pueri numero XIV. legitur: *Nam, & secundum rationem, & necessitatem articulatio contingit, in fæmella in diebus quadraginta duobus, in masculo in triginta.* Aristoteles tamen VII. de historia animalium quadraginta tantum dies in fæmellis determinat. Rursus Asclepias noster eodem ipso de natura pueri num. XIII. naturæ id opificium cõprobat coniecturam ducens à dierum paritate articulationis, atque purgationis à partu: ipsum audiamus. *Hæc propterea produxi, vt ostenderem, quòd in pueris membrorum discretio longissima contingit, in fæmella in quadraginta duobus diebus, in masculo in triginta; argumento est purgatio à partu, quæ in fæmella fit in quadraginta duobus diebus, in masculo in triginta vt tardissimè contingit.* Et hæc eadem numero X. eiusdem libri ijsdem penè verbis scripserat; nec mirum si eundem sermonem repetat, quoniam, vt ipsemet ait, id facit maioris lucis, & declarationis gratia. Quid moror? libro quoque de septimestri partu numero VIII. cùm dixisset, quod quadragenarij primùm in fœtibus iudicant, hæc subdit. *Hoc autem tempore præterito fœtus fortiores sunt, & ipsorum corporis per singula membra discretio fit.*

Ex his modo Hippocraticis oraculis nonnulli quadraginta dierum terminum conformationi definiunt, videlicet sex dies spumificationi, vt loquuntur, quatuor lineationi, octo lineationis repletioni, quatuor, & decem carnificationi, decem, ac tres denique efformationi. At alij sex dies spumificationi concedunt, duos lineationi, quatuor lineationis repletioni, nouem carnificationi, totidemque efformationi: vnde carmen.

Sex in lacte dies, tot sunt in sanguine terni,
Bis seni carnem, ter seni membra figurant.

Cæterùm Hippocratis hæc doctrina à priori probari nequit, sed à posteriori satis; quandoquidem abortus, qui ante hos dies accidunt, nullam penè configurationem præseferunt, sed veluti rudes, & informes materiæ effunduntur; vnde Hippocrates libro de septimestri partu, & post eum Aristoteles libro de historia animalium alibi relato hos non abortus, sed effluxus appellari debere, monent; quod libro de natura pueri experimento confirmat Magister inquiens. *Multæ autem mulieres puerum masculum iam perdiderunt paulò ante trigesimum diem, & inarticulatus apparuit; qui verò posterius perditi sunt, aut simul cum trigesimo die omnes articulati apparuerunt.* Quamobrem embryones huiusmodi ante quadrage-

ſimam, vel ſaltem trigeſimam quintam diem cùm aptis careant lineamentis, & organis, omnique deſtituantur figura, animam, quæ eſt corporis organici actus, neutiquam recipiunt, atque adeò nec dum vitam habere propriam dici poſſunt. Et ſanè huc pertinere videtur illud Moyſis in Exodo cap. XXI. *Si autem pugnauerint duo viri, & percuſſerint mulierem in ventre habentem, & egreſſus fuerit infans eius non figuratus, damno damnatus erit ſecundum quod impoſuerit Vir mulieris, & dabit cum poſtulatione, ſi autem figuratus fuerit, dabit animam pro anima.* Quòd autem iſthæc figuratio ſtatuto ſuperius tempore contingat, colligitur ex eiuſdem veteris teſtamenti lege, qua mulieres, quæ maſculum edidiſſent quadraginta diebus, quæ fæminam octuaginta arcebantur à templo, quaſi ad imitationem dierum, quibus intra vterum mas, aut fæmella effingitur, atque anima informatur.

ANTITHESIS.

AT verò libro de carnibus, ſiue de principijs (aptiori apographo) numero XX. e diametro oppoſita ſententia regiſtratur; dicitur enim ſic. *Porrò vita hominis ſeptem dierum eſt, primum etenim, poſtquam genitura in vteros peruenit, in ſeptem diebus habent, quæcunque corpus habere debet.* Subſcripſit Ariſtoteles VII. de hiſtoria animaliũ cap. III. vbi hæc: *Si ſemen in ſeptimum diem intus permanſerit, conceptum eſſe iam certum eſt.* Marcus etiam Varro, vt Gellius III. noctium Atticarum cap. X. refert, aiebat. *Cum in vterum mulieris genitale ſemen datum à primis ſeptem diebus conglobatur, coagulaturque, fitque ad capiendam formam idoneum.* Ita etiam Plinius X. natural. hiſt. cap. LXIII. *Et mulier ſeptima die concipere facillimè creditur.*

Hanc theſim probare ſtudet Hippocrates certiſſimo experimento, quo palàm fit, carunculas, quæ facto intra hoc ſpatium abortu, reiectantur, ſi in aqua diſſoluantur, omnium membrorum delineationem referre. Ipſum loquentem Pythiam auſcultemus. *Mirari autem quis poſſit, quomodo id ſciam, verùm multa ego vidi hoc modo. Meretrices publicæ, quæ ſæpius de ſe ipſis periculum fecerunt, vbi cum Viris rem habuerint, ſciunt, quando in ventre concipiant, & poſtea conceptum intra ſe perdunt: Poſtquam autem iam perditus eſt, elabitur veluti caruncula. Hanc carunculam in aquam coniectam ſi conſpicatus conſideraueris, omnia membra habere reperies, & oculorum regiones, & aures, & manus, & manuum digitos, & crura, & pedes, & pe-*

& pedum digitos, & pudendum, & reliquum totum corpus manifestum.

Sententiæ veritatem plurimis indicijs firmare contendit Hippocrates, quem propterea mirari subit, quando is natura potius βραχύλογος aphorismos, ac dictamina sua multis astruere, ac suadere non solet, verùm tanquam firmissima dogmata breuiloquio proponit: vt ideò arbitrari fas sit, eum consultò ita hic agere, vt nimirum sicuique fortè apologos, credituue difficilis isthæc assertio videretur, vt plerisque futuram fore præsagiebat animo, coniecturis, & propositis experimentis insinuaretur.

Eodem igitur libro de principijs paulò infra duo alia iacit conclusionis fundamenta, quorum primum est. *Quod verò vita hominis septem dierum sit, etiam hoc manifestum redditur. Si quis in septē diebus nihil edere, aut bibere velit, plerique quidem in ipsis moriuntur; sunt autem, qui ipsos transmittunt, & tamen moriuntur.* Et hanc ob causam existimare fas est, Deum Optimū Maximum Danieli intra leonum lacum diuersanti sexta die cibum misisse, ne si septimam attigisset, fame contabuisset; nam, vt Vallesius sapientissimè animaduertit, Deus quoque vel in ijs, quæ miraculosè agit, naturæ quamdam seruat rationem, ne multiplicentur sine necessitate miracula. Cæterum Publius Sextius Baculus, teste Cæsare lib. VI. de bello Gallico, æger in præsidio relictus ad sextum vsque diem sine cibo vixit: quin etiam Philo Iudæus libro de vita contemplatiua scribit, Patres illos primæuos in Eremis, qui extremis ieiunijs se ipsos macerabāt, ad sextum tantum diem ieiunium produxisse, vltra quem terminum nunquam processisse, gnaros non potuisse vltra vitam seruari. Altera sententiæ hypothesis ita apud eundem Hippocratem edicitur. *Sed & ex hoc coniectare licet, hominis vitam septem dierum esse: Puer septimestri partu natus pro ratione natus est, & viuit, & rationem talis habet, & numerum ad hebdomadas, ac septenarium exactum: Octimestris autem natus nullus vnquam vixit: nouem verò mensium, & decem dierum partus fit, & viuit, & habet ad hebdomadas numerum exactum; quatuor enim denarij hebdomadum dies sunt ducenti, & octoginta. In denarium autem hebdomadum septuaginta dies incurrunt. Habet autem, & septimestris partus tres denarios, siue decadas hebdomadum, & in vnaquaque decade septuaginta dies: tres verò hebdomadum decades ex toto sunt dies ducenti, ac decem.*

Sed postpositis his, quæ Pythagoricis numeris consonare videntur, adducatur in medium ex eodem Hippocrate historia psaltriæ illius mulieris, quæ cùm vtero concepisset nequam, & eiusdem

consilio septies exilijsset, effluxit genitura sex dierum; cuiusmodi autem esset, & quam formam sub id temporis recepisset; ita libro illo de natura pueri litteris exaratur. *Qualis autem erat, ego referam: veluti si quis ouo crudo externam testam circumcirca adimat, in interna verò pellicula inclusus liquor pellucescat: modus quidem talis erat, & vt abundè dicam, ruber erat liquor, & rotundus; in pellicula verò fibræ quædam albæ, & crassæ inesse videbantur cum cruore crasso, & rubro obuolutæ: circum autem pelliculam foris cruenta vestigia instar sugillatorum: iuxtà medium verò tenue quid eminebat, quod mihi vmbilicus esse videbatur, & per illum sanè spirationem extrà, ac intrò primum facere apparebat: quin & pellicula genituram ambiens, & complectens tota ex illo tendebatur.* Iam si sex dierum genitura tam euidens formationis ἐπίδειγμα, seu rudimentum susceperat, existimare licet, quòd in septima die, cui magna vis in rebus omnibus inest, cuncta in embryone membra delineentur, atque partes omnes certo ordine, situ, ac magnitudine conspicuò definiantur, ideoque bene decernatur à magno sene, vitam nostram septem dierũ esse. Quòd autem septima dies ad exprimendum, delineandumque fœtum plus valeat, quàm sex præcedentes dies, id mirum videri nemini debet, cùm in iudicandis morbis præcipuos illos dies, quos criticos vocant, valere, & minimè alios, certo experimento didicerimus: quò fortè collimauit Præceptor, cùm libello de septimestri partu dicebat: *Verùm enimuerò Embryonum conceptio, & abortus, & partus mulieribus in eo tempore iudicantur, in quo & cunctis hominibus morbus, sanitas, & mors.*

SYNCATATHESIS.

TAm patens antithethon sic reddetur symphωnon. Libro illo de alimẽto de Embryonis integra articulatione, ac perfecta discriminatione Præceptor loquitur. At in opusculo de principijs non de fœtus formatione, sed de seminis conceptione, quæ septem dierum spatio ad summũ fieri solet, verba facit: Quippe, vt septimo de hist. animal. cap. III. Philosophus habet: *Si semen in septimum diem intus permanserit, conceptum iam esse certum est.* Qua ratione Hippocrates libello de septimestri partu asserebat, *abortus plurimos intra dies septem fieri:* quare si intra hoc spatium semen haud effluat, vita incipit illius fœtus, atque adeò bene astruitur, vitam hominis septem dierum esse. Enimuerò non statim, atque effusum est intra vterum semen, fit conceptio; aliud est enim se-

men comprehensum, aliud conceptum esse; ad conceptionem requiritur vtriusque geniture perfecta mixtio, & in vnum locum vnio, atque virtutum excitatio ab vteri facultate, quod sanè non potest momento contingere, sed ad septimum vsque diem, quoad summum extendi potest huiusmodi operatio, alioquin seminis effluxio contingere debeat. Porrò seminis à viri coitu temporaneam conceptionem probant nonnulli efficaci sacræ Paginæ auctoritate; primo namque Regum cap. primo refertur, Annam ab Elcana Viro suo cognitam post aliquot dies concepisse. Verba sunt: *Cognouit autem Elcana vxorem suam, & recordatus est eius Dominus, & factum est, post circulum dierum concepit Anna, & peperit filium*. Et in hanc sententiam conueniunt Vatablus, Abulensis, & Pagninus; & ex his egregiè Federicus Bonauentura libro IX. de octimestri partu cap. 21. censuit (paradoxon alicui videri poterit) conceptionem vel etiam post Viri mortem fieri posse, si nimirum ille paulò post moriatur, aut interimatur. Vide Alphonsum à Caranza lib. de partu cap. primo de conceptione, vbi ad hæc plura.

Quantū verò differat prima καταγραφή, siue delineatio à completa formatione, pictorum exemplo apposite ostendam. Etenim cùm venustam imaginem pictor eximius efformare cupit, ante omnia in tela, creta, oleoque congruè obducta rudi penicillo, absque vllo tamen colore, membra omnia susque, deque designat, eorumque magnitudinem, proportionem, atque debitam distantiam solis lineis; iisque subobscuris effingit; mox vnicuique parti formam suam, decus, atque figuram exhibet, vt iam apparere incipiat Idòlum numeris omnibus distinctum, & elaboratum: Indè aptiori peniculo viuis coloribus idem imbuit, luminibus ornat, aut vmbris opacat, ac demum, quam potest maximam venustatem, ac decorem appingit. Ita prorsus sedula pictrix Natura septem primis diebus in concepto semine corporis vniuersa delineat stamina, disponitque ex ordine situm, distantiā, numerum, ac proportionem, sed obscurè valdè, ac rudi opera, vt non nisi lynceo oculo, & accurata speculatione percipi queant. A septima verò die vsque ad trigesimam, vel quadragesimam delineatas antea partes elaborat, conformat, mangonizat, atque omnibus oculis distinctas offert: toto demum reliquo tempore vsque ad decimum mensem perficit, implet, ornat, vt in lucis theatrum honestè prodire valeat. Quòd si dicas in septem dierum abortu, tametsi accuratè intrà aquam, vt facit Hippocrates, conspicemur, nullum tamen articulationis apparere vestigium; respondeam, Hippocratem obseruasse

abortus illos à meretricibus arte paratos, vt primum expleti fuerant, quomodo seruantur adhuc primæua articulationis rudimenta; at quos nos videmus abortus, cùm prius intra vterum remorentur diu, ibidem præ vligine nimio affluente sanguine, corrumpuntur, vnde perit membrorum delineatio, obruiturque naturæ inchoatum plasma. Bene quidem, inquies, at qua ratione dicitur Hippocrati: *Vita hominis septem dierum est?* Intra breue hoc spatium hominis vitam non viuit embryo, neque tam informes particulæ, tamque ruditer delineata organa animam intellectiuam sunt excipere apta; illa enim est verè organici corporis actus; at nequit adhuc informe illud corpusculum organicum dici. Tantæ difficultati satisfaciam, si dixerim, animam esse quidem organici corporis actum, at necessarium non esse, vt isthæc organa sint perfectè elaborata, atque vndequaque absoluta; quandoquidem ipsa superueniens anima deinde perficit, & adamussim absoluit: quinimò ad vegetatiuam præsertim animam excipiendam pauciora, ac penè informia organa sufficiunt, cuiusmodi sunt in plantis breues, ac simplices radicum pediculi, & in plerisque etiam insectis, maximèq. in vermiculis nullus, aut saltem exiguus organorum apparatus exigitur ad animæ hospitium. Cæterùm vita eo loci apud Hippocratem non est sumenda in actu secundo, sed in actu primo; vita in actu secundo est ipsa animæ operatio; in actu primo est sola præsentia animæ in corpore, & hæc vita, non autem prima septem dierum termino in fœtu recipitur. Porrò licet semen ex meliorum sententia verè animatum non sit, animam tamen saltem vegetatiuam recipere aut statim, aut non multò post, quam in vtero concipiatur, vtique rationi consonat; quippe prima illa membranæ productio, atque etiam nutritio, & magis illa rudis membrorum delineatio, opus est formatricis Virtutis, quæ, nisi Cholcodeæ Auicennæ astipulemur, ab anima, aut ab eius virtute non separatur. Et hinc fortè censendi ansa nonnullis allata fuit, conceptionem statim ab excepto semine fieri, quia statim naturæ opera circa id explendescere incipiunt. Huius sententiæ fuit Ferdinandus in Comment. septimi libri de septimestri partu: sed Macrobius conceptionis spatium post effusum in vterum semen ad septem horas extendit lib. primo in somn. Scipion. cap. VI. vbi hæc: *Hoc tamen prætereundum non est, quia semen, quod post iactum sui intra horas septem non fuerit in effusionem relapsum, fuisse in vitam pronunciatur. Verùm semine semel intra formandi hominis metam locato, hæc primum Artifex naturæ molitur, vt die septimo folliculi*

geni-

genitiuum circundet humori ex membrana tam tenui, &c. Vide reliqua in ipſo, & apud Alphonſum à Caranza cap. 1. de conceptione.

Sciſcitaberis, quæ nam vita in conceptu ſeptẽ dierum ſpatio recipiatur, vegetatiua, an ſenſitiua, an rationalis? namque ex Diui Thomæ opinione prima parte quæſtione 118. art. 2. ad ſecundum, atque etiam ſolidiori Philoſophia certum eſt, fœtus materiam informari prius anima plantæ, cui pereunti bruta ſuccedit, & huic ſimiliter intellectiua ſufficitur. Arbitror ex Hippocratis dictato concepto ſemini ſeptem ipſo dierum ſpatio triplicem hanc animã ſuperuenire, ſi enim vita hominis non vegetatrix, ac ſenſitiua eſt, verum logiſtica, ſequitur, quod ſi vita hominis eſt ſeptem dierũ, in ſeptem his diebus anima intellectiua recipi debeat, ſiquidem ante huius acceſſum vita fœtus non eſt hominis, ſed bruti, vel ſtirpis, quod ſecundo de generatione animalium cap. III. affirmauit his verbis Ariſtoteles. *Conceptum inanimatum eſſe nemo ſtatuerit, & vita omnibus modis priuatum; quippe cum nihilò minus ſemina, & conceptus animalium viuant, quàm ſtirpes, & aliquando prolifica ſint; ergo animam vegetantem habere planum eſt: ſed quam ob cauſam eam primum habere neceſſe ſit, ex ijs, quæ alibi de anima diſſeruimus, apertum eſt: ſentientem etiam, qua eſt animal tempore procedente recipi, & rationalem, qua homo certum eſt; non enim ſimul & animal fit, & homo; quare in ſeptem diebus embryo erit planta, animal, & homo.* Mecum ſentit doctiſſimus Martianus Hippocratis æquus interpres; in huius enim ſententiæ, quam examinamus, commentario ſtatuit, humanum fœtum intrà vterum ſeptima die rationali anima informari, atque adeo hominem eſſe. Et quamuis legum Interpretes rationalis vitæ infuſionis terminum producant, dum ſexaginta in fæmellis dies, in maſculis verò quadraginta determinant, id factum eſſe iccircò Martianus ait, quoniam illi vnum conſuluerunt Ariſtotelem VII. de hiſt. animal. cum nondum ex Græco idiomate in Latinum Hippocrates conuerſus extitiſſet, qui mox tempore Clementis VII. opera Fabij Calui Rauennatis primum in Latio lumen habuit, quare ſi eſſet iterum à Nomophilacibus idcirca decernendum, Hippocrate conſulto ſecus ſanciretur.

Neque fortè arguat aliquis, fieri nequaquam poſſe, vt fœtus ſeptem dierum interuallo euadat homo eo, quia rationalis anima præcipuè, vt reliquarum perfectiſſima, omnia exigat in corpuſcul. efformata organa; hæc autem in ſeptem diebus vniuerſim haud producantur, ſed communi ferè Philoſophorum, ac Medicorum

arbi-

arbitrio vna pars prius altera, hoc parenchima altero prius pro dignitatis ratione, & vsus necessitate efformentur. Namque id longè à vero distat; quandoquidem partes, & viscera omnia simul, & semel delineantur, efformanturque in fœtu; quod Hippocratis oraculum primo de Dięta his verbis decantauit. *Delineantur partes simul omnes, & augentur, nec prius aliæ alijs, nec posterius, sed maiores natura priores apparent minoribus;* quod libro etiã de locis in homine reuelauit his dictis. *Mihi quidem videtur principiũ corporis nullum esse, sed omnia similiter principium, & omnia finis.* Et est nimirũ opinio veritati contermina; quandoquidem cùm in fœtura sit eadem materia alterata, atque disposita, idemque artifex, nempe spiritus plasticus per vniuersam seminis molem diffusus, idemque finis; vtique non est, cur hæc prius quam illa pars delineetur, & conformetur, sed simul omnes plasmari decentius erit.

ANTIPHΩNIA SECVNDA.

Fœtus intra vterum an per os, an verò per vmbilicum nutriatur.

THESIS.

LIbro de carnibus, siue περὶ ἀρχῶν numero VIII. scripsit Hippocrates, fœtum intra vterum per os alimentum suscipere, indeque nutriri. Verba sunt illa: *Cæterùm puer in vtero comprimens labra ex vtero matris sugit, & tum alimentum, tum spiritum cordi intrò trahit, vbi sanè mater respirauit; est enim hoc calidissimum in puero, & hoc calidum etiam reliquo corpori, & alijs omnibus partibus motum præbet.* Sententiam non proponit solum Præceptor, verùm & probat, non obscuris vtens coniecturis, & argumentis; inquit enim: *Si verò quis interroget, quomodo hoc quis sciat, quod puer in vtero trahit, & sugit, illi sic respondendum est: Pueri nascuntur stercus in intestinis habentes, & vbi nati fuerint, celerrimè ventres tum homines, tum pecora exonerant; atqui non haberent stercus, nisi in vtero suxissent: imò neque mammam statim, vt natum est, sugere nosset, si non in vtero suxisset.* Opinionem, conceptis verbis confirmat libro de natura pueri num. XXI. vbi lactis gene-

generationem in fœta muliere descripserat; ait namque: *Et vbi peruenerit in vteros de lacte puer ipse paululum fruitur; mammæ verò suscepto lacte attolluntur*. Præterea IV. de morbis de materia loquens lumbricorum, qui in pueris aggenerantur, dum adhuc in vtero degunt, sanguinem, & lac recenset: Auscultetur ipse: *Vbi ex lacte, & sanguine putrescente, & redundante, vtpote quod dulce est, pus factum fuerit feruidum, animal isthic generatur; nascuntur autem & rotundi lumbrici isthic eodem modo*. Hippocratis contemporanei summi Philosophi Democrytus, & Epicurus subscripsere, vt Plutarchus V. de placitis Philosophorum cap. XVI. testatur; censuerunt enim, & intra vterum vbera quædam, & oscula reperiri, quibus alatur embryo. Neque longius ire ab his Galenus videtur libro, qui inscribitur: *an quod in vtero est animal sit*.

Cæterùm nostro æuo vnus Prosper Martianus de Hippocratis penu optime meritus sententiam hanc & amplectitur, & probare conatur in eius libri de principijs commentario, vbi, postquam asseruit, cæcos posse ductus reperiri, per quos ab vberibus ad vterum lac feratur, vt ignoti sunt illi, per quos ab vtero ad mammas fit sanguinis anadrome, hoc vnum adducit rei argumentum, quod cùm lac in prægnantibus ab eo tempore elaborari incipiat, quo fœtus intra maternum ergastulum mouetur, signum est euidens, quòd lacte illo fœtus inibi alitur. Verùm infrà in syncatathesi docebimus patentes, non obscuros ductus, ac riuulos aperiri à mammis ad vterum, & hinc ad illas.

ANTITHESIS.

LOngè diuersam apud ipsum Diagnostem, nec vno in loco sententiam legimus; nam in primis libro de octimestri partu hæc traduntur. *Vmbilicus, per quem & alimenti, & aeris fœtui alendo via est, & ingressus solus è reliquo corpore matri cohæret*. Adhuc libro de natura pueri num. IV. *Iuxta medium verò tenue quid eminebat, quod mihi Vmbilicus esse videbatur, & per illum sanè spirationem extrà, & intrò primum facere apparebat*. Rursus libro de alimento idem quasi enigmaticè protulit his verbis. *Antiquius alimentum per abdomen vmbilicus*. Denique tum in eodem libro de natura pueri pluribus in locis, tum alibi Hippocrates iterum sic. *Obstetrices statim, cùm exijt Infans, vmbilicum ligant, tanquam non amplius nutriendo fœtui necessarium, simulque os ipsius deducunt, vt alius alimenti sumendi vsus monstretur*.

Por-

Porrò non est, cur thesin hanc suadere contendam, quandoquidem ita omnes communiter Auctores, & absque velitatione conueniunt Neoterici non minus, quàm vetustiores, præter vnum Alcmeonem, qui Embryonem in vtero degentem per poros vniuersi corporis alimentum trahere opinabatur, quod iccircò rarũ, ac peruium valde existere ea prorsus ratione, qua Zoophyta, seu spongiæ alimentitium succum corporis omni ex parte attrahùnt, & exugunt. Verùm instar omnium rationum erit experimentum ex anatome euidentissimum: Nam in quem finem vmbilicus statim ab initio à natura producitur, nisi, vt per eum natura maternum sanguinem, spiritumque ad fœtus viscera, ac membra transmittat, vt nutriri, augeri, ac viuere valeat? Nec modo in homine, alijsque perfectis viuiparis hanc vmbilici necessitatem, & vsum agnouit Hippocrates, verùm & in volucrum ouis, quibus vmbilicũ inesse docuit ipse libro de natura pueri num. XXXVI. vbi hæc tradit: *Atqui si quis nondum vidit, mirabitur in volucris ouo vmbilicum inesse*.

Atqui huius veritatis lux ex alterius sententiæ conuulsione refulgebit amplius. Nempe qua ratione à matris vbere ad embryonis oscillum, & labia lac descendere valet? per quos meandros? cùm ille non modò intra matricis conclaue, ad quod è supernis pectoris regionibus nulla est semita, verùm tunica multiplici etiam obducatur, & quasi tenijs vndique vinciatur? At superuacaneus labor est, velle apertum mendacium pluribus confutare. Enodentur potius allatæ in thesi instantiæ, & soluantur obiectiones Hippocrate elucidato.

Ad id profectò, quod primò afferebatur, non posse videlicet infantem ita citò ex vtero eductum os aperire, atque vber exugere, nisi intra ipsum id agere prius assueuisset, falsum hoc esse, respondemus; quandoquidem posset idipsum quæri de eo tempore, quo intra vteri claustrum detinetur, quomodo scilicet cùm antea non didicerit, ibi os ab initio aperiat, exugat, atque deglutiat; nimirum docet hæc natura sine doctore magistra: vnde illud VI. epidem. *Natura non docta, quod non didicit, tamen id rectum facit*; & libro de alimento: *Naturæ omnium nullo doctore vsæ sunt*. Enimuero quis docuit equinos pullos statim ab vtero exeuntes ambulare? quis volucres recentes è nido volitare? quis pubescentes aphrodisia celebrare? quis amabo docuit rudere asinos, mugire boues, latrare canes, beare pecudes, rugire leones? aut quis erudijt bombyces, vt sericos conficerent globos, aracnas, vt tela conte-

contexerent, apes, vt cereis in cellulis mella componerent? Enimuerò, vt plantarum surculi, herbarumque prima germina congeneos sibi à terra prolectant nutricios succos, apparant, atque assimilant vi quadam vernacula, & instinctu duntaxat naturæ, quæ *omnibus subuenit*, vt in eodem libello de alimento senex aiebat, ita fœtus cùm primùm in lucem prosilit, quæ sibi ad vitam, nutritionem, atque augumentum sunt necessaria à natura edoctus admittit, & sine disciplina intelligit.

Ad instantiam verò, quòd statim editus infans fæces deponat, quas meconium ob nigredinem obstetrices vocant, dicendum est cum Francatiano, Cardano, & alijs, haud esse illas hypochoremata à ventriculi coctione segregata, verùm impurioris, crassioris, atque melancholici sanguinis recrementa, quæ à liene per splenicum, atque mesentericum ramum ad intestinum amandantur, ibique vsque ad fœtus exitum stabulātur; quòd si illa primæ coctionis, siue chyloseos excrementa forent, cumularentur in dies, quare non possent nouem, ac plurium mensium spatio in intestinis asseruari, & absque magno ipsius embryonis detrimēto tandiù detineri.

SYNCATATHESIS.

VIx potest medius fidius in notis adeò dissonantibus inueniri symphωnia, cùm re ipsa prior sententia sit prorsus absurda, & vel sensui repugnans, quoad particulam illam præcipuè: *Puer in vtero comprimens labia ex vtero matris sugit*. Quare nonnulli asseuerant, textum illum in libro de alimento adulterinum esse, & nullo modo Hippocrate dignum, quod palàm conspicuum fit à rationibus illis annexis nimium insulsis, in quibus Hippocraticæ maiestatis doctrinæ, ac sermonis nulla prorsus relucent vestigia. Ideoque Andreas Laurentius libro VIII. histor. Anatom. cap. XXIII: de hoc ipso contextu iudicium ferens aiebat. *Diuinus sanè fuit Hippocrates, & ita in omnibus ferè suspiciendus, & à nobis venerandus: hic ergo aut excusandus, quia rudis erat, & non dum satis explorata suis temporibus anatomica cognitio, aut addititia hæc, vt alia pleraque existimandum*. Sed parcant Laurentij manes emeriti, nulla indiget excusatione Hippocrates, quem calluisse Anatomen, & vel nostros superasse Anthropographos, est vero verius; neque in tam futilem sententiam abijsse, verisimile est illum, qui alibi ex professo contrariam tuetur, ac docet; quare vel apogrypha prorsus verba illa censenda erunt, vel putandum ab Hippo-

crate

ætate iuniore conscripta secundum vulgarem Philosophorum sui temporis opinionem; non autem ex proprio arbitrio, ideòque ætate, ac doctrina magis adultus abiurauerit futile dogma.

Si cui verò Martiani arrideret opinio, ita posset antiphonias conciliare, quòd scilicet vberior, præcipuaque nutritio in pueris fiat à sanguine per vmbilicum; minor verò, & quæ ad fœtus quandam potius oblectationem faciat, oriatur à lacte ad vterum per obscuros meandros refluo. Nec perperam sentiret, qui diceret, per easdem vias, per quas ab vtero ad mammas demandatur sanguis, lac ad matricem refluere eodem modo, quo per easdem meseraicas venulas & chylus fertur ad hepar, & ab hepate sanguis refunditur; quicquid contrasentiat Asellius, qui lacteas illas venas comminiscitur, per quas chylus duntaxat ad hepar deferatur: Non est meum hanc sententiam expendere. Id sane annuisse videtur Dictator Cous libro de natura pueri num. xx1. vbi cùm dixisset, lac in mulieribus produci ob ventris compressionem ab vtero turgente factam; hæc addit. *Et à pinguitudine calfacta, ac alba existente, quod edulcatum est à caliditate, quæ ab vteris accessit, expressum venit in mammas, & in vteros quoque parum venit per easdem venas; tendunt enim & in mammas, & in vteros venulæ hæ, & consimiles aliæ.* Neque sanè aliud significare voluit Hippocrates & libro de natura pueri num. illo xx1. & quarto de morbis, in quibus lactis ad vterum excursum aliquem admittere videtur; siquidem ex vberum, ac matricis venarum communione & sanguis ad mammillas, & lac ad vterum confluere potest, quod euentu probatum est; nam menstruus sanguis interceptus aliquando è mammis effluxit; neque hæc ignorauit Hippocrates, qui libro septimo aphorism. 1v. scripserat. *Quibus mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat*; in cuius aphorismi elucidatione Brasauolus, se mulierem nouisse scribit, à cuius mãmis lactis vice sanguis fluebat; quin Amatus Lusitanus cent. septima curat. 48. hæc refert. *Mulier in circulo Basæ ter iam peperit, & nunc vtero gerit, & propè partum agit, cuius ex mamma dextra sãguis multus fluit, reliqua læua lacte nouo colostro dicto plena.*

Cæterùm frequentem humorum metastasin ex vtero in mammas, & ex mammis in vterum expressit luculenter Hippocrates libro de glandibus numero x11. vbi hæc exarantur. *Porrò contrahunt & mammæ, & tubercula, & inflammationes lac ipsum corrumpentes; commoda autem habent superioribus similia, & reliqui corporis redundantiam auferunt; argumento sunt mulieres, quas morbus, aut alia quædam calamitas mammis priuauit, nam ex ijs vox aspera*

reddi-

redditur, & humores in gulam feruntur, & sputis abundant, & dolore capitis vexantur, & ab his ægrotant; lac enim veniens, fluensque ab vtero, ceu etiam antea superiora ad vasa ferebatur, propria iam vasa cùm non habeat, in principes, nobilesque corporis partes incurrit, cor quippe, & pulmonem, sicque suffocantur. Ex his liquet non modo vterum, ac mammas officij quadam societate inter sese communicare, verùm & lac ipsum ab vtero ad vbera demandari; quod senex idem eodem libro de glandibus his verbis declarauit. *Et faciunt quidem lac mulieres, viri verò non faciunt; mulieribus enim rara est glandularum natura, quemadmodum etiam reliquum corpus rarum habent, & alimentum, quod in se trahunt, in lac permutant, & ab vtero accedit ad mammas, quod post partum puero cessurum est in alimentum, quod ipsum sane exprimit, ac sursum mittit omentum ad supernas partes ab ipso fætu coarctatum.* Hanc eandem lactis ad mammas ab vtero Ἱπποκράτης libro de natura pueri num. XXI. his verbis cōfirmat. *Lac autem ob eiusmodi necessitatem fit: Quum vteri tumidi præ puero sunt, ventrem mulieris comprimunt, eius autem pleni vbi compressio contigerit, pinguissimum de cibis, ac potibus foras prosilit in omentum, ac carnem, quemadmodum, si quis corium illinat multo oleo, & imbibere permittat, & vbi imbibit, corium ipsum premat, oleum vtique exilierit foras ex corio compresso; sic etiam si venter pinguitudinem in se habeat à cibis, ac potibus, comprimaturque ab vteris pinguitudo, prosilit in omentum, ac carnem, et si raræ carnis mulier fuerit, citius percipit eius persultationem, si non, posterius.* Inde post pauca concludit. *Vt à pinguitudine calfacta, ac alba existente, quod edulcatum est à caliditate, quæ ab vteris accessit, expressum venit in mammas, & in vteros quoque parum venit per easdem venas:* verum hæc supra etiam referebamus. Interim, ne putes, cùm ab vtero ad vbera lac refluere Hippocrates ait, quod is intelligat, verum lac albificatum inde amandari, sed lactis nomine intelligit proximam ipsius materiam, nempe sanguinem dulciorem eo modo, quo dictum est, à comprimente vtero expressum in omentum.

Ostēdimus iam ab vtero ad mammillas refluum fieri sanguinem lactis alumnum, superest, vt eodem modo demonstremus, lac ab vbere ad vterum certa palindrome remeare, quod mulierum successu percrebescit; nam Caspar Bahuinus libro de obseruationibus proprijs, ex clarissimi cuiusdam Medici obseruatione mulierem recenset, quæ lactis dimidium cyathum eminxit, & Andreas Laurentius libro primo hist. Anatom. *Vidi*, inquit, *Puerperas quamplurimas per vterum, & vessicam maximam lactis copiam excreuisse.* Ipse

quoque non rarò obseruaui in enixis mulieribus, quæ, aut lac præbere infantibus nimis delicatulæ, renuére, aut lactare destitére, filiolis morte ademptis, serosas per plures dies, & lacticinosas vrinas, & fluorem album nuncupatum, non quidem à pituitosa, aliaue serosa colluuie, verum à lactis alluuie.

Nec profectò viæ manifestæ desunt, per quas huiusmodi sanguinis, ac lactis fieri valeant metastases, neque, vt Martianus, debemus ad occultorum ductuum asylum confugere, quippe Andreas Laurentius Anatomicæ historiæ cõsultissimus lib. VII. quæst. XI. semitas hasce basilicè, vt semper solet, ita describit. *Verùm, cùm Sympathia simplex ferè omnis per vasorum communionem fiat, quomodo mammarum, & vteri vasa inter se communicent, paucis aperiamus. Volunt fere omnes Anatomici, Epigastricæ ascendentis ramulos cum mammariæ descendentis riuulis coire, fierique harum venarum anastomoses. Ego, vt iam libro VI. indicaui, harum venarum coitum non nego, sed patentiores, & breuiores communionis huius vias inuenio. Epigastrica enim vena per vterum non spargitur, sæpiusque à ramo crurali oritur. Mammaria item, quam vocant per interiorem sterni partem excurrit triangularem musculum alitura, neque ad mammas ramulos, nisi fortè capillares diffundit. Existimo itaque per hypogastricam, & spermaticã, quæ peculiares sunt vteri venæ, refluere ad truncum cauæ sanguinem, lac, cæterosque humores: à trunco mox in axillarem, à qua thoracicæ duæ insignes exortæ pectorales musculos, & glandosum mammarum corpus irrigant. Contra a thoracicis refluere lac ad Axillarem, ab hac in cauæ truncum, a quo per spermaticum ramum in vterum, nunc in vesicam feratur: vnde plerumque lacteæ funduntur vrinæ post partum. Est etiam lactis per vrinas expurgationi locus, breuiorque ductus per emulgentes ramos.*

Ex his intelligentiam adipiscimur sententiæ illius difficilis de natura pueri, & quarto de morbis, vbi lac ad vterum peruenire, & eo puellum modo quodam frui, ab Hippocrate dicitur, & vermes interdum aggenerari. Nam, cùm dicitur, quod vermes in embryone à sanguine, & lacte putrescente fiant, lactis nomine intelligi quidem potest lac verum in mammis excoctum, ac dealbatum, & ad vteri venas refusum, ac simul cum sanguine per vmbilicum nutriendo fætui delegatum. At verò, quòd puer in vtero lacte huiusmodi fruatur, maiorem difficultatem obtinet, neque facilè persuaderi posse videtur. Andreas Laurentius Anatomes libro IX. quæst. III. hanc expositionem adducit. *Quod Hippocratis dictum ego ita interpretor; lacte ali puellum, idest sanguine*

in

in venis mammarum contento, qui proxima est lactis materia, vel si ante diem partus valde sit famelicus, posse lac album à mammis ad vasa refluere, rursumq; ob facultatem venarum αἱματοποιητικὴν, quæ otiosa nunquam est, excoqui, & in sanguinem verti.

Hæc nimirum non omninò ἀλόγως dicuntur, verùm cùm Hippocrates absolutè asserat, lac à mammis ad matricem delabi, & eo puellum frui, Laurentij hypomnema nimium abducitur. Censendum ergo est, post embryonis motum, quando iam lac in mammis cumulatur, huius portionem aliquam ad vterum per enarratos ductus diffluere, & ab eodem per vmbilicum, non autem per os fœtui subministrari maioris cuiusdã naturę voluptatis gratia, & quasi ad iucundũ refrigeriũ. Quinimò cùm post exitum ab vtero lacte nutriri debuisset fœtus, si intra vterum solo sanguine aleretur, magna fieret repente alimenti mutatio non sine pueri detrimento; assueta enim licet insuetis deteriora minus lædunt, vt in aphorismis dictauit ipse: Quare probabile est, embryonem post quatuor, & quinque menses, quando vberiori eget nutricatu, ali non modo sanguine, verùm & lacte à mammis delegato, absque eo tamen, quòd prius à venis in sanguinem reuoluatur, vt Laurentius opinatur; sanguis enim lacte remixtus suauius, atque magis symmetron præstat pabulum. Parergon. Gemina lactis est differentia, duplex generatio ex eodem Hippocrate lib. de natura pueri, atque περὶ ἀδένων. Prima his verbis describitur. *Mulieribus rara est mammarum natura, & alimentum, quod in se trahunt, in lac immutant.* Huiusmodi verò nonnisi homonimè lac dicitur, & reperiri potest & in viris, & in virginibus anaphroditis, fitque ex reliquiis proprij alimenti mammarum, quæ ob raritatem id largius at rahunt. Altera lactis productio in præcitato libro de natura pueri ita delineatur. *Ab vtero accedit ad mammas lac, quod post partum infanti cessurum est in alimentum, hoc autem exprimit, ac sursum mittit omentum ab ipso fœtu iam grandiore coarctatum.* Et hoc genuinum est, & propriè lac nuncupatur, siquidem perfecta alteratione, & mammarum officiali, non autem priuata actione, coctioneque perficitur: vnde exquisitè album, dulce, ac moderatè crassum existit, & quod præcipuum est, per expressionem fit, & sanguinis ab vtero ad mammillas refluxum, de quo intelligit Hippocrates in præfatis.

Sume denique corollidem, ne quid illibatum relinquamus. Propositæ sententiæ alteram de respiratione fætus intra vterum antilogiam præferunt; nam in vna, spiritum per os trahere, per

vmbilicum in alia statuit. Secunda communi voto excipitur, nam cor in fœtu, quamdiu vteri continetur ergastulo, otiari existimant, ideòq; nec pulmones ad eius ventilationem tunc moueri, sed per matris arterias vitalem deducere spiritum dictitant. Rursus ad primam thesim impugnandam his potissimum vtuntur argumentis, ijsque pene herculeis; Primò quidem, quòd cùm nullus intra matris vterum detur aer pro respiratione, cordisque ventilatione, & motu, atque spirituum generatione, nulla pariter vitalis actio exercetur intra eundem à fœtu. Secundò, quòd si per os aerem deduceret fœtus, frustra vmbilicales arteriæ vitales spiritus è matre in ipsum deuehentes constructæ forent. Tertiò, quòd si intra vterum spiritum per os traheret, ac vitales ederet actiones fœtus, posset quouis mense, ac tempore exclusus viuere, ac vitalis seruari, quod tamen longè ab experimento est alienum.

His omnibus tamen satisfacere nititur Gregorius Nymmanus libro de vita fætus in vtero, in quo multis suadet, fœtum propria vita in vtero frui, atque etiam spiritum per os trahere, ideòque falsum esse opinari, sola matris anima illum viuere. Instantias, & rationes, quas adducit, non est nostri instituti referre. Adeat lector opusculum eruditum, & prædicti viri fruatur ingenio. Nos interim prolixitatis alicuius veniam hic ab Hippocrate rogantes, aliò concedamus.

ANTIPHΩNIA TERTIA.

Sit ne cerebrum, an cor mentis humanæ sedes.

THESIS.

IN cerebro mentem humanam residere, edixit Hippocrates in breui illa Epitome de insania his pene verbis. *Quemadmodum in libello de morbo s. cro dixi, insanienti necesse est præ humiditate cerebrum, in quo animæ sunt opera, moueri, vbi videlicet humidius, quàm pro natura fuerit. Eo verò commoto neque visum, neque auditum quiescere, sed aliàs alia videre, & audire, & linguam talia loqui,*

qui, qualia singulis vicibus viderit, aut audierit; quandiu verò cerebrum quieuerit, tandiu etiam homo sapit. Sed quæ in libro ipso de morbo sacro ad rem nostram Præceptor docuerat, registremus ad vnguem, nam thesin luculentiùs explicant. Sic ergo numero XVI. *Porrò expedit, homines nosse, quòd ex nulla alia nobis parte voluptates contingunt, & lætitiæ, & risus, & lusus, quàm ex cerebro; itemque mærores, & anxietates, tristitiæque, ac eiulatus, & quærelæ. Et hoc sapimus maximè, ac intelligimus, & audimus, & cognoscimus turpia, & honesta, mala, & bona, iucunda, & iniucuuda.* Et paulò infra. *Eodem & insanimus, & deliramus, & terrores, & timores nobis accedunt.* Et rursus. *Quanto verò tempore cerebrum quieuerit, tanto etiam homo sapit.* At numero XVII. sequente dicta roborat hoc sermone. *Ad intelligentiam verò internuncius est cerebrum.* Et paulò post. *Quapropter dico, cerebrum intelligentiæ, ac prudentiæ internuncium, ac interpretem esse.* Tandem eiusdem libri numero XVIII. rem totam definiens, inquit; *Porrò dicunt quidam, quòd corde sapimus, & quòd hoc est, quod angitur, & quod curam gerit. Verùm hoc non ita se habet, sed conuellitur quidem, velut præcordia, & magis etiam propter easdem causas.* Inde addit. *Quapropter cor quidem, & præcordiæ maximè sentiunt, sapientiam tamen minimè participant, sed horum omnium cerebrum causa est.* Quid plura? repetit & libro de glandibus numero IX. quæ alibi docuerat his vocibus. *Cerebrum autem cladem perfert etiam ipsum non sanum existens, sed si quidem rodatur, turbationem multam sustinet, & mens desipit, & cerebrum conuellit, ac distrahit totum hominem.* Suadetur autem non obscuris rationibus, atque instantijs; & quidem primò, quoniam ibi mens constitui debere videtur, vbi ratiocinatio, aliæque eiusdem operationes efficiuntur. Atqui hæ omnes in cerebro celebrantur: in cerebro igitur mens collocari debet. Minor, quam forte antagonistæ inficiari possent, ita probatur: Ibi fit ratiocinium, & mentis quælibet operatio, vbi organa ad id commoda proximè reperiuntur; hæc in capite resident; ergo & in capite operationes huiusmodi efficiuntur. Argumenti subsumptum demonstratur pariter euidentia; siquidem cùm deberet intellectus phantasmata speculari, omnisque intellectus operatio à sensibus pendeat, in capite propterea sensus domicilium obtinuere; alioquin, si in corde discursus fieret, circa cordis regionem debuisset natura sensitiuas hasce machinas ædificare. Cęterùm, ne scholasticus videar, longe enim ab hoc scribendi genere meus excurrit calamus, instantias aliquas adducam, quæ plurimæ apud Medicos extant.

Porrò si percutiatur, ac vulneretur insigniter cerebrum, confestim phantasia, discursus, vel memoria læduntur; si cerebrum inflammetur, delirium est in promptu; si nimium refrigeretur, vel humescat, veternus, fatuitas, aut obliuio oriuntur, si plus quàm par est exiccetur, imaginatio, omnisq; alia functio abolctur. Et interim, dum hæc accidunt, cerebro, non cordi consulimus, capiti adaptantes remedia. Vniuersam hanc doctrinā libro de morbo sacro roborat Hippocrates, dum antiquos redarguens, quòd præcordia mentem vocent, ait. *Præcordijs fortuitum nomen, & per consuetudinem impositum est, non ex rei natura; neque enim quam vim habeant præcordia, vt sapiant, & intelligant, ego vnquam noui.*

An petis, auide lector, ex auctario eruditionem aliquam, ac mysterium? Appingam non inuidus. In capite Diuinitatem adorabant Aegyptij; adeò vt vel insano cultu ob id à capitibus animalium abstinerent, Diuinitati iniuriam facere arbitrati, vt Pierius Valerianus tradit. In capite ergo & mens diuinitatis particeps meritò reponi debet, dicente Hesychio Hierosolymitano: *Caput vniuscuiusque animalis ratione pollentis mens dicitur, cuius sedes cerebrum.* Hinc scomma in amentes; *Caput absque cerebro*, vel *Caput Asini*, quod magnum licet, cerebro tamen destituitur.

ANTITHESIS.

AT si gnarè hic sentijt Auctor, ac tamquam è veritatis tripode mentis humanæ reuelauit hospitium, cur in libello de corde antilogos factus eandem in corde reponit? Verba sunt planè conspicua numero VIII. exprompta: *Mens enim hominis in sinistro ventriculo insita est, & reliquæ animæ imperat.* Quid clarius? quidue superiori sententiæ magis recalcitrans? Sancitum confirmat ipsemet in fragmento de Virginum morbis, vbi de mensium illarum suppressione verba faciens aiebat. *Quùm igitur osculum exitus non fuerit apertum, sanguis autem amplius influxerit propter cibos, & corporis augmentum, tunc sanguis non habens effluxum præ multitudine resilit ad cor, & ad septum transuersum; quùm igitur hæc repleta fuerint, cor fatuum fit, deinde ex fatuitate torpedo &c.* Si ergo cor fatuum euadit, mentem, cuius est passio fatuitas, in corde residere statuit. Fuit & eiusdē sententiæ, Aristot. III. de partib. animal. cap. x., vbi cur præcordia φρένες dicantur declarans, expresè in corde mentem locari scribit: Verba sunt illa: *Quamobrem phrenes appellāt, quasi participes prudentiæ sint, atqui nullatenus participes sunt,*

sed

ſed quia propinquæ ſunt ijs, quæ vim obtinent illam (cordi enim prætenduntur) hinc mentis mutationem aperiunt.

Neque id à ratione alienum videri debet, quippe in corde anima radicaliter ineſt, & cum ea inſeparabiles aſſeclæ eiuſdem omnes potentiæ. Porrò læſo corde non viuimus, ergo neque intelligimus. Cordis fatiſcente virtute rationis etiam obumbratur lumen, quod in ſyncope fit palam. Quid immoror? ſi diaphragmate læſo, quod φρένες, ideſt mentis compos dicebatur antiquis, mentis quoque ceſpitat, ac titubat operatio; quantò labaſcet magis præ occupato cordis imperio, ac diſſoluto temperamento? Inde vel adagio dictitatur: *redire ad cor*, ideſt ad mentem, ac rationem, ipſamque exuere aphroniſin; quemadmodum excors imprudentem, ac ſtultum ſonat, vt contrà cordatus ſapientem. Et quidem in Sacris Biblijs cor plerumque pro mente ſumitur, ita apud Hieremiam quinto XXI. *Popule ſtulte, qui non habes cor*; & apud Salomonem in prouerb. cap. ſexto XXXII. *Qui autem adulter eſt propter cordis inopiam, perdet animam ſuam*: & cap. X. *In labijs ſapientis inuenitur ſapientia, & virga in dorſo eius, qui indiget corde.* Sed hæc e ſacra ſupellectili ſatis, ne fines prætereamus noſtros. Cęterùm extat Plinij celebre de re ſubiecta monumentum XI. natural. hiſt. cap. XXXVII. vbi de corde ſermonem habens, hæc poſt multa ſcripſit. *Prima domicilia intra ſe animo, & ſanguini præbet ſinuoſo ſpecu, & in magnis animalibus triplici, in nullo non gemino. Ibi mens habitat.* Eodem & illud Plauti de muliere collimat:

cui pectus ſapiat,
Nam cor non poteſt, quia nulla habet.

SYNCATATHESIS.

PRolixam, ſtrepitoſamque diacriſin Scholaſticis relinquam, veritatem laconicè decernere, ipſumque Hippocratem ab inconſtantia vendicare, mihi eſt conſilium: quod, vt aſſequi valeam, præludendum primò erit; melioris notæ auctores tàm ſacros, quàm profanos, cenſuiſſe, animam in corde ſupremum ſolium obtinere, tanquam Regem in ſua Metropoli. Magnus Albertus adeſto in primis, & poſt eum Simon Portius libro de mente humana cap. VII. quin Diuus Hieronymus libro II. ſuper Mattheum cap. XIV. Platonem redarguit, qui animam in cerebro collocauit, affertque in medium verba illa Apoſtoli. *A corde exeunt cogitationes prauæ.* Nec diſcrepant Philo Iudæus, & Tertullianus,

qui libro de resurrectione carnis illud præcipuè adducit: *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Quid multa? Aristoteles ipse, Chrisippus, & alij Philosophi principes in hanc iuere sententiam.

Secundò & illud est ratum habendum, velut ex hypothesi, spiritus nimirum animales, qui mentis operationibus ancillantur, in cordis læuo sinu primam originem adipisci; siquidem ex vitalibus spiritibus, tanquam ex vnica, proximaque materia illi exantlantur, adeò vt, si vitales, vel modici, vel imbeccilles, vel impuri fuerint, agrestes quoque, & segnes, atque ad agendum impares reddantur animales; imò si prorsus deficiant, vijs ad cerebrum præclusis, vitales ipsi spiritus, tamquam syderati concidunt homines, animalibus quoque velut eclipsi præoccupatis.

Modò Hippocrates & in libello de insania, & libro de Sacro morbo mentem considerauit non quidem in fundamento, ac radice, quę cor existit, sed in cerebro tamquam in speculo, vbi repręsentatur, eo modo prorsus, quo visiua virtus re ipsa in cerebro est, atqui in oculo manifestatur. At quia facultas nonnisi in organo ritè formato, ac bellè temperato operatur, inde est, quòd ex cerebri ametria, vulnere, inflammatione, & alio quocumque vitio, mentis primaria operatio, quę est διάνοια, seu γνώμη pręstringitur, atque deprauatur.

Cęterùm in libro de corde, & opusculo de Virginum morbis mentem respexit vt in sua radice, siue origine, nempe in corde, quod re ipsa est omnium functionum principium, auctor, & arbiter, imo & animę primarium diuersorium. Et quoniam cordi perperam affecto, quę in cerebro est facultas animalis compatitur, inde mentis vel diminutam, vel deprauatam operationem huic acceptam refert mediatè, vt cerebro immediatè, ea prorsus ratione, qua Auicennas, vt Aristotelem tueretur, qui sensum communem in corde collocauerat, dicebat, hunc radicaliter in corde, manifestatiuè in cerebro residere. Enimverò, vt Regis auctoritas, leges, ac diagrammata toto in Regno vim habent, licet ille in vna tantum Vrbe thronum efferat, ita vni cordi accepta referri potest vitę quęcunque functio, tametsi in alijs membris eius virtutes explendescant. Ita vitium propagines, licet pampinos, racemosque diffundant vndiq; è pergulis à cespite valdè remotis; omne tamen germen, ac botrys ab vna manat radice. Sic flumina, quę tot reuoluuntur ambagibus, longosque reflectuntur per alueos, ab vno scaturiunt fonte, quamuis multas madefaciant oras. Ita Deus licet in Cęlis Diuinitatis, & suę glorię

sedem

ſedem extollat, vbique tamen, vel etiam in inferis, quia

Iouis omnia plena, numinis effunditur decus, bonitas, & æquitas. Colligitur ſanè hæc doctrina ex verbis illis in libello de corde, ſi intimè perpendantur, nam in ſiniſtro ventriculo mentem reſidere docent, quòd ſcilicet in eo ſpiritus vitales elaborantur, pluſque caloris ineſt: addit inſuper. *Et reliquæ animæ imperat*, vt ſignificaret id, quod explicauimus, nempe in corde, tamquam in ſede maieſtatis mentem reſidere, & inde virtutes diſpenſari, ac munera delegari, quæ mox hic, aut illhic illuceſcant, adeò vt cerebrum ad ſapientiam, eiuſq; opera exprimenda ſit veluti cordis iuternuncius, ſiue dicas interpres, vt loquitur Hippocrates libro de morbo ſacro, vbi cùm cerebri encomia, virtureſque eximias decantaſſet, ſtatim decernit hæc: *Ad intelligentiam verò internuncius eſt cerebrum*, & paulò poſt: *Quapropter dico, cerebrum intelligentiæ, ac prudentiæ internuncium, ac interpretem eſſe*: quod nihil aliud ſignificat, quàm quod cerebrum dum intellectus, aut principes alias edit operationes, non proprio, ſed delegato fungatur munere, auctoritate à corde impertita. Hæ duæ voces internuncius, & interpres, quid velint, & quantum valeant, quò plenius innoteſcat, liceat mihi vti exemplo, ſine quo, Platone dictante, res arduæ nequeunt intelligi: Romanorum Imperator, ſiue alius Dynaſta magnus cùm longius ab Vrbe diſtet, cogitationes ſuas, & conſilia Summo Pontifici communicare nequit: mittit propterea Oratorem, quem benè dixeris cum Hippocrate, internuncium, qui ſuam aperiat mentem, eiq; regia vota propalet; quod ſcitè, ac prudenter Orator exequitur, adeò vt Pontifex optatis indulgeat votis, ac petitionibus faueat. Porrò in hac prouincia Orator verè eſt, qui ipſius Imperatoris, vel Regis voluntatis interpres effatur, ſermonis lepore beneuolum Principem reddit, precibus inſtat, rationibus quoque ſuadet, donec vniuerſa, quę poſtulat, obtineat. At quidem non ſua, ſed regia auctoritate totum id conſequitur, & facultate à Maieſtate impertita Pontificem ipſum interpellat, hortatur; eſtque duntaxat Regis interpres. Ita pariter cor tamquam Regulus facultatem cerebro delegat, eoque vtitur tamquam internuncio, & interprete ad mentis, quam in ſe continet, operationes edendas. Quid multa? Vt Luna mutuata à Sole luce noctem illuſtrat, & eclipſim patitur, quandocumq; eius radios recipere, terra interpoſita, nequit; ita cerebrum ſenſus, motuſque elicit functiones, recepto à corde vitali iubare. Vnde epilogum tandem hunc ducemus; mentem in corde tamquam in ſede, in cerebro tam quam in theatro reperiri.

ANTIPHΩNIA QVARTA,

Cor frigidum, an calidum existat.

THESIS.

Libro περὶ ἀρχῶν numerò v i. Medicinæ musagetà de cordis temperie hæc protulit. *Cor multum glutinosi, ac frigidi habet*. Propositionis veritas ex genuina cordis structura facilè suaderi potest; Siquidem eius textura densa, dura, & apprimè compacta existit; qualitates autem huiusmodi, non nisi ab eius frigiditate, quam in prima miscibilium vnione contraxit, manare debent.

Præterea, vt animalium corda sunt reliquis carnibus, & visceribus insuauiora, ita etiam coquuntur ægrius, & melancholicum præstant alimentum: Vnde factum esse, mihi persuadeo, vt voracibus quibusdam ex accipitrum genere volucribus corda in escam offerantur, quatenus videlicet eorum auiditati, & læmargiæ pleniùs consulatur, famemque diutius expleant. Hinc apud Isaach in particularibus Diætis legimus, cor duræ substantiæ existere, ac tardè de stomacho eijci, cui Haliabas quinto Theoriæ cap. 11. astipulatus aiebat: *Cor solidum est, & digestioni inobediens valdè, quod qui comedere voluerit, oportet post illud zingibere vti condito, & comedat ipsum cum pipere, cymino, & satureia*. Id quoque libro de alimentorum facultate confirmat Galenus, cui Michael subscribens ait. *Cor, vt cibus debet graduari frigidæ & siccæ complexionis, cùm sit arteriosum, ac neruosum* (fibrosum diceretur aptius.)

Adhuc thesis inde satis demonstrari posse videtur, quòd, cùm sit cor tamquam humani ædificij arx; arces verò ex duriori, & alpestriori cæmento construi soleant, erat operæ pretium, vt cordis parenchima ex solidissimis fibris coagmentaretur; fibræ autem ex Hippocrate libro de principijs, Aristotele quarto Meteororum, & Galeno secundo de elementis glutinosæ, ac frigidæ adeò sunt, vt si vel à sanguine eximantur, is non amplius concrescat.

Rem denique roborat experimentum, quoniam in cadauerum combustione cor præ cæteris alijs partibus igni resistit, atque omnium postremum comburitur; quod eius maiori frigiditati, obnitentique structuræ acceptum referri debet, nec non in humidum

quoddam

quoddam in id ipsum conculcatum reijci potest; debebat enim & summo feruori, atq; perenni motui contraniti, & valdè resistere.

ANTITHESIS.

AT nimis citò palinodiam recinit idem Apollo, quippe in eodem libello numero VII. manifestum reliquit antitheton his verbis. *Calidum plurimum in venis, & corde inest, ac propterea spiritum cor habet, vtpote quod omnium intra hominem membrorum calidissimum existat.* Ratum facit lib. de corde nuwero V. his verbis: *Cor sanguinis fons est, atque caloris insiti.* Ex quibus verbis forsan Aristoteles mutuauit opinionem, quod sanguinis non hepar, sed cor existat auctor. Dictato astipulatur cumprimis vniuersa Philosophorum, ac Medicorum Schola, quandoquidem vnanimi voto vitalis igniculi promptuarium, & minera spirituum, vnum cor existimatur.

Probatur verò, & suadetur vnico, sed efficaci argumento, illo scilicet Peripatetico axiomate. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Quare si spirituum officina, & caloris elementum, vnde cœteræ corporis partes refouentur, cor existit; in supremo caliditatis solio reponendum id erit. Hinc non immeritò Aristoteles existimauit, cor iccircò ad læuam inclinare, quia cùm frigida sit, eius calore indigebat. Verba tertio de partibus animalium cap. IV. leguntur sic. *Ad læuam etiam paulum vergit, vt eius partis refrigerationem moderetur, & compenset; omnium enim animalium maximè homo refrigeratam habet partem sinistram.* Nec discrepat Plinius, qui libro XI. cap. XXXVII. vbi de corde, inquit, *Hinc præcipuus calor.*

Rem totam confirmat certum, euidensque experimentum, quandoquidem, Galeno auctore, si in læuum cordis ventriculum cuiuspiam recenter mactati animalis digitus immittatur, exuretur ab æstuante sanguine. Adde his, quòd nulli alteri visceri pulmones à natura instituti sunt, quàm cordi, vt nimirum eius eximio feruori media respiratione refrigerium pararerur.

Nec silentio omittendum, quòd amor, & ira sunt cordis germana pathemata, quæ exuberanris caliditatis sunt alumnæ. Hinc Niphus lib. de amore cap. XXXXX. *Sicut ira est ebulitio sanguinis circa cor, sic amor est commotio sanguinis;* vterque enim affectus est desiderium, vindictæ vnus, voluptatis alter, ideoque θυμοειδὴς idest facultas irascibilis in corde non minus, quàm ἐπιθυμία resides, inde amor vbique ardoris nomine indigitatur, vt passim ira feruor sanguinis

guinis circa cor dicitatur. De amore, quòd sit ardor quidam extant apud Maronem præcipuè illa.

Vritur infelix Dido.

Est mollis flamma medullas:

Et illud nostrum in Geneanthropeia, vbi de amore;

Febris cordibus æstuans.

De ira, quæ & ipsa insania est, in qua, Seneca loquente primo de ira *flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, & æstuante ab imis præcordijs sanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur &c.* illud Hippocratis imprimis vi. Epidem. sect. vii. celebre est: *Ira contrahit & cor, & pulmonem in se ipsa, & in caput, & calida, & humidum*; quo consilio iubebat idem ii. Epidem. sect. iv. iram excitari in frigidis affectionibus. *Curandum iram inferre, & reuocandi caloris causa, & effusionis succorum*. Nunquid ergo non impensè calidum cor erit, æstuantis vtriusq; furoris, iracundiæ scilicet, & concupiscentiæ promus, & condus? Promus, & condus inquam vno, eodemq; tempore amoris, & iracundiæ; nam qui amant ad iram promisunt, & qui facilè irascuntur, sunt ad amores procliues. Hinc meritò in hymno ad Virginem eadem prece rogamus, vt nos ab impuris amoribus simul, & ab iracundijs vindicet.

Virgo singularis
Inter omnes mitis
Nos culpi solutos
Mites fac, & castos.

SYNCATATHESIS.

SEntentiarum διαφωνίαν percepisti lector, audi modò συμφωνίαν. Cor, vt pars similaris frigidæ est complexionis, calidissimæ vt organica. Vt similaris texturam obtinet densam, solidam, & glutinosam; vt verò organica, quoniam influentis caloris est opifex, ac spirituum officina, summa caliditate donatur. Et quoniam vitales ipsi spiritus, qui micant, qui feruent, ac feriunt è rara nimium structura euanuissent, fuit iccircò necessarium, vt parenchima eo modo compactum, ac fibrosum elaboraretur. Libro itaq; de principijs structuram cordis, primamq; compositionem respexit Hippocrates; at libello de corde munus, & facultatem.

Præterea cor ipsum considerare fas est, vt viuens, & vt vita cassum. Vt viuens iam, quoniam animæ domicilium, & vitalis caloris est elementum, calidum iure audit, vt autem vita functum, &

ſub alimenti ratione inter frigidas, ac terreſtres corporis partes recenſetur, vt Conciliator habet diff. XXIV. Quòd verò hæc fuerit Hippocratis mens, conſtabit liquidò, ſi eius verba intimè perpendantur; ſiquidem in libro illo de carnibus nequaquam cor calidum eſſe ſcribit, ſed in eo plurimum calidi ineſſe tradit, quod multum differt; ita in phiala cryſtallina, licet merum contineatur, aut humor alius feruidus, non tamen illam calidam nuncupare fas eſt; & etiam venæ ſanguinis riuuli, quibus pariter caloris plurimum ineſſe ſcribit Hippocrates, calidæ marte ſuo dici nequeunt.

ANTIPHΩNIA QVINTA.

Sit ne ſanguis natura calidus, necne.

THESIS.

PRimo de morbis numero XXIII. Medicinæ καλοδαίμων hæc dictauit. *Eſt pituita frigidiſſima ex natura, calidiſſimus autem ſanguis*, quam eandem ſententiam libro eodem numero XXVII. his reperit verbis; *vtpote cùm etiam natura calidiſſimus ſanguis in corpore exiſtat*. Aſtipulatur Galenus II de Simpl. medicament. facult. cap. primo vbi ait: *natura frigidus ſanguis nullus eſt.* Nec Ariſtoteles omittendus II. de partib. animal. cap. II. vbi mendaces aliquorum confutans opiniones ait. *Sanguinem etiam, & bilem alii inter calida enumerant, alij inter frigida*

Dogma haud minus experimento, quàm ratione probari poteſt. Ratio in primis illa erit, quoniam ætherius animę ſpiritus ſuam hyparxin in ſanguine habet, quod liquidò innoteſcit ex hoc, quoniam nihil magis corpus refrigerat, quàm crebra, & copioſa phlebotomia, aut ſanguinis ſpontanea effluxio, vt meritò iccirco Arabes vitæ theſaurum ſanguinem dixerint, eumq; propterea parcè, & religioſè hauriendum, ne ſimul vitalis caloris exhauriatur ærarium, vitam enim in ſanguine reſidere antiquata fuit opinio, quò illud Poetæ alludebat.

Vitam cum ſanguine fudit; & illud
Purpuream vomit animam.

Inſuper nutriuntur ſanguine carnoſæ partes, imo etiam ſpermaticæ

ticæ ex aliquorum opinione. Iam,si verum est, vt plane indubitatum, quòd ex iisdem nutrimur, ex quibus componimur, cùmq; viuentium corpora coalescant ex calidis dicente, lib. de diæta, Hippocrate: *Ignis, & aqua omnia componunt*, sequitur, quòd sanguis nutricius intime calescat.

Sed quid est opus rationes comminisci, vbi sensus, & autopsia rei fidem faciunt? Nimirum dum sanguis mittitur, actu præcalidus persentitur, adeò vt apud feruidiores quasdam temperaturas ipsum, vnde hauritur, brachium vrere videatur: quin etiam, vt aliàs ex Galeno significauimus, arterialis cruor vsque adeo feruet, vt si recens mactato animali digitus in læuum cordis immittatur sinum; vratur tanquam ab igne.

Neque illud postremò prætereundum, quòd nisi sanguis calidus esset, & humidus, tres tantummodò essent humores, quod est æquè absurdum in microcosmo, quàm sit in megalocosmo tria tantum decernere elementa. Patet illatio, quandoquidem nisi esset sanguis calidus, & humidus, esset frigidus, & humidus, qualis est pituita, quare vel hæc, vel ille redundaret, vnaque deficeret qualitatum combinatio.

ANTITHESIS.

INterim libello de corde numero x. sententia toto opposita Cælo his verbis describitur. *Sanguis enim non est natura calidus, neque alia aliqua aqua, sed calescit, multis autem videtur natura calidus esse*. Nec ab Hippocrate discrepat Aristoteles in lib. de partibus animalium.

Suadere autem id quoque licet ex eo, quòd calor omnis à corde, quod est spirituum promus, & condus in partes, & humores emanare soleat, atque adeò sanguis ante, quàm influente huiusmodi calore imbuatur, sit veluti humor quidam aqueus caloris expers, qualis testudinis sanguis esse dicitur.

Præterea sanguinem obseruamus, vbi primum à venis manauit, statim algescere, ac densari, forma, & colore ipsius haud pereuntibus; igitur constat, illi caliditatem non inesse intrinsecè, & ex origine, verùm extrinsecùs, & ab influente spiritu duntaxat, cordisque thermopolio tepescere. Quod, vt sibi quisque suadeat promptiùs, ignorare non debet, sanguinem eò esse perfectiorem, quò pluribus abundat fibris, quæ villi alio nomine dicuntur. Modò fibræ huiusmodi frigidæ sunt, ac terrestres, suntque in causa, vt sanguis cùm

primum effluxit, refrigeſcat, & coaguletur; quòd ſi forte fibræ iſtæ alicui ſanguini haud quaquam inſint, ille concreſcere nequit, quod palam fit in leporino, ceruino, & bubulino ſanguine. Doctrinam hanc ediſſerit Hippocrates lib. de principijs, vbi de ſanguine hæc: *Si vero quis ipſum conquaſſet, & fibras eximat, non congelatur; fibræ enim frigidæ ſunt, & glutinoſæ.* Hippocrati tanquam Præceptori ſubſcribens Ariſtoteles IV. Meteorologicorum cap. primo aiebat. *Quicunque autem non concreſcunt, veluti cerui, tales aquæ magis, & frigidiſſimi: quapropter non habent villos, villi autem terræ, & ſolidi;* & luculentiùs adhuc tertio de hiſt. animal. cap. III. vbi hæc. *Secundum etiam genus fibrarum eſt, quod conſiſtere in ſanguine ſolet, quamquam non cuiuſque animalis, ſpiſſari autem ſanguis non poteſt, ſi id genus fibrarum detrahatur, genus id ergo fibrarum tametſi maiori ex parte in ſanguine animalium ineſt, tamen cerui, damæ, bubuli, & aliorum quorundam ſanguini deeſt, quocirca eorum ſanguis non ſimiliter, atque cœterorum concreſcit.*

Cœterùm eadem eſt ſanguinis, atque ſeminis ratio; ſemen enim, quod eſt humor adeò perfectus, ac naturæ ſolerti miniſterio elaboratus, nequaquam eſt ex origine, atque intrinſecè calidum, verùm caleſcit à ſpiritibus, qui ad illud generationis ergô vndique confluunt; quibus ſi deſtituatur, plaſtica etiam virtute nudatur, licet in reliquis ſuam ſeruet formam, ac naturam.

Denique in eum finem ex Herueį ſententia ſanguinis circulatio inſtituta à natura fuit, vt nimirum calorem, & ſpiritus, quos per corpus excurrens amittit, in corde, cùm remeat, repararet. His pro corollide adde, quòd cùm ſanguis omnis difficilis ſit coctionis, craſſoſque progignat ſuccos, vnde vel à pauperum menſis exulat, & in lanienis tanquam ἄχρηστος effunditur; frigidus meritò audit.

Sed inſtar omnium illa eſt fortiſſima ratio, qua probatur, ſanguinem ſuapte natura calidum non eſſe, quòd ſcilicet illius eſt genuinus calor, cuius eſt vita; at ſanguis non viuit: igitur ſanguis ex natura, hoc eſt primæua conſtitutione nequaquam calidus erit, alioquin vrina, & excrementa, quæ in viuente corpore calida ſeruantur, dici poſſent etiam ex natura calida, quod tamen abſurdum eſt.

SYNCATATHESIS.

VAriæ ſunt hinc, inde rationum phalanges; qui poterunt ergo pugnantes in Hippocrate opiniones ad ὁμόνοιαν reuocari? Dicamus nos, vtramque theſin poſſe à mendacio vendicari;

nam hæ duæ propositiones: *Sanguis est natura calidus*, et: *sanguis non est natura calidus*, ex diuersa illius particulæ, *Natura*, acceptione non fiunt necessariò contradictoriæ; quare non necessariò ex vnius negatione, alterius affirmatio infertur. Valet nimirum hìc, quod secundo de partibus animal. cap. secundo dicebat Philosophus: *Quisque enim quamuis contraria dicat, tamen aliquid dicere videtur*. Porrò in re nostra vtraque sententia est vera; quod ita explico. Natura in ore Hippocratis, imò & Philosophorum omnium duo significat, primum quidem rei essentiam, atque eiusdem principium intrinsecè constitutiuum; secundum verò accidens proprium, aut virtutem ad complementum, & munus requisitam. Iam assertio hæc: *sanguis est natura calidus*, si ex intrinseco principio intelligatur, mendacium est; si verò ex proprietate, & perficiente virtute, vera erit propositio; nam si sanguis huiusmodi calore perenni, & spiritu non tepesceret, nutritioni, & vitæ deseruire nequiret; quod est adeò verum, vt ex Hippocratis sententia tunc fiat apoplexia, in qua sensus, ac motus, vitæ perpetui sodales, amittuntur, cùm sanguis à pituita congelatur, atque suo defraudatur calore: Audiamus ipsum primo de morbis numero xxx. *Cùm sanguis, qui est in venis, perfrigeratus fuerit à pituita, transmutatur, & conuellitur aceruatim aliàs, alia parte, & tremit, tandem verò omnia perfrigerantur, & moritur*. Et secundo de morb. numero VI. *Cùm atra bilis in capite commota fluxerit maximè in partem, in qua plurimæ sunt venæ, in collum, inquam, ac pectus, syderatus fit homo, ac impotens, sanguine nimirum perfrigerato, deinde congelatur, & moueri non potest, & moritur*.

Cæterùm qua ratione sanguis non per se calidus dicatur, explicat præcitato libro, & cap. de partibus animal. Aristoteles, vbi cùm dixisset: *sanguinem etiam, & bilem alij inter calida enumerant, alij inter frigida*, incipit explicare, quot modis aliquid dici possit calidum, præclaram in hac re doctrinam aperiens. Tute ipse librum adeunto, ac perlege lector.

ANTI-

ANTIPHΩNIA SEXTA,

Bilis, an sanguis calidior sit.

THESIS.

LIbello de structura hominis numero primo Medicorum ἄρχος bilem constituit præferuidam, præsiccamque, ac talis vbique ab eodem recensetur, astipulante veterum omnium, ac recentiorum voto; vt ideò superfluæ censeri possint rationes; quarum tamen aliquas in medium afferre non erit ab re. Et quidem cùm inter omnes humores frigidissima sit pituita, vt lib. de natura humana numero XII. palàm profitetur Hippocrates; cùmque pituitæ bilis è diametro opponatur; hæc omnium calidissima reputari debebit: Ita ex Philosophorum placito ignis elementorum calidissimus decernitur, quòd aquæ, quæ est primum frigidum, quàm maximè opponatur. Vnde meritò Galenus primo ad Glauconem dixerat cap. de curatione tertianæ. *At flaua bilis humor inter omnes, qui in corpore sunt, aridior, calidiorque existit.* Quod quinto de simpl. medicam. facultatibus cap. primo confirmat ampliùs.

Rursus erysipelas, febris ardens, omnesque aliæ ingentes inflammationes à bile originantur, ergo hæc succorum omnium adiudicari debet feruentissima: quinimò iccirco hæc eadem omnium acutarum febrium, & affectionum causa ab Hippocrate aliquando pronunciata fuit; quoniam, si debeant alij humores febrem excitare, bile, tanquam sulphure vti, & ad bilis naturam propiùs accedere eos deceat, vt à me in Isagoge medica explicatur pluribus.

Sed quid contendam probare, bilem reliquis humoribus calore præcellere, si vnicuique id vel ex eo constat, quòd illa in æstate augetur, ac furit, in iuuentute dominatur, rebus à calidis cumulatur? Vide librum de natura humana numero XIII.

ANTITHESIS.

PRæfata cùm vera sint, quomodo Hippocrates verbo ἀσύμφωνος, & sententia ἀσύστατος alibi factus est? Oppositum primo de morbis numero XXII. his verbis registratur. *Est pituita frigidissima*

frigidissima ex natura, calidissimus autem sanguis, frigidior est etiam aliquantò bilis sanguine: confirmat libro de natura humana numero XI. vbi hæc: *Et iugulatis primum quidem sanguis calidissimus, & ruberrimus profluit, deinde pituitosior, ac biliosior* (quasi *biliosior* non sit calidissimus) imò & numero XIII. cùm dixisset, homines vere, & æstate dysentericos fieri, & sanguinem ijsdem è naribus destillare, subiungit hæc; *& calissimi sunt, & ruberrimi*.

Nec discrepat Galenus primo de temperamentis circa finem, vbi sanguinem calidissimum omnium, quæ sunt in corpore describit, ac rursus XI. de simplic. medicam. facultatibus hæc scripsit: *hic succus omnium, quæ in quocumque sunt animalium, calidissimus esse demonstratus est*.

Probari autem posset huiusmodi antitheton ex eo, quòd sanguis vndique spiritibus circumfluat, spiritus autem sint omnium feruidissimi, vt ideò ab Hippocrate impetum facientes nuncupentur.

SYNCATATHESIS.

SEd caue lector, ne vnquam Hippocratem leuitatis insimules, nam leue esset ingenium illud, quod id vel cogitare auderet, vt contra dextrum, & sagax, quod in tanti viri diaphonia symphoniam reperire addiscet. Petrus Salius primo de morbis hanc difficultatem enucleaturus, bilem, ait, calidiorem esse sanguine caliditate complexionali; quòd scilicet in eius complexione plus calidi, quàm in sanguine reperiatur; sanguinem verò non complexionali, sed benigna, & viuificante caliditate præpollere.

Marinellus in eiusdem loci commentario sanguinis caliditatem, ait, maiorem esse, quàm bilis, quò ad vitam, & vitæ functiones exercendas, & conseruandas; quoniam scilicet vita hominis per calidum, & humidum existit; calor autem in humido non est in supremo gradu, sed bene in sicco; bilis verò caliditas cum siccitate copulatur.

Dicunt nonnulli, Hippocratem ibi loqui de sanguine congenito, qui proculdubio spirituum est locupletissimus, nec dum aut cruditate hebescit, aut impuritate labefactatur.

Alij censent, bilem calidissimam esse intensiuè, sanguinem verò extensiuè; hoc est, caloris in sanguine ampliorem residere mensuram, eo quia sanguis in corpore maiori copia reliquis humoribus præualet, in bile verò gradum intensiorem reperiri.

Profectò

Profectò hi omnes dialogismi ingeniosi, & probabiles valde sunt, satisq; ab antilogia dictatorem vendicare valent. His tamen liceat alias duas enarrationes ex proprio marte tanquam appendices attexere; prima esto, quòd cùm nomine sanguinis Hippocrates tam venalem, quàm arterialem comprehendat, vtique sub hac acceptione bile calidior dici potest, quatenus insiti spiritus omnium humorum, ac partium sunt calidissimi.

Altera sit, quòd calidior est sanguis bile caliditate natiua; patet hoc, quoniam hæc non nisi humiditatem, quæ sanguinis est alumna, pro suo subiecto habere potest. At contrà ascititia caliditas maior in bile inuenitur, quoniam siccior humor est, siccitas autem lima caloris dicitur: Suaderi autem opinio hæc ita potest. Cuiusque caloris mensura apud viuentes est calor natiuus: Igitur quicquid natiuæ caliditatis est magis consors, magis calidum in ordine ad ipsos viuentes dici poterit; antecedens est manifestum, quoniam natiuus calor ætherius est, non elementaris, proportione respondens, vt Philosophus ait, elemento stellarum; igitur ille caliditati elementari κατ᾽ ἐξοχὴν præcellere debet, perinde ac Cælum ipsum elementis præminet, atque sublunarium omnium virtutum μέτρον est, & archetypon. In sanguine ergo, ac bile aliàs natiuum calorem, aliàs elementarem respexit Hippocrates, atque ita vario modo enunciauit: ideoque verum est, quod Aristoteles secundo de part. animal. cap. secundo dicebat, calidum videlicet multifariam dici, id, quod pluribus ipse declarat, quem adeunto.

ANTIPHΩNIA SEPTIMA.

Vir, an Mulier sit calidior.

THESIS.

PRimo de Diæta numero xxx. Apollinis Protomyst a Cous hæc tradit. *Ex omnibus autem masculi calidiores sunt, & sicciores, fœminæ verò humidiores, & frigidiores.* Confirmat non vno in loco, ac præcipuè in illo septimi libri aphorismo, vbi astruit, mulierem non fieri ambidexteram; quippe dexteræ omnes partes calidiores existunt, vel ipsius Hippocratis arbitrio in Epi-

demijs, vbi legitur: *Oculus dexter, mamma dextera, & aliæ partes calidiores, & fortiores*: quia ergo mulier insigni calore deficit, iccircò ambidextera non producitur, eo præsertim, quòd, Philosopho teste tertio de part. animal. habent homines inter omnia animalia maximè sinistram partem refrigeratam. Hippocrati subscribit apertè Galenus decimo quarto de vsu partium cap. v i. vbi trigemina ratione probat, fœminas viris frigidiores esse. Prima, quòd si calidior foret, sanguine menstruo non difflueret; secundà, quòd non haberet intus genitalia; tertia demum, quod minores testiculos, ipsumque sperma parcius, frigidiusque non obtineret.

Rem insuper suadent aliæ rationes, quæ non ab vno fonte hauriri possunt, & quidem primò barba, mystaces, corporis totius hirsuties ingentis caloris sunt soboles; vt enim vberes eleuentur fuligines, excellens exardeat ignis, necesse est. Ita quoque lacertus, robur, audacia, dexteritas, ac mores generosi sunt in viris eximiæ caliditatis argumenta. Præterea sunt viri macrobij longè magis, quàm mulieres, quæ propterea ad suum incrementum citiùs perueniunt, ac senescunt ocyùs: namque pubescit plerumque mulier sub anno duodecimo, vir verò non ante decimum quartum; atqui vita natiuo commensuratur calori. His addatur, quòd vis genitiua in viris vltra sexagesimum annum prorogatur, in mulieribus autem quadragesimum quintum rarò excedit. Hinc Nomophilaces, vt par ad generationem aptitudo inter coniuges seruaretur, iubebant olim, vt vir mulieri in coniugio quindecim annos præiret; quod septimo etiam Politicorum apud Aristotelem sancitur.

Quid multa? Mulier genus imbelle, formidolosum, varium, & mutabile semper, inuidum, loquax, procax, & vt Mantuanus;

Mobilis, inconstans, vaga, garrula, vana, bilinguis,

frigiditati meritò inauthoratur. His corollidem faciat Præceptor magnus lib. de Virginibus, vbi de muliebri sexu hæc: *Est enim muliebris natura animi magis deiecti, ac imminuti*.

ANTITHESIS.

AT primo de morb. muliebribus numero secundo vaticinium reddidit longè contrarium, quod est: *Habet enim mulier sanguinem calidorem, & propterea est calidior, quàm vir*. Quid clariùs? Huius mentis fuit magnus ille trismegista Aegyptius Horus, Rex, Philosophus, ac Medicus, contra quem, referente Macrobio septimo Saturnaliorum, Simmachus disputauit.

Pro-

Pronunciatum ſuadent quoque rationes non infirmæ; nam fœmina in primis ſanguine diffluit vberiori, id, quod à menſtruis purgationibus palàm innoteſcit. Atqui caloris plurimum in ſanguine reſidet, verumque ſemper erit, polyæmos locuplete caliditat. diffundi.

Putarunt inſuper nonnulli, glabrum corpus, & mentum imberbe apud mulieres à nimio calore diſſipante fuligines emanare, afferuntque inſuper ad id veterum veſpillonum conſuetudinẽ ex Plutarcho; illi enim cadauera vrentes, vnum muliebre decem virorum corporibus tanquam tædam ſubmittebant. Atqui hæc fortè non probant, vt in noſtra medica Iſagoge oſtendimus.

Præterea mulier ex ipſo Hippocrate primo de morb. muliebr. rariori, & teneriori carne eſt prædita, ideoque citiùs impletur, quia nimirum trahit à ventre humiditatem, vt ipſe ait; at raritas eſt caloris ſoboles.

Denique libidine mulier exæſtuat magis, nique verecundia, vel timore compeſceretur, vſque ad inſaniam oeſtro fureret. Thebani Tyreſiæ iudicium ſat notum eſt, ſicut & illud Secundi Philoſophi, mulierem quamcumque fornicatricem, & adulteram reputantis, facto vel de matre periculo, quæ, ſi voluiſſet ipſe, adulterum filium admiſiſſet. Verùm plura de his in Geneanthropeia lector habes. Rurſus iracundia vſque adeò exardeſcit eadem, vt

Scylla, & Carybdis Sicula contorquens
Minus eſt timenda; nulla non melior fera eſt.

Seneca loquente in Hercule Oeteo. At concupiſcibilis, & iraſcibilis aſylus caliditatis, & quidem exurentis eſt alumnus, vtque ſupra dicebam, qui effrenis eſt in iram, eſt quoque in venerem putris.

SYNCATATHESIS.

Omnem difficultatem fortè quis poſſet exoluere, ſi diceret, libros de morb. muliebr. non Hippocratis, ſed Polybi cuiuſdam diſcipuli eſſe. Verùm reſponſio hæc minus arridet; ſiquidem etiam Polybus magnæ vir auctoritatis cenſeri debet, vt qui fidus auditor ex Hippocratis ampliſſimo pœnu doctrinam exantlauit eximiam. Exiſtimat inſuper Vega, locum illum de ſanguine calidiori mendoſum eſſe: Id ſi ponatur, nulla foret controuerſia, atqui id non omnibus probatur, & videtur mihi mera fuga.

Dicunt interim aliqui, mulieres extenſiuè, viros autem inten-

siuè calidiores existere. At verò in quo consistat maior ista penes mulieres caliditatis extensio, haudquaquam explicant. Neque enim ad tactum exuberans ista caliditas percipitur, nec maius est virili muliebre corpus, vt ideò dici valeat, calorem magis in mulieribus extendi, quemadmodum asserere solemus, calorem in iuuenibus extensiuè maiorem reperiri, quàm in pueris.

Cęterùm Rondeletius, vt hanc litem componeret, mulieres, dixit, κάτω, viros autem ἄνω calidiores esse: & hæc sanè responsio non parum arridet; siquidem necessarium, nedum operæpretium erat, vt fęminæ vegetiores, ac magis calidæ circa generationis prædium, vteri scilicet regionem efficerentur; vnde est, quòd ad genitale earundem aruum & sanguis, & spiritus affluentiùs accurrunt; quo consilio dixerat Iob: *fortitudo mulieris in vmbilico eius*; est autem vmbilicus in sacris paginis generationis, ac libidinis symbolum. Neque ab his discrepat Protosophos quarto de hist. an imal. cap. vltimo, vbi apertè docet, mares obtinere à natura superiores partes calidiores, fortioresque; fęminas verò, quæ infra sunt. Ad varias ergo vel viri, vel mulieris partes collimans Hippocrates modò hanc, modò illum calidiorem statuere potuit sine pseudologiæ crimine.

Sed liceat enarrationes proprias tanquam appendices ascribere. Dixerim primò, quòd calidior est mulier, vt ex verbis præfati contextus palàm comprehenditur, quoad sanguinem, non quoad temperamentum, scribitur enim: *Habet enim mulier sanguinem calidiorem, & propterea calidior est, quàm vir*. Intelligas autem hîc, illum calidiorem censeri non primigenia, sed ascititia caliditate, quam vel ex mora in vtero, vel ex conclusione, ac putredine quadam nanciscitur, vnde etiam qualitates adipiscitur ipsi sanguini nihil genuinas, sed longè nimis ab eo alienas, vt ex monstrificis eius effectibus videre est, quippe vel teste Plinio, *eo acescunt superuentu musta, sterilescunt tactu fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, & fructus arborum, quibus insedere, decidunt, speculorum fulgor aspectu ipso hebetatur, acies ferri præstringitur, eboris que nitor, aluei apum moriuntur; æs etiam, ac ferrum rubigo protinus corripit. odorque dirus aera: In rabiem aguntur, eo gustato, canes, atque insanabili veneno morsus infligunt; etiam formicæ animali minimo inesse sensum eius, ferunt, abijcique gustatas fruges, nec postea repeti*. Porrò tam effera accidentium syndrome non nisi à calore acerrimo, extraneoque oriri poterit, indeque non immeritò feruidior, quàm sanguis viri existimari debebit muliebris.

Cęterùm quoad temperamentum, quod à solidis partibus pendet, frigidior mulier, calidior vir censeatur. Enimuerò temperamentum nequaquam ab humoribus determinatur, ideoque iure Fernelius eos redarguit, qui alogωs dicere consueuere, esse aliquem temperamenti biliosi, sanguinei, vel pituitosi, ac melancholici, cùm dici debeat, temperamentum obtinere calidum, vel frigidum, humidum, vel siccum. Hinc non raró contingit, vt gregales Medici non intelligant, temperamentum quoad solidas partes humorum dominio sæpe aduersum esse: etenim haud raró videre est, aliquos frigido, humidoque temperamento præditos, qui bilem frequenter, eamque acerrimam euomant, contrà verò calida, siccaque temperie imbutos pituitam susque, deque reijcere.

Adhuc ab re non esset existimare, quòd Hippocrates lib. de Diæta, vbi frigidiores constituit mulieres, de natiui caloris penuria loquatur, in lib. verò de morb. muliebr. extraneum intelligat, qui nimirum affectiones muliebres, de quibus acturus erat, aptus est producere. Quantum verò ascititius iste calor circa vterum, partesque obscænas in mulieribus præualeat, docent abundè vterini furores, pruritus intolerabiles, libidinis incitamenta, Veneris prolubia, hæmorrhagiæ perennes, aliæque sexcentum affectiones, ac pathemata ab vteri feruore, ac polyæmia oriunda. Istinch enim resiliens insuper sanguis ad cor, & septum transuersum funesta parit symptωmata, quę lib. de virginum morbis ita exarauit Hippocrates. *His autem sic habentibus præ acuta quidem inflammatione insanit, præ putredine verò clamat, præ caliginositate autem timet, ac formidat, præ compressione verò circa cor strangulationes parit, præ sanguinis autem malitia animus mœrens, ac anxius malum attrahit. Sed & alium horribiliter compellat, & in puteos prosilire, ac incidere iubet, & strangulari, tanquam meliora sint hæc, & omnem vitæ vtilitatem excedentia. Aliquando verò sine spectris, ac phantasmatis voluptas quædam adest, ex qua mortem velut bonum aliquod amat.*

Ex his modò vtrinque allata enodari poterunt argumenta. Ad id verò præcipuè, quòd præ iracundia mulier calidior existimari debeat, respondere iubet, hinc sexus potius imbecillitatem, atque impotentiam prænotari: Siquidem iccircò est mulier tantopere iracunda, quia frigidior, suique impotens extat, quod ne alicui paradoxon videatur, doctrinas nec extritas, nec passim obuias in medium afferam. Porrò, vti irati sunt omnes calidi, ita iracundi ob calidi innati rarefactionem, atque imbecillitatem frigidiores existimandi: audiamus Vallesium primo Epidem. sect.

tertia textu XXXII. vbi cum dixisset Hippocrates, quod in constitutione quadam balbi, iracundi, & mulieres ex hoc genere peribant, ità in commentario habet: Ὀ'ργίλοι *autem, idest iracundi dicuntur non qui animosi sunt, sed qui leui de causa, atque sæpe irascuntur, quod frigidorum esse, mulieres indicant causa autem est in calidi innati debilitate, quod facilè à quauis causa molestiam subit.* Id ipsum in libro artis Medicinalis Vallesius idem confirmat, mutuata fortassis à Galeno opinione, qui in secunda sect. primi Epidem. textu LXXV. hæc scripserat: *Quocirca ex ijs, quorum ab initio mentionem hactenus fecimus, reliquum est, vt de iracundis agamus, qui etiam maximè contrarij sunt animosis; quippe animosi viriles sunt, & humilium rerum contemptores; Iracundi verò contra pusillanimes, quòd generosa, virilique animi parte sint destituti, quare iracundi temperamento frigidiori erunt, difflabuntque ægrè.* Quod licet idem Galenus tum libro de arte Medicinali, cùm etiam in eo alio, qui inscribitur: *Quòd mores animi sequantur temperaturam corporis*, oppositum sentiisse videatur; inquit enim in vno loco sic: *furentes, & iracundos caloris abundantia efficit*; in alio verò: *calida namque temperies iracundos facit*: & inde rursum: *iracundia calorem accendit, & ignem reddit*, quod etiam in secundo de causis pulsuum cap. XIII. confirmat; distinguendum tamen erit, eodem Galeno arbitro VI Epidem. sect. quinta, quòd ex duplici, qui in nobis est calore, natiuo scilicet, atque ascititio, duplex quoque iracundiæ genus enascitur ob vtriusque copiam, & feruorem; quæ ex naturali calore est, sanguine, ac spiritibus efferuescentibus ob rationalem aliquam causam, ad fortitudinem pertinet, & calidos arguit, quæ verò ex leui quacunque causa ab ascititio excitatur calore, feruescente aliquo præternaturam humore, pusillanimi est, atque frigiditatem redarguit. Quod sanè Hippocratis eximia, & paucis obseruata, paucioribusque probata auctoritate ex lib. de structura hominis ad Perdiccam Macedonum Regem postremò tanquam colophone persuasum volo: Ibi namque numero secundo sic legitur: *Qui verò flauæ bilis participes sunt, desides, pusillanimes, pauidi, imbellesque esse solent.*

Neque Ioannes Stephanus vir alioquin ingenio præstans, ac doctrina diues verba hæc suspecta habuisset in suo commentario, ac prorsus admirari desiijsset, si quæ supra declarauimus, intellexisset. Placet ipsius quoque Ioannis Stephani verba subscribere. *Quòd verò flauæ bilis participes sint desides, & pauidi, quod velle videtur Hippocrates, haud capio nisi vt retrò scripsimus, præpollente cælesti temperie, hoc fiat; biliosi enim solertes sunt, intrepidi, magni, elatique*

animi;

animi; forte atram bilem intellexit, quam, vt superiùs, flauescentem appellauit, vt propterea de mendo magna mihi inijciatur suspicio. Et eodem sane collimat sententia illa sexti Epidem. sect. IV. textu XXII. *Calidi ventre, frigidi carne, & graciles hi venosi, & iracundiores*. Vide, si placet Septalium in commento secundo ad lib. Hippocratis de aere, aquis, & locis, vbi hæc scitè, & eruditè, vt solet omnia semper, discutit. Interim rem tanquam episodio confirmatam volo vnius Iusti Lipsij auctoritate secundo de constantia cap. VI. vbi sic. *Ira, vindicta, vltio humani affectus nomina sunt, & nata ex imbecillitate cadunt tantum in imbecilles*.

ANTIPHΩNIA OCTAVA.

Venæ puerorum sint ne tenues, an amplæ.

THESIS.

Libro de genitura numero IV. exiles, & angustas puerorum, & puellarum venas Hippocrates indicit: en verba ipsa: *At verò pueris venulæ tenues, & repletæ existentes genituræ transitum impediunt, & pruritus ipsis non similiter accidit*. Subiungit inde: *Quin, & virginibus, quousque iuuenculæ fuerint, menses non procedunt propter eandem causam*. Ratam facit sententiam lib. de nat. pueri numero XVII. inquiens. *Nam dum adhuc puer est, & venæ tenues existunt, non procedit per ipsas genitura, eadem ratio de mensibus virginum est*. Assertio probatione vix egere videtur, quoniam satis allato à Magistro experimento comprehenditur, atque anatome ipsa clariùs percrebescit. Hoc vnum dixisse sufficiat, quòd cùm breue, & exile sit ob ætatem pueri corpusculum, venæ proportione si debeant ei respondere, non nisi angustæ, & exiles illæ existent.

ANTITHESIS.

ANtilogiam exarauit Præceptor lib. IV. de morbis numero XXVIII. vbi lapidis in vesica generationem penes infantes ex impuro nutricis lacte describens, amplas, & vndique patentes venas ipsis in pueris videtur supponere; adducam verba: *At vbi suxerit lac non purum, sed terreum, & pituitosum, & habuerit puer venas de ventriculo ad vesicam tendentes, amplas, ac attrahentes, procedit autem & quod bibit nutrix, & lac in ventriculum pueri.* Dictati adesse in promptu ratio videtur, quoniam pueri omnium voto calidissimi audiunt; at caloris munus est in primis aperire meatus, ac dilatare venarum ductus, cæcosque reserare mæandros. His adde, quòd cùm facultas naturalis in prima ætate sit apprimè vegeta, illius interest, sanguinis ductus peruios facere, & reseratos, ac patulos aperire cuniculos. Suffulcitur sententia subobscuro illo Præceptoris oraculo sexto Epidem. sect. tertia textu XIII. *Post mictum pueris concretio; numquid quia calidiores?* Quibus verbis nil aliud voluit ipse, nisi, quòd pueris in vesica semper, in renibus nunquam gignitur lapis. Euentus autem huiusce rationem afferens Vallesius in commentario, acceptam refert tum languidæ expultrici ipsius vessicæ, cuius functio ad animalem facultatem, quæ in pueris imbecillis existit, spectat maiori ex parte, cùm etiam validæ renum facultati, & viarum amplitudini, ob quæ liberè migrant, & expelluntur sabulosæ colluuies, & crassa excrementa: Placeat audire Vallesium: *fit concretio in vesica post mictum, quia id sordium, quod est ob languidum vrinæ motum hæret, neque cum illa exit, sed congeritur; in renibus non ita, hi enim, vt qui naturali expultrici, quæ in pueris est fortissima, expurgantur, facilè se ab omnibus expediunt; accedit mollicies partium, & amplitudo viarum.* Sunt itaque amplæ, patulæque puerorum venæ.

SYNCATATHESIS.

AD symphoniam redeunt contrariæ voces, si dicatur, libro de genitura, atque de natura pueri Hippocratem de naturali ac genuina puerilium venarum constitutione verba facere: Est autem hæc pro breuis ratione corpusculi angusta, & exilis, nec, licet calidissimi sint pueri, maiorem exigunt amplitudinem, imò si obtinerent, præternaturam esset, perinde ac præternaturam est quæcunque amaurosis. Ceterùm quarto de morbis

de eo, quod in pueris præternaturam contingit, sermonem habet, ideoque loquitur ex hypothesi: *Et habuerit puer venas de ventriculo ad vesicam tendentes amplas, & attrahentes*, quasi annuat, esse quidem illas ex natura plerumque angustas, sed ad lapidis coagmentationem amplas præternaturam requiri necessariò. Secus enim in omnibus pueris lithiasis reperiri deberet, quia omnibus venarum inesset amplitudo, quod tamen longè distat ab alithia.

Sed age, inquies! Qua ratione Hippocrates ait: *Venas ad vesicam de ventriculo tendentes?* quęnam, aut vbi venę istæ reperiuntur? Certè nullæ, vt anatome vel superficie tenus initiatis constat liquidò. Porrò haud est existimandum, sentijsse Magistrum, venas recto tramite de ventriculo ad vessicam excurrere, sed mediatè, & per varios flexus, ambagesque; Nec simili modo putandum, huiusmodi venas, ac ductus esse longissimos illos, quos omnes norunt, nempe à ventriculo ad intestina, ab his ad venas meseraicas, à meseraicis ad hepar, ab hoc ad emulgentes, atque ab his tandem per vreteres ad vessicam. Verùm longè breuiora diuerticula nouit Hippocrates in pueris maximè, & sunt nimirum vię à ventriculo per vas breue ad lienem, ab hoc in arteriam splenicam, hinc in arteriam cęliacam, ac mox à trunco aortę arterię per arterias emulgentes ad renes, qui sanè transitus citiùs absoluitur, vnde tanquam per compendiarios mæandros vrina celerrimè redditur, vt videre est in illis, qui acidulas, aliasque thermales affatim, & abundè hauriunt aquas, nam breui horulę interuallo mictu totas refundunt; quod profectò accidere non posset, si per viam hepatis prolixam, ac tot alias flexiones transmearet. Hę sunt igitur venę à ventriculo ad vessicam tendentes, de quibus Hippocrates loquitur. Sed hęc παρέργον.

ANTI-

ANTIPHΩNIA NONA,

Potus an ad pulmonem delabatur.

THESIS.

QVarto de morbis magnus Aesculapij Diæcetes numero xxx. apertè fatetur, ac probat etiam, potum nulla ratione ad pulmonem destillare. Verba illius hæc: *Quidam dicunt, quòd potus in pulmonem deuenit, ex hoc verò in reliquum corpus: Hi autem, qui hoc dicunt, redarguuntur ex hoc, quod dicturus sum.* Libro verò de ossium natura numero VI luculentiùs rem astruit his. *Potus per fauces, ac gulam, larynx enim, qui caput, arteriæ est, in pulmonem, ac arteriam tendit, ab his in summam vesicam.*

Thesim probat pluribus argumentis, quorum est illud primum: *Si potus procederet in pulmonem, quum pulmo expletus esset, homo non facilè respiraret, neque loqui posset, non enim esset, pulmone pleno existente, quod resonaret.*

Secundum quod adducit argumentum est: *Si potus in pulmonem procederet, cibi in nobis sicci existentes non similiter concoquerentur.*

Tertium est illud, quoniam si potus ad pulmonem deueniret, *Medicamenta aluum subducentia, si in potu sumantur, extra ventrem procederent; Si verò aliquod ex his medicamentis in pulmonem perueniret, videtur mihi magnum aliquod malum inductum esse, pituita enim de capite descendens, eum in valde breui tempore exulcerat.*

Quartum est hoc: *Vbi à vino nigro homines repleti fuerint, nigra recrementa excernunt, & vbi allia comederimus, aut aliud quoddam edulium olidum, vrinam reddimus comesta odore referentem.* Addit his, quod *si quis cyceonem biberit, aut farinam coctam sorbuerit, aut aliud quid eiusmodi, & hoc ipsum in pulmonem peruenerit, certè arbitramur, ipsum ne minimum quidem tempus viuere posse, vbi enim modicum quoddam pituitæ in pulmonem peruenerit, aut in fistulam ipsius, multa, ac fortis tussis oboritur, ac conuulsio.*

Denique sic arguit: *Quomodo lac infantes pueros nutrire posset, si in pulmonem descenderet?* Ita multis præter consuetudinem argumentatur Hippocrates, qui secus dogmata sua laconicè proponere, ac probare solet, ideoque exoletæ huius prolixitatis, & battologiæ ne redargueretur, se ipsum purgat his verbis: *Et hæc, ne produxis-*

se m

sem quidem ad sermonis mei confirmatiouem, nisi multi adeò homines essent, quibus potus in pulmonem procedere videtur, & necesse est ad opiniones fortiter inhærentes multa argumenta adducere, si quis velit auditorem à priore sententia abducere, ac conuertere, vt suis verbis fidem habeat.

Cęterùm adeo certa experientia iam compertum habemus, per eandem viam & solida, & potulenta permeare, vt ridiculum sit id amplius in velitationem ducere; nam si quis statim à prandio vomat, è ventriculo eadem eccrisi tam cibos, quàm potus reijciet, quod in ebrijs quotidie cernitur. Iam, vt primo de Diæta numero quinto monebat Pythia noster: *Oculis autem magis credere oportet, quàm opinionibus.*

ANTITHESIS.

OBlitus hæc omnia Dictator libello de corde numero primo profitetur palàm, pocula irrorare pulmones; sunt hæc verba: *Cæterùm hunc humorem cor emingit bibendo ipsum assumens, ac consumens pulmonis nimirum potum lambens; etenim homo multum maximam partem in ventrem bibit; gula enim siue stomachus velut infundibulum potus copiam, & quæcunque volumus excipit. Bibit autem, & in guttur, ac arteriam, minus verò, & quantum latere possit per rimam illapsum.* Confirmat in eodem libro, vbi aquam illam, quæ in pericardio continetur, ex potu generari tradit, qui per asperam arteriam in pulmones allabitur: quin etiam secundo de morbis numero LC. pulmonis quendam describens morbum, sic ait. *Hunc veratrum bibere oportet, & per se, & lenticulæ decocto ad mixtum infundere etiam in pulmonem oportet.* Insuper libro de internis affectionibus numero xxv. cuiusdam hydropis ideam describens, hæc habet: *Aqua inter cutem ex his fit, cùm æstatis tempore siti vexatus aquam multam biberis nam ex his maximè fieri solet, & pulmo expletus fuerit, rursus ad pectora dimittit.*

Interim Hippocrates antithesin hanc ita probat à signo; *signum autem huius rei hoc est: Si quis enim aquam cæruleo, aut rubrica temperatam sitienti valde bibendam dederit, maximè Sui (hoc enim pecus non est curiosum, neque mundiciei deditum) deinde, dum adhuc bibit, ipsius guttur resecet, hoc colore ipsum tinctum reperiet.* Id ipsum præterea suadet Medicorum communis pragmatia, qua linctus in morbis pectoris adhibentur ad leniendam tracheam, imò etiam ad materiam in thorace, vel pulmonis bronchijs hærentem incidendam,

humectandam, & abstergendam, vbi crassior, seu viscidior, seu etiam aridior per anacatharsim expectorari nequit. Hoc eodem consilio III. de morb. num. XXIV. Symbulus noster monebat, in pleuritide angusto oris pocillo bibendum esse, & quidem copiosè, quatenus pulmo irrigetur, & sputum reddatur ad exitum madore promptius; ipsum audiamus. *Post balneum etiam vinum dulce, & aquosum bibendum est, non frigidum, modicum, ex angusti oris pocillo, & vbi tusses inuaserint, ampliùs bibendum, & quammaximè excreandum, quò pulmo humidior factus faciliùs, ac citiùs sputum reddat, & tussis minus affligat.*

Quid multa? In ipsius quoque tracheæ vlcere iubebat in methodo Galenus, vt æger supinus eclegmata quàm diutissimè in ore contineret, ita namque sensim destillat, permeatque facile medicamentorum bechicorum vis ad pulmones vsque, id, quod asthmatici, orthopnoici, tussiculosi, peripneumonici, atque phtisici quotidie experiuntur, vtilique periculo probant. His adhuc & illud addatur, quòd è vulnerato thorace seri copiam non rarò effluxisse, Chirurgi obseruarunt, quod sane serum per asperam arteriam defluum eo in loco continetur: Imò & in arterijs, Andrea Laurentio teste in historia anatomica, plus quàm in venis, serosi reperitur humoris, cuius materia à trachea in pulmones, & à pulmonibus ad cor, & à corde in arterias primariò deriuare, est rationi consonum; ab arterijs tandem per emulgentes in renes transcolatur, & iccircò tam insignes etiam fuerunt à natura emulgentes arteriæ constructæ.

Denique, vel ex hoc sibi quisque suadere potest, per asperam arteriam potulenta aliquatenus destillare, quoniam epiglottis semper hiat, vt aerem excipere, atque halitus fuliginosos extrudere perennè valeat; quare per eiusdem rimas, nec non laryngis latera fluidioris substantiæ aliquid delabi poterit. Dixi fluidioris aliquid substantiæ, quoniam solida cùm deglutiuntur, epiglottidem comprimunt, quare aditum per arteriam haud inueniunt, etsi forte quid irruat, molestissimam tussim, atque suffocationis metum infert, quod Anacreon Poeta funesto periculo didicit; nam passularum acino in tracheam illapso, perijt strangulatus, quo mortis genere obijt & Ephebus ille apud Alexandrum, Benedictum, cui pillulam nolenti assumere mater digito illam vi in arteriam compulit, vnde suffocatus interijt.

An forte cupis antiquorum in hac opinione auctoritates? Ita sentijt inter Philosophos Plato, Philisto, Dioxippus Hippocraticus,

Locrus,

Locrus, & Plutarchus: inter veteres Poetas Homerus, & Erastothenes cum Alcæo, cuius illud extat carmen.

Irriga pulmones vino, nam caniculæ astrum exoritur,
Hora difficilis, qua cuncta sitiunt præ ardoris æstu

Eòdem spectat Eupolis illud: *Potare Protagoras iubebat, vt ante aduentum caniculæ pulmonem madidum haberet.*

SYNCATATHESIS.

ABnegat solùm IV. illo de morbis Præceptor, vniuersum potum ad pulmones diffluere, vt plerique æuo suo perperam arbitrabantur, quos adductis rationibus abundè conuellit. At lib. de Corde, & alibi nil absonum putat, siquis pro comperto habeat, humoris aliquid etiam per tracheam in thoracem deriuare, sensimque destillare: imò ita contingere ob decliues arteriæ ductus, & fluxilium succorum naturam per pendulos præsertim tubos, veritati apprimè consonum existimat, vel experimẽto suadente, quo nouimus ad pituitam, vel pus è pulmonibus, ac thorace repurgandum, eclegmate, aquis, sorbillationibusque vel dulcibus, vel acidis vti omnes consueuisse. Et sanè, vt falsum est, & prorsus ἄλογον, potum vniuersum per arteriam asperam thoracem irrigare, ita nihil prorsus ad eundem sensim, & guttatim repere, est à ratione, atque autopsia alienum. Sæpius in pectoris morbis armenam bolum in linctibus vsurpatam sputis commixtam ipse vidi, & anacatharsi post dies aliquos reiectam.

ANTIPHΩNIA DECIMA.

Naturæ cognitio sit ne Medico necessaria,

THESIS.

NEcessarium ad bene curandum naturæ cognitionem esse præter vniuersale Dogmaticorum sancitum, apertis fidibus edisserit Pythios noster primo de Dięta numero 1. his dictis. *Porrò eum, qui de victu humano scripturus est, censeo, primùm quidem totius hominis naturam nosse, ac diudicare oportere:*

Nosse

Nosse quidem, ex quibus à principio constitutus est, diiudicare verò, quæ in ipso partes dominium obtineant; si enim constitutionem ab initio non cognoscet, & id, quod in corpore dominatur, non poterit ea, quæ homini conducunt, offerre.

Confirmat primo de morbis num. I. vbi ad recte curandum, quæ sunt necessaria percurrens, hæc post multa exarauit: *Et de corpore, quòd calidum sit, aut frigidum, aut siccum, aut humidum, & quòd forte, aut debile, aut densum, aut rarum.*

Suadet quoque ratio, quoniam cùm simile à simili conseruetur ex Asclepiadum axiomate, cùmque alimentis maiori ex parte conseruetur vniuscuiusque natura; impossibile erit herclè isthæc omnia opportunè præscribere, nisi naturæ illius constitutionem, ac temperiem prænouerimus; quod verò ad Medicinæ partem therapeuticen spectat, cùm hæc per contraria dirigatur, cùmque morbus non sit, nisi recessus à naturali statu, hunc si ignorauerimus, neque intelligere fas erit, quantum a naturali linea corpus recesserit; siquidem est illud Philosophi vero verius, rectum esse index sui, & obliqui. Id nimirum vsque adeò veritati consonat, vt communi Auctorum dictato sanciatur, illum curatum iri meliùs, quem sæpius curauerimus, quòd videlicet illuxerit inde clariùs integra illius complexio. Nempe in hunc finem rei medicæ Scriptores Physiologiam Pathologiæ, ac cęteris partibus præmittunt.

ANTITHESIS.

INterim legislator idem asymphonos apparet lib. de veteri medicina numer. XXXVI. vbi Naturæ cognitionem flocci facere videtur: excipiamus verba. *Porrò medici quidam, itemque sophistæ dicunt, quòd impossibile est, medicinam cognoscere eum, qui non nouit, quid sit homo, & quomodo primùm factus, & compactus sit; ego verò ea, quæ alicui sophistæ, aut medico de natura dicta sunt, aut scripta minus censeo, medica arti conuenire, quàm pictoriæ*; quinimò sentire adhuc videtur, naturæ totam cognitionem ex medicina proficisci, nam subdit hæc: *Iudico autem de natura aliquid manifestum, ac euidens cognoscere, ex nulla parte aliunde contingere, quàm ex medicina*. Opinionem hanc multis instantijs probare nititur in subsequentibus Hippocrates, quæ legere vnicuique fas erit.

SYN-

SYNCATATHESIS,

DE humano victu præcepta traditurus primo illo de diæta Magister naturæ cognitionem haud immeritò præsupponit; sine illa enim procul dubio victus ratio, quę similis esse debet, atque temperamento compar, recte præscribi nequit, eodem Hippocrate teste lib. de salubri diæta, vbi illa præcipuè leguntur: *Proinde victum & ad ætatem, & anni tempus, & corporum habitus eum instituere oportet, qui calori, & frigori præsentibus opponatur, eo enim modo optima valetudine fruetur aliquis*; quod nimirum libello de veteri medicina iam nuncupato num. XXXVI. claro sermone ita firmauerat. *Atqui mihi necessarium esse videtur, vt omnis Medicus de natura sciat, & omni studio annitatur, vt cognoscat, si modò aliquid eorum, quæ fieri debent, recte præstare velit, quid est homo ad ea, quæ comeduntur, & bibuntur, comparatus, & quid cuique ab vnoquoque continget, ac accidet, & non simpliciter sic existimare, quòd malum edulium est caseus, dolorem enim affert repletio ex ipso, sed quem dolorem, & propter quid, & cui parti intra hominem existenti incommodum existit; nam & alia multa edulia, ac pocula natura mala sunt, & efficiunt hominem non eodem modo*; Et numero XXXVIII. eiusdem libri concludit hæc: *Quisquis igitur hæc non cognoscet, quomodo singula se habeant ad hominem comparata, is neque cognoscere, quæ ab his fiunt potest, neque recte vti*. Cæterùm ad curationem, de qua loquitur libro de veteri Medicina, naturæ prænotio haud certè necessaria videtur, imò ex ipsamet curatione natura percrebescit: exhibito namque medicamento, qui deducuntur humores huius, vel illius dominium, atque etiam dyscrasiam ostendent. Neque sanè illos plerumque curamus, qui sint nobis noti, sed sæpius ignotis medicinam facimus, indeque eorum naturas consequimur; quare Socratis (gratia exempli) & Platonis diagnosis ad Prophilacticen potius, quàm ad ipsam Therapeuticen pertinere videtur. Vel dicamus cum doctissimo Heurnio in commentario libri de veteri medicina, quòd si natura humana genericè, & in communi sumatur, eius præcognitio haudquaquam est necessaria; vt enim Hippocrates ipse aiebat, spectabit eadem nihil minus ad artem pictoriam. *Nam pictor etiam* (sunt Heurnij verba) *humanam naturam noscere debet, vt membrorum analogiam recte pingat, ita calceario pedis dimensione opus est, quò recte aptet calceos*. Si

verò

verò humani corporis natura propriè sumatur, quantum videlicet ad Medicinæ finem pertinet, vt Heurnius idem ait, *medici peculiaris est, adeoque propria, vt nulla ex alia arte, quàm ex medicina percipi possit.*

ANTIPHΩNIA VNDECIMA.

An bilis, an Pituita producatur à pinguibus.

THESIS.

SExto illo opulentissimo Epidemiorum libro, quem in Romana Cathedra triennali labore explanauimus, sectione sexta hæc leguntur: *Quibus quidem pingue, bilis flaua.*

Probatur autem, quoniam inter symbola, Philosophia dictante, facilis est conuersio; iam bilis humorum pinguedo est; igitur à pinguibus cumulabitur; quòd verò inter humores pinguis existat bilis, quarto de morb. numero 23. Præceptor idem testatur his verbis: *calescente sanguine, exalat maximè per hunc humor aquosus, qui febri est infestissimus; relinquitur autem pinguis, & leuis, qui est biliosus, & febri maximè nutrimentum.*

Rursus, quæ inflammabilia sunt, facilè ignem concipiunt; huiusmodi sanè existunt, experientia magistra, pinguia omnia, & oleosa; hæc enim inflammata bilem, quæ est humorum calidissima, opiparè producunt. Secundo de Diæta numero 12. de caseo loquens Magister dixerat; *æstuosus est, quia pinguis*, & num. 15. eiusdem libri de amygdalis loquens: *æstuosæ quidem sunt propter pinguitudinem*, & rursus num. 16. *pingues carnes æstuosæ sunt*. Huc insuper spectat sententia illa Hippocratis in libro de affectionibus text. 37. *Pinguia ad inflammata non conducunt, neque ad ea, quæ non sunt purgata, neque ad putrescentia*. Quid vltrò calamum produco? Thesim suadet euentus; nam quotquot ex natura, vel ex accidenti biliosi sunt, ac maximè picrocholi, ab esu pinguium summopere infestantur; cumulata videlicet inde succi biliosi colluuie: Hinc libro de affectionibus num. 34. *Pinguia, & caseosa, & mellita, & ex sesamo parata ructum acidum maximè faciunt, & bilis fluxum supernè, ac infernè.*

AN-

ANTITHESIS.

AT libro de affectionibus, quem pariter in Vrbis lyceo non infausto labore commentarijs illustrauimus, textu XXXXIX. sic habet; *pinguia, & dulcia humiditatem, & pituitam exhibent*. Probari autem propositio ex eo posse videtur, quòd sapor dulcis humiditatis potius, quàm siccitatis est soboles, in arido enim contraria potius gignitur qualitas; hinc aloes, colocynthis, rhabarbarum, absyntium amara, & inter humores bilis: igitur si inter congenea facilis est commutatio, dulcia, & pinguia pituitæ addent. Cæterùm si pinguia frigida sunt ex Aristotelis dogmate, ait enim, omne pingue exangue, omne exangue frigidum, sequitur, quòd frigidum humorem cumulare debeant, qualis est pituita, non autem bilis.

Secundò dici potest, quòd cùm dulcia, ac pinguia, vt naturæ apprimè grata, & familiaria rapiantur ab illa; fit ex eo, vt nondum fortè pepsi æquata prolectentur, atque adeò cruda adhuc partibus alendis demandentur, vbi pituitosam cumulent colluuiem.

Tertiò addas, iccircò pinguia, atque dulcia pituitæ generationi fauere, quia ventriculum laxant, atque infirmant; quod liquidò percrebescit ex alui lubricitate, imò etiam diarrhæa, quæ ex eorum vsu frequenter superuenit.

SYNCATATHESIS.

ESto breuis symphonismus. Dulcia cum partium tenuitate in bilem degenerant, cum earundem crassitie pituitam faciunt. Pinguia in præcalido corpore tanquam sulphur inflammantur, atque in bilem vertuntur; in frigido, ac pituitoso habitu pituitam augent; quod etiam de dulcibus sentiendum erit, Galeni arbitrio id asseuerantis non vno in loco, sed maximè lib. II. de naturalibus facultatibus cap. VIII. cuius verba: *Atqui non mel modo, sed etiam cætera vniuersa in supradictis corporibus, quæ ex qualibet iam memoratarum causarum sunt calida, facilè in bilem mutantur*. Rursus in spurijs cap. de vinis idem hæc habet. *Quoniam omnes succi dulces materiæ sunt flauæ bilis gignendæ*.

HIPPOCRATIS COI

MEDICORVM PRINCIPIS

ANTIPHΩNΩN.

LIBER SECVNDVS.

In hoc secundo libro descriptas, lector, videbis Antiphωnias pathologicas, ætiologicas, ac symeoticas, ordine tamen, ac serie distinctas; nam prius, quæ morbos, eorumque symptωmata, mox quæ eorundem causas, demum quæ signa tam diagnostica, quàm prognostica continent, stilo, ac methodo eadem, nec non doctrina multiplici, subtilique stamine retexentur.

ANTIPHΩNIA PRIMA.

Morbi cognitio an sit ad curationem necessaria.

THESIS.

QVAM sit ad rectè curandum necessaria morborum cognitio, libello de arte cum primis testatum reliquit Græcus Hippocrates ijs vulgatissimis verbis: *Medicus, qui sufficerit ad cognoscendum, sufficiet etiam ad sanandum*. Quam sententiam imitatus Latinus Hippocrates aiebat. *Cuius rei non est certa notitia, eius opinio certum reperire remedium non potest*. His quoque assentitur Galenus non vno in loco sed potissimùm primo de alimentorum facultate, vbi hæc tradit:

Quip-

Quippe affectuum cognitio est materia remediorum, non ipsorum remediorum cognitio. Quid multa? etiam in ore Poetarum idipsum versatum est, vnde illud Propertij:

Non intellecti nulla est curatio morbi.

Quin eò insuper res deuenit, vt Præceptor idem non simplicem prærequirat cognitionem, sed plenam per omnes causas adipisci medicum debere testetur, si rite sit curaturus; quare aiebat alibi, eum tantummodo salubres posse medelas afferre, qui morborum causas vndequaque cognouerit; & quod magis est, alibi cognitionem istam non vna sed omnibus temporum differentijs expleri vult ijs verbis: *Nosse præsentia, scire præterita, præuidere futura*, sub quibus procul dubio omnis morborum vel exactissima diagnosis comprehenditur: siquidem sub rerum præsentium agnitione continentur ægrotantis temperamentum, affectus præter naturam idea, symptωmata, & causæ continentes; sub rerum præteritarum ordine procatarchticæ causæ reponuntur, nec non vniuersa anteacta vita: sub futurarum denique congerie comprehenditur, qui morbi futurus, est euentus omnisque Medici operatio. Et sanè id summâ cum ratione sæpius, & instanter monitat Hippocrates, ne eius sectatores empyrici audiant, qui nimirum solent Andabatarum more, nulla prorsus affectuum, & causarum præhabita cognitione, curationem aggredi.

Probari autem potest non vnico argumento sententia, & primò sic: Si verum est, vt planè verissimum axioma, quod contraria contrarijs curantur, nisi morbum exactè cognoscamus, quid illi contrarium existat, nequaquam intelligemus; Patet hoc, quandoquidem remedia à morbis indicantur, vt hanc, vel illam referunt ideam; igitur eorum natura comperta esse debet; ita exempli gratia si quis ignis nesciret naturam, ignoraret etiam à quo extingui posset; sũt enim ignis, & aqua ἐκ διαμέτρου ἀντικείμενα; at verò ex Philosopho, qui vnum oppositorum ignorat, necesse est ignoret & alterum.

Secundò purgans pharmacum in specie à natura morbi indicatur, quare in causo, & biliosis affectionibus cholagogum, in melancholicis melanagogum præsignatur; si ergo morbus medico sit ignotus, cuius naturæ pharmacum præscribet? Enimuerò continget facilè, vt in calidis affectionibus calida, in frigidis frigidã cum extrema patientis calamitate exhibeantur; nam, vt libro de loc. in homine 51. sancitur: *Sananturque dolores contrarijs, idque etiam vnicuique morbo proprium est*.

Præterea morborum alij sursum, alij deorsum ex Hippocrate purgationem affectant; ita quarto Aphorismorum decernitur, biliosos, gracilesque in æstate per superiora purgandos esse, melancholicos, & obæsos per inferiora; atqui ignota ægritudine id planè fieri non potest. Quid multa? Sine mali cognitione irrita fiunt omnia therapeutica dogmata: *Quicumque morbi* (ait Hippocrates secundo Aphorismorum XXII.) *ex satietate, fiunt, euacuatione sanantur; & quicumque ex vacuatione oriuntur, satietate, eodemque modo alia contrarijs curantur.* Absque notione igitur satietatis, vel inanitionis, qui poterit opportunum remedium exhiberi? Quomodo insuper extremis morbis extrema remedia, vt in aphorismis: debilibus debilia, fortibus fortia, vt libro de locis in homine præscribemus? Secus autem, vt Celsus libro secundo cap. XI. scripserat: *Non potest vehementi malo nisi æquè vehemens auxilium succurrere;* vel vt Aretheus: *Morbum quò dissoluas, maiora esse remedia, opus est.* Omittam, quòd prognosis ipsa, morbi ignorata idea, frustratur prorsus.

Denique non omnes morbi purgatione curantur, sed plurimi neoterismo, non pauci nutricatu; ergo in his, si ignoti fuerint, nullum habebit locum catharticum pharmacum.

ANTITHESIS.

Libro interim de locis in homine textu 28. manifestus exaratur antilogismus his penè verbis: *Morbum si quis non cognoscat, medicamentum bibendum præbeat non forte; si itaque leuior inde fiat, demonstrata via est, quòd gracilitatem inducendo curandus est; si verò non leuior reddatur, sed secus habeat, contraria facienda sunt.*

Porro præclarum, & optimum Hippocratis hoc præceptum reputandum est, quod non minus ægri saluti, quàm ipsius Medici existimationi expedit; Ægri quidem saluti, quandoquidem præstat Celsi consilio anceps, quàm nullum experiri præsidium; nimirum ventre, ac stomacho repurgatis non potest nisi morbus leniri. Aluina excrementa vt plurimum, & quæ in ventriculo stabulantur cruditates omnium penè morborum parentes, Auicenna arbitro, existunt; igitur illis subductis maiori saltem ex parte valetudini consulitur. Et sanè in hunc finem Hippocratem dixisse, arbitror in aphorismis. *In principio si quid tibi mouendum videtur, moue;* quod nequaquam de causa continente intelligi debet; nam

aliàs

aliàs inuiolabili sancito præceperat, concocta medicari, cruda moueri haudquaquam debere, verùm de primarum viarum colluuie, quæ morborum omnium, si non origo, saltem fomes existere potest.

Medici præterea bonæ existimationi fauet, quoniam si ob morbi ipsius obscuritatem, & ignorantiam nihil medicus operaretur, magnam sui nominis iacturam faceret. Tam facilè quippe medici omnes dedecori inauctorantur, vti vel ipse Hippocrates Democryto scribebat, tam promptè cauillis lacessuntur, tamque leui negocio vel nihil omittẽtes insimulantur, vt si nihil operarentur, tanquam mortis auctores ab omnibus damnarentur; Vnde fit, quòd sæpe vel inuiti ab importunis mulieribus cogimur multa moliri, quæ interdum detrimento potius, quàm ægrotantium emolumento cedunt; quando est vero verius illud Liuij, medicos plus interdum quiete, quàm agendo, & mouendo proficere, Seneca in epistolis confirmante ijs verbis: *in morbis nihil est perniciosius immatura medicina*; neque enim præstantiores medici ij sunt habendi, qui citra intermissionem contra morbos agunt, cùm apud Hippocratem secundo Epidemior. sectione secunda aureum illud registretur præceptum: *Ex adhibitione contraria adhibere, & quiescere*; quam sententiam expendens, & enarrans Vallesius in hæc prorupit. *Atqui cùm sint hæ duæ partes medicæ Praxis, contraria adhibere, & quiescere, mihi hæc vltima videtur præstantior. Censeo enim periculosius incidere in medicum, qui nesciat quiescere; quàm qui nesciat contraria adhibere; Nam qui nescit quiescere, nescit occasiones contraria adhibendi; quare neque contraria adhibere. Qui nescit contraria adhibere, tamen si prudens est, scit quiscere, atque si prodesse non potest, tamen non obesse.* Digna sane tripode verba.

SYNCATATHESIS.

AT non difficilè conciliantur, quæ contraria videntur prothemata; quippe libro de Arte necessarium arbitratur Hippocrates morbi cognitionem ad sanandum; perpendenda enim est particula illa: *Sufficiet ad sanandum*. In libro verò de locis in homine ignoto morbo pharmacum propinari iubet, non quidem vt certam inde sanitatem adipiscatur, sed vt potius morbi faciem detegat, eiusque plenam nanciscatur ideam,

ideòque aiebat: *Si itaque leuior inde fiat, demonstrata via est, quòd gracilitatem inducendo curandus est.*

Porrò non rara, imo frequentissima est apud Hippocratem cura, quæ tentatiua vulgò nuncupatur; Ita sanè ab ineunte lateris dolore, vt pleuritidem detegat, siccis vtitur fomentis, quæ tamen exquisitè pleuritidi tantum abest, vt quicquam prosint, vt potius impensè officiant. Ita vi. Epidem. sect. 7. textu primo: *Hos ita pressos nihil iuuit manifestè eorum, quæ tentaui, neque alui perturbatio, nec venæ sectio.* Loquebatur illic de constitutione quadam tussiculosa, in qua rheumatismus multifariam cum sæuis etiam symptomatibus afficiebat. Sic rursus libro de locis in homine in aurium dolore iubet, calida infundi medicamina, & si dolor ab his non sedetur, ad frigefacentia confugi; & inde subdit: *Et semper non sanantem variare oportet modum, & si quidem peius reddiderit malum, ad contrarium te conuerte.*

Neque hic amabo medicinæ calumniatores, & Iatromastiges in faciem, quod solent, obijciant, nempe in occultis, obscurisque morbis tentatiuas huiusmodi curas cum ægrotantium discrimine, magnoque dispendio fieri, quandoquidem, vt Hippocrates ipse libello de arte basilicè respondet: *Quæcunque ob id, quòd non satis noscantur, ægri mala perpetiuntur, ea non ad medicos curantes ipsis tanquam ad ipsorum auctores referenda sunt, sed ad naturam ipsius ægri, itidemque ipsius morbi.*

Et ex his patebit responsio ad argumenta in Thesi proposita; & quidem ad primum dicas, purgans pharmacum nō solum à specifica morbi natura indicari, verùm etiam genericè à corporis excrementosa colluuie etiam citra morbum. Si dicas, in ignoto morbo pharmacum purgans determinari non posse, cùm non sit maior ratio, cur cholagogum potius, quàm melanagogum adhibeatur: respondeam, præscribendum fore pharmacum aliquod catholicon, siue panchimagogum, quo omnes purgentur humores, & sic saltem ducetur etiam ille, qui in vitio est; dūmodo enim quod vitiosum est educatur, parui refert, si aliquid etiam vtilis eruatur simul, quod præclarum dogma ab Hippocrate libro eodem de locis in homine aucupari fas est, habet enim hęc à paucis fortè expensa: *Si quis in morbis quid permutaturus est, forti quidem ægroto, debili autem morbo, tùm quidem confidenter fortiore, quàm morbus est, medicamento vtendum est; nam etiam si quid de sano adducas vnà cum debili, ac ægroto, nullum detrimentum est.*

Ad tertium aio, purgans deorsum pharmacum semper tutius

esse,

esse, & quod facit emeticum, posse etiam largiùs efficere deiectorium; Quin addam ex Mesue, ventriculum vt officinam, non vt cloacam, hoc est ad coctionem, non autem ad purgationem, fuisse à natura institutum; vnde fit, quòd non semper, & in omnibus fæliciter cædit stomacho purgatio, quippe vomitus capiti, oculis, pectorique infestat; cuius etiam aliquando venas disrumpit; quin etiam à frequenti eius vsu chylosis infirmatur, fatiscente ventriculi tono, vnde deinceps atrophia, cachexia, hydrops, & mille id genus morbi efflorescunt.

Ad illud, quod ex Hippocratis, & aliorum scriptorum auctoritate inculcabatur, morbo videlicet medicamentum debere esse ἀντίῤῥοπον, seu æquiualens, dicam, id verum esse in alterantibus duntaxat, non autem in purgantibus, quæ si debilia fuerint, segniter humores ducent, si fortia, vehementer; ita consueuimus per epicrasin purgare exhibito medicamento, quod vniuersæ materiæ peccanti par non existit, neq; insuper totius peccantis materiæ tutò purgatio fieret Hippocrate magistro, qui in aphorismis dicebat: *Vniuersum, & repente euacuare malum, quod autem paulatim fit, tutò fit.*

Tandem quod dicebatur, non omnes morbos purgatione curari, sed alios neoterismo, nutricatu alios, volens libens fatear, ita tamen, vt asseuerare etiam liceat, in omnibus cuiuluis conditionis affectibus perpetuò conducere primas vias ab exerementorum sarcina vendicare.

ANTIPHΩNIA SECVNDA,

Sternutamentum deorsum trudat, an sursum trahat.

THESIS.

QVòd sternutamentum deorsum pellat, Hippocratis plurimæ testantur auctoritates: nam v. aphorismorum 35. ad vteri præfocationem, atque fætus exclusionem sternutamentum commendatur his verbis: *Mulieri, quæ ab vteri strangulationibus infestatur, aut quæ difficulter partum edit,*

sternutamentum superueniens bonum? Rursus xxxxix. eiusdem libri longè clariùs idem sanxit. *Vt secunda procidat, sternutatorium naribus apponens nares, & os apprehendito:* eandem sententiam inculcat iterum II. Epidem sectione v. in fine, vbi hæc. *Secundarum purgatio si quid supersit, ad nares apponere, vt sternutet, & apprehendere nares sternutantis & os.*

Porrò id verum censeri potest ex eo, quòd motu illo, siue concussione, quæ in sternutatione contingit, humores, imò & viscera deorsum quodammodo truduntur, quare succi, qui erant ante anarrhopi, fiunt impulsu illo catarrhopi, vterus deorsum pellitur, & eo conatu fœtus etiam, eiusque inuolucrum exploditur. Et hinc pariter est, quòd singultui sternutamentum opitulatur iuxta Hippocratis dictatum VI. aphorismorum XIII. *Singultienti, si sternutamenta superueniant, tollunt singultum.* Etenim non modo cerebrum sternutamento concutitur, sed & ventriculus quassatur tùm ob violentiam, cùm etiam ob generis communionem, ac neruos ad eum attinentes: vnde humores, qui singultum ciebant κάτω dispelluntur. Nempe sternutamenti, vti etiam tussis ea est energia, vt non modò, quæ in stomacho, vtero, vesica, & intestinis continentur, eius impulsu deducantur, ac deturbentur, verùm etiam ramices interdum consequantur insignes.

Si quæras ex auctario, quod nam sternutamentum & melius, & ad hæc efficacius, quod sponte excitatur, an quod pharmacis promouetur industriosè; vtriusque enim in præfatis textibus Preceptor meminit? respondeam, semper quod à natura fit, si loco, & tempore fiat, præstantius esse, quàm quod ab arte: vnde medicus imitator naturæ dicitur. Quando sternutamentum cit natura, capitis virtutum robur significatur, ac potissimùm expultricis, quæ contra morbificas causas insurgit, ac præualet: excipiendæ tamen erunt sternutationes, quæ ab erethismo in morbis pectoris, tracto cerebro in sympathiam, contingere solent, quæ vt plurimum Senis arbitrio vt signum, & vt causa læthales adueniunt, tametsi in alijs morbis salutem plerunque præsagiunt, vt in Coacis ijs verbis pronunciatur: *Coriza, & sternutamenta in morbis pulmonum præcessisse, aut consequi calamitosum, in alijs verò morbis maximè exitialibus adiumentum afferunt sternutamenta;* & alibi in eodem libro: *Quibus febrire incipientibus sanguis de naribus sternutatione contingente, destillat, & vrina subsidentiam albam in quarta die habet, septima die solutionem significat.* Hinc olim fortè sternutamentum inter omina locum habuit, vel teste Aristote-

stotele, qui illud vel sacrum appellat.

Sed maius acroama dabo, nouum videlicet crisis genus à nemine hucusque exaratum per sternutamentum habitæ. Iam octauus agitur annus, quo in patriam Leonissam valetudinis gratia æstiuis diebus concesseram. Hìc monialem Diuæ Claræ ordinis Cappuccinorum præ manibus habui, effera quidem, & intempestiua pleuritide laborantem, à qua summi Dei auxilio euasit. Vix decem, aut quindecim transactis diebus, iterum febre corripitur cum sæuo capitis dolore, vigilijs, raucedine magna, & aliquo expectorato sanguineo, quod quidem & ante morbum ex mensium forsan diminutione reddere consueuerat, vt ideò procliuis ad tabem à sodalibus censeretur. Hinc per me noua ministrantur remedia, sanguis denuò elicitur, humorum coctioni studetur, symptωmatibus omnibus consulitur, nihilque relinquitur, quod expedire existimetur. At morbus interim pertinax viget, neque vllis propugnaculis infringitur. Cæterùm in nona die, ni fallor, post vesperas, festinanter ad cænobium aduocor, accedo præpes, virginem inuenio iugi, ac perpetuo sternutamento quassatam, deiectam, cui nec mora, nec requies vlla ab illo, imò nec verbum efferre poterat, sed solum lacerari se, ac frangi in capite, manibus annuebat; iam enim tres præterierant horæ ab interrupta sternutatione. Hæc cùm vidissem, plurima, eaque valida properaui remedia. Iussi ad crura ligaturas arctas, fortesue frictiones fieri, ad brachia dolorifica adhiberi, dorso, & spatulis magna flamma cucurbitulas inuri, fortiores clysteres immitti, tametsi ægrè, vel nullo modo, quòd incessabile sternutamentum admitti non pateretur: coronali suturæ insuper profundè inustio affigitur: mithridatum cum castoreo exhibeo, oculorum angulos fricari iubeo, quod sternutamentum intercipere solet, faciei frigidam aquam affundi ex improuiso: frustra tamen omnia: quare imminentem conuulsionem eximebam, iamque viribus effæta, & prorsus aphωna reddebatur, vnde coactus fui etiam ad narcotica confugere, vt cerebri expultrix irritata compesceretur; & his omnibus præscriptis domum reuertor, & per aliquod spatium videtur non ita perenne sternutamentum reddi. Perseuerauit affectio vsque ad nonam noctis horam, postquam cessauit omninò calamitas: ita, vt sequenti die & febre, & omni alio defuncta fuerit symptωmate. Iatrologismum hunc describebat in suis obseruationibus per me traditum eruditissimus Petrus Seruius Romanę olim sapientiæ decus, sed morte præuentus publicæ vtilitati, & luci reddere nequijt.

AN-

ANTITHESIS.

Hæc vera cùm sint, qui potest idem sternutamentum conuenire, quandocunque rectum intestinum excidit? Similium vt est eadem ratio, ita dissimilium dispar. Sicut concussio illa à sternutamento facta chorion, & fœtum propulsat, & explodit, ita minori cum labore sedem iam delapsam, vlteriùs propellet, tantum abest, vt sursum versus retrahere debeat. Sed ipsum audiamus lib. de fistulis num. 5. *Cùm sedes siue rectum intestinum exciderit, & in loco suo manere noluerit, silphium optimum, ac densissimum derasum tenue inspergito, & sternutatorium medicamentum ad nares apponito, & hominem ad iram exarcebato.*

Dictati tamen illa potest esse ratio, quòd cerebrum dum in sternutatione contrahitur, vniuersum penè corpus quatitur, & viscera maximè accurrunt, sursumque attolluntur, vnde, & ipsum procidens intestinum sublimè reuocari poterit: Etenim quemadmodum in singultu sursum pręcordia cum ipso ventriculo contrahuntur, ita & in sternutamento, quòd est veluti singultus quidam cerebri, inferna etiam intestina sursum euocantur, ac penè fugaciter conuelluntur.

SYNCATATHESIS.

Vindicabitur ab omni antilogia Hippocrates, & hic, illic reddetur symphonos, si hoc vtamur diorismo. Nempe sternutamenta vel ore, & naribus patulis cieri, vel clausis vtrisque; apertis naribus si fiant, vniuersa commotio, & quassatio in solo recipitur capite; & quoniam sternutamentum est parua quædã epilepsia, hęc verò nonnisi conuulsio, inde accidit, quòd ad huiusmodi sternutationes omnia ferè neruacea membra sublimè feruntur, atque adeò & ipsa quoque intestina sursum retrahuntur. At verò si obstrictis naribus πταρμός efficiatur, totus ille spiritus, qui è cerebro excluditur, dum per nares exilire prohibetur, impetum facit, & in infernas partes irruit, è quibus, quæ continentur excludit, imò & continentia ipsa deorsum rapit. Iam ad vteri ascensum, qui strangulationem facit, ad fœtum excludendum, ipsumque puerperium effundendum sternutamentum commendat Hippocrates ore, ac naribus com pressis, & obseratis; id quod palam, liquidòque innotescit ijs verbis: *vt secunda procidat,*

cidat, sternutatorium naribus apponens, nares, & os apprehendito, vt scilicet totus impulsus ad interna reflectat, & spiritus per interiora erumpens infima excutiat. Ita nimirum ob eandem rationem primo de morbis mulieribus num. XVI. ad secundam expellendam spiritum continere puerperam iubebat: *Et spiritum continere iubere*, qui quidem dum per os, naresque exitum non habet, alias vias vi parat sibi per infernam regionem. Secundo etiam de morbis mulierum num. XXXXIII. rem eandem ita definiuit; ibi enim causas recensens, quibus vteri excidunt, ait sic: *Vteri excidunt ob hæc maximè aliquando verò ad sternutationem; non enim violatur, si per vim sternutans non apprehenderit nares*.

Vbi verò procidentem anum reducere consilium est, sternutamentum quidem adhibet, sed supernis meatibus reseratis, ac prorsus dilatatis, quomodo viscera cuncta, ipsaque simul intestina attolluntur, ac breui tempore quasi conuelluntur.

Sed Parergon. Cur potest ad iram exacerbatio intestinum sursum reuocare, vt lib. de fistulis legitur? Etenim dum sanguis ira feruet, & cor contrahitur, quasi & reliqua viscera sursum versus contrahuntur, ac tota natura sublimè fertur, vnde videre est, infernas partes apud iracundos tremore concuti, supernas verò turgere, percelli, inflari, & inflammari, quod ex arteriarum pulsatione in temporibus, prominentibus oculis, inflatis buccis, & capitis dolore innotescit. Et quot insuper ex ira obiere, statim strangulato calore, & facultate animali oppressa? Vuinceslaus Caroli Quarti filius ex ira concitata perijt apoplecticus. Sylla Puteolis iræ impetu, dum vocem immoderatam attollit, conuulso pectore spiritum cruore mixtum exhalauit. Alios omittam, qui ex ingenti ὀργῇ animique concitatione paralysi correpti fuere. Cæterùm, quòd cor quasi conuellatur in ira, & in cerebrum contrahatur, docuit VI. Epidemiorum dictator his verbis. *Ira contrahit & cor, & pulmonem in se ipsa, & in caput, & calida, & humidum*. Vide, si lubet, apud Vallesium sententiæ huius hypomnema.

ANTIPHΩNIA TERTIA.

Ićterici an fiant flatuoſi.

THESIS.

QVinto aphoriſmorum vltimo medicorum regulus habet. *Ićterici non admodum flatuoſi*. Probari hoc thema inde poteſt primò, quòd bilis, cuius eſt comes ićteritia, calidiſſimus eſt humor, quare vbi is per corporis vagatur ambitum, nequeunt flatus produci, imò ſi adſint, eiuſdem ab acrimonia, & feruore attenuati diſcutiuntur ocyùs. Vt fidem rationi adiungas, hoc vtere experimento. Vrinarum ampullas, quæ à flatibus, ijſque plurimis, ac validis excitantur, ſi modica bile attingas, euaneſcent ićtu oculi: hinc fit, quòd ſi quando vrinarum ampulloſarum hypoſtaſim præ faſtu conſpicere nequimus, edućta paruo ſtilo aurium ſorde, quæ valde amara, & binoſa exiſtit, (nam dulcis læthalis ab Hippocrate indigitatur ſexto Epidemion ſećt.v. vbi hæc: *Hominibus aurium ſordes dulces quidem lethales, amaræ verò non*) lotij ſuperficiem tangimus, & continuò fugantur ampullæ, ſeſeque vrinæ ſubſtantia vndique prodit.

Adhuc ićterici plerunque feruidiori hepate præditi eſſe conſueuerunt; at vbi calidiora ſunt viſcera, flatus, qui à debili calore deducunt ortum, dominari nequeunt.

ANTITHESIS.

ATqui tertio Epidem. ſećt. tertia, vbi Apollonius deſcribitur, oppoſitam ſententiam his legimus verbis: *Erat autem magnis viſceribus, & circa hepar dolor continuus, omni tempore comitabatur, & ſanè tunc ićtericus fiebat, & flatuoſus, colore ſubalbido, comedens autem, & bibens bouinam carnem*; & quæ ſequuntur. Porrò antitheton eò maius cenſeri poteſt, quò argumentum ab exemplo, & experimento longè efficacius in rebus medicis cenſeri debet; quippe, vt aiebat Celſus: *vbi rei medicæ experimentum fidem facit, abijciendæ ſunt rationes*.

Confirmatur inſuper euentu; quandoquidem ićterici omnes ſi du-

diutius bilis effusio perduret; in eam hydropis speciem abire solent, quæ tympanitis nuncupatur; hæc autem à prædominante flatu originem ducit, quòd ipsa tympanitidos onomatopeia declarat.

Neque interim rationibus sententia destituitur, quarum vna esse potest, quòd icterici plerunque hypochondriaci existant; hypocondriacæ verò passionis inseparabiles comites sunt flatus. Adde his, quòd icterici sunt, & melancholici; hi verò, vel Philosopho arbitro in problematibus, flatuosi audiunt semper.

Præterea morbus regius naturalium partium emphraxin arguit; quandocunque verò obstructio isthæc reperitur, flatus perpetuò consequuntur. Adhuc icteriodees stiptica aluo premuntur, quòd bilis per cholidocum illum ductum è cysti fellea ad ieiunum intestinum peruium nequaquam excurrat, vnde ad corporis peripheriam resilit, regurgitatque. Iam duram, constrictamque aluum flatuosi comitantur spiritus, qui mox morborum ilias producere queunt; adeò vt Præceptor lib. de flatibus illos omnium affectionum parentes esse, enunciare non fuerit veritus.

Rursus flatus non minus à debili calore secundum naturam, quàm à forti præter naturam, qualis in icterico reperitur, excitantur; attenuantur enim ab immoderata caliditate humores crassi, atque in halitum attolluntur. Adeas lector Cæsalpinum in quæstionibus Peripateticis, vbi bellè probat, rerum calidarum vsum flatus affatim producere, & calida omnia posse pneumata discutere, verùm eorundem generationi non parum adminiculari; ideòque monet, frigidiora semper esculenta adhibenda esse, vbi flatuum generationem consilium est inhibere. Nec sinit nos mentiri experimentum; quippe allium crudum, si comedatur, vberem parit flatuum prouentum, eo quia acerrima, qua præditum est caliditate, fundit, attenuatque in halitus crassos, tenacesque humores: quare, vt arbitror, flatus, qui ab esu allij erumpunt, non solùm sunt, qui antea geniti erant; verùm etiam post geniti à nimio ipsius allij calore. Non mentiar, si auctorem adducam vnum Hippocratem; is namque secundo de diæta num. 14. allium examinans hæc habuit inter alia; *flatum autem inducit propter spiritus intensionem*: & lib. de victus ratione in acutis luculentiùs adhuc sic: *Allium flatum, & calorem circa thoracem facit*. Bilis itaque prouentus, eiusque per corpus effusio flatuum generationem mirificè facere potest; ideòque ictericos flatibus obsedi, non est à ratione alienum.

SYN

SYNCATATHESIS,

Difficultatem hanc, & sententiarum apertam antiphrasim nonnulli odorati censuerunt, Hippocratis ipsum aphorismum legendum esse sine particula, *non*, ita vt dicatur: *Icterici valde fiunt flatuosi*; facilè enim aiunt, addi potuisse græcam illam litterulam οὐ, quæ, *non*, signjficat. Enimuerò si in aliquibus exemplaribus antiquis id haberetur, vtique lis omnis dirempta esset; atqui cùm codices omnes particulam illam negatiuam contineant, isthæc responsio gratis affertur.

Elegantissimus Mercurialis in prælusionibus Patauinis cap. de ictero sentit, flatuosos eo loci apud Hippocratem illos duntaxat intelligi, qui flatus eructando emittunt; idque ex eo, quòd cùm ructus huiusmodi à pituita in ventriculo congesta oriantur, vbi prædominatur bilis, pituitosa ista colluuies reperiri non potest. Verùm non video, cur vir doctissimus verbum πνευματώδεες, coarctet, referatque duntaxat ad eructantes; Neque raro contingit, vt ob viscerum antipraxiam bilis in toto corpore diffluat, pituita verò in ventriculo fluctuet; imò ita passim accidere videmus: quisquis enim retorrida iocinoris intemperie afficitur, simul est cacostomachos ob frigidam discrasiam. Adde insuper, quòd ructus non à cruditate solùm ventriculi, verùm etiam ab ipsis tum esculentis, tum potulentis, quæ assumuntur, trahunt originem, vt libro de flatibus num. IX. Hippocrates basilicè docet his verbis. *Cum multorum autem ciborum ingestione necesse est, & multum spiritum ingredi, omnia enim, quæ eduntur, & bibuntur, spiritus in corpus ingerunt, aliquando etiam pauciores. Inde autem id manifestum fit, quòd plurimis eructationes post cibos, & potus euenire solent, discurrente nimirum aere incluso, vbi perruperit bullas, quibus fuerat inclusus.*

Fuksius, & cum eo Ioannes Heurnius, ambo quidem emunctæ naris viri in eiusdem aphorismi commentario putarunt, Hippocratem ibi ἰκτεριώδεες non à morbo, sed à natura describere; hoc est, eos, qui bile naturaliter diffluunt, quales sunt in primis, qui oculos flauos perpetuò referunt, ore perennè amarescunt, totaque pallescunt cute, atque membris gracilescunt complexionis merito; hi namque calidissimi cùm sint, flatus haudquaquam progignunt. Profectò arrideret huiusmodi paragoge, nisi Galenus hic testaretur, Hippocratem eo loci de vero morbo regio verba facere, non autem de naturali icteriodi; neque insuper, vt supra

pro-

probauimus, verum absolutè est, non gigni flatus, vbicunque caloris est exuberantia.

Hollerius Galeno astipulatus, vbi Fuksium damnauit, in eam iuit sententiam, nempe Hippocratis tempore, quo σωφροσύνη, siue frugalitas imperabat, icteritiam nunquam à cruditate, atque obstructione, sed à bilis duntaxat effusione ortum habuisse; sęculis verò nostris, in quibus ebrietas, ac lemargia vigent, affectionem ab ingluuie potius, & intemperantia exoriri, ideoque, subiungit, prisco illo æuo veritatem obtinuisse aphorismum, nostro verò fallere. Quid multa? opinatur vir egregius, quòd quotiescunque à simplici bilis effusione, vel copia, hepatisque calidiori intemperie icterici fiunt, flatibus nunquam infestantur; vbi verò ab infarctu cum ventriculi imbecillitate enascitur icterus, perennes associentur flatus. At parcant celeberrimi Auctoris manes, neque hæc sententia vndique plausibilis accedit; siquidem aphorismi sunt quasi perpetuę veritatis dogmata: & rursus cur apud aliquos eius ætatis παμφάγυς aut minus frugi viros icteritiam ab emphraxi obseruare aliquando non debuerat Hippocrates? imò re ipsa in Apollonio supra relato ex 3. Epidemiorum vidit palàm; ille enim erat magnis visceribus, dolore circa hepar affligebatur, colore erat subalbido, quæ omnia obstructiones indigitant liquidò, in quas nimirum inciderat ob carnem bouinam, & crudi lactis plurimum, quibus vsus fuerat.

Tantorum virorum responsionibus, & conciliationibus explosis, liceat proprias exarare. Primò ergo respondere fas erit, Hippocratem nequaquam absolutè detrectare, quòd icterici non fiant flatuosi, sed quòd non admodum fiant; addit enim verbum πάνυ; bilis namque per vniuersum vagans corpus flatuum generationi obsistit.

Dicas secundò, Præceptorem in aphorismo illo de pura, & exquisita icteritia locutum esse, hæc autem citra viscerum obstructionem, humorumque crassitiem contingit, ideoque flatibus caret. At verò tertio Epidemiorum, vt verbis ipsis innotescit, regius morbus illegitimus, ac nothus describitur, qui à viscerum infarctu, & succorum crassitie ob esum bouinæ carnis, crudique lactis plurimi oriebatur: vnde flatus fiebant perpetuò comites.

At longè magis ingeniosa tertia hæc responsio erit. Porrò vox πνευματώδεις non significat solùm flatuosos, verùm etiam impetuosos, furiososque; πνεῦμα enim animi quoque impetum significare potest. Et quoniam icterici segnes, pigri, torpidi, ac tristes euadunt, iccircò admonere voluit, vt arbitror, Hippocrates, ictericos non

fieri

fieri impetuosos; cùm enim tota ferè bilis ad corporis peripheriam effundatur, nec viscera ab ea excandescunt, nec cerebrum irritatur, nec turgent, furiuntque humores alij, ideoque membra omnia torpescunt, & vsque adeò icterici ignaui redduntur, vt impetum nullum ag re queant, omnique spiritu, thimosi, & ὀργῆ destituti hebescant. Hinc obseruare est, non multò post, refrigeratis visceribus, ac sanguine pituitescente, hydropem, aut colicam superuenire.

ANTIPHΩNIA QVARTA.

Renum dolor grauis sit, an acutus.

THESIS.

SExto Epidemion in principio renum dolorem non acutùm, sed grauem Hippocrates his verbis decernit: *In renem dolor grauis cùm implentur cibo.*

Ratio videtur suadere, quòd cùm renes exquisito sensu præditi haudquaquam sint, doloris acutie percelli nequeant; quòd autem valido sensu destituantur, cùm eorum densiori texturæ, tum etiam exilium neruorum insitioni acceptum referri potest. Id probant experimento, qui nephriticis adiudicantur doloribus; quamuis enim ab illis vacent, de iugi tamen renum grauitate potius, quàm acutie queruntur semper.

ANTITHESIS.

SEd libro de internis affectionibus numero xv. acutum renum dolorem constituit his verbis: *Quatuor ex renibus oriuntur morbi. In primo sic æger affligitur: dolor acutus in renem, lumbos, & testem ad renis regionem ingruit, frequenter vrinam reddit, & paulatim vrina supprimitur.*

Neque absque ratione id assertum censeas, quippe, vt autopsia quotidie comprobatur, nephritici dolores vehementissimi, & acutissimi lancinant, ac torquent.

SYNCATATHESIS.

DOlor, qui in ſubſtantia renum percipitur, ibi ſiſtente calculo, vel alia ſtabulante materia, grauis reuera exiſtit, eò quia renes ſenſu nequaquam excellant, vt in Theſi dicebatur; & hunc dolorem ſexto Epidemiorum enarrat Magiſter. Atqui dolor, qui ad vreteres pertingit, eò deductis aſperiori arenã, vel calculo, vtique peracutus eſt, ac pungens, quòd vaſorum illorum natura neruea eſt, & exquiſito imbuta ſenſu, atque de hoc libro de internis affectionibus effatur; quod profectò ex verbis ipſis colligitur, nam eius naturæ dolorem eſſe, enunciat, vt ad lumbos, ac teſtes pertingat, quod neutiquam contingit, niſi cùm dolorificã materia vreteres primariò premit, afficitque, & ſimul adiacentes, annexaſque particulas lancinat. Et eſt hoc adeò verum, vt interdum & medici, & nephritici ipſi bona ſpe decipiantur, videntes enim dolorem, qui priùs atrocia vexabat, ſedatum penè eſſe, exiſtimant, calculum in veſſicam iam deſcendiſſe, aut alio modo detritum ceſſiſſe, quod tamen nequaquam contingit, ſed quia ab vretere in renem refluus factus eſt ille, ideò, qui ſæuus antea dolor vrgebat, miteſcit, ac remittitur; at calculo iterum in vreterem relapſo, truculentior denuò excitatur. Adde, quòd ſexto illo Epidemiωn tũc tãtummodo grauem dolorem ſtatuere videtur, cùm ægri implentur cibo; quòd ſcilicet eſcarum vbertas inteſtina repleat, hæc repleta comprimant, grauentque renes, qui craſſo inteſtino per peritonæum nectuntur, & alligantur; vnde pariter contingit, vt inteſtinorum cum renibus, renumque cum inteſtinis, & vtrorumquẽ cum ventriculo tanta intercedat communio, & ſympathia; nam colicus dolor, & nephriticus ab initio vix diſcriminari poſſunt, & ſapientiſſimos etiam viros ob ſymptωmatum ſimilitudinem ambo deludunt, vt ipſum quoque Galenum aliquando deluſere.

ANTIPHΩNIA QVINTA,

Caluitium fiat ne à pituita, an à bile.

THESIS.

LIbro de natura pueri num. 18. ac 19. ita Magister tradit: *quicunque autem calui fiunt, hi sanè pituosi sunt, & pituita in capite ipsorum simul cum capite agitata, & calfacta ad cuticulam allabens pilorum radices exurit, & defluunt pili.* Confirmat secundo Epidemior. sect. 5. num. 2. vbi hæc: *Hydropici charopi, & calui fuerint;* in hydrope autem salsa, putridaque redundat pituita, quæ capillorum radices corrumpere valet. Thesin euentu cõprobat sic eodem libro de natura pueri: *Eunuchi propterea calui non fiunt, quòd vehementem motum non faciunt, neque pituita in coitu calefacta pilorum radices exurit.*

ANTITHESIS.

VErùm secundo Epidemior. num. 20. sic legitur: *quorum pectora bilem geuerant, balbi, furiosi, & calui sunt.* Neque id ab re dictum putare quis debet; siquidem caluitium caliditatis est soboles, quæ dum nimium humiditatem dissipat, pilorum radices arescere facit. Quid multa? Vulgus etiam caluitiem excedentis caloris reputat effectum, ideoque & libidinosi audiunt calui, quò scomma illud in Cæsarem dictatorem collimabat: *Romani seruate vxores, mœchum caluum adducimus.*

SYNCATATHESIS,

ET bilis, & pituita caluitium efficere possunt, illa quidem exurente, hæc verò putredinosa, & salsa caliditate; Enimuerò pituita simplex, ac naturalis haudquaquam pilos, eorumque radices exædere potest, quare ascititiam qualitatem asciscere debet, vtpote salsuginosam, putridam, acremque, seu mordacem, qua ratione haud multum à bile discrepat. Cæterùm bilis, eiusque vapor feruidus pituitam in capite aut exagitat, aut calefacit, & corrumpit, vnde mox pilorum radices sterilescere possunt;

& sic

& sic bilis mediatè, immediatè pituita caluitium gigne e dici potest.

ANTIPHΩNIA SEXTA.

Epilepsia à quanam causa excitetur.

THESIS

LIbro de flatibus Senex Cous epilepsiæ causam flatibus acceptam refert: ea sunt verba: *Videtur autem mihi, & sacrum appellatum morbum ab ipsis flatibus gigni*; quod quomodo contingat ita explicat: *cùm plurimus spiritus per vniuersum corpus vniuerso sanguini fuerit permixtus, multæ oppilationes fiunt multifariam per venas; quòd si ergo in crassiores, & sanguine abundantiores venas copiosiùs aer irruat, & irruens ibi hæreat, sanguinis transitus inhibetur; alibi igitur quiescit, alibi lentiùs mouetur, alibi celeriùs; qua sanè inæqualitate transitus sanguinis per corpus facta, omnigenæ inæqualitates proueniunt; omne enim corpus vndequaque contrahitur, ac turbantur corporis partes, ipso sanguine tumultui, ac perturbationi subseruiente; ob sanguinis autem peruersionem totius quoque corporis subuersiones vndequaque gignuntur.* Vide reliqua. Subdit hæc postremò: *quomodo autem liberentur ægri à morbo, & tempestate præsenti, ego dicam: quando vehementi motu agitatum corpus incaluit, calefit & sanguis; is calefactus calefacit vicissim & flatus; hi calefacti dissoluuntur & ipsi, & consistentiam sanguinis simul dissoluunt, proceduntque è corpore partim cum spiritu, partim cum pituita eiecti.*

Assertio hæc probari posse videtur ex eo, quòd nihil magis animales spiritus perturbare, obruere, ac penè fugare potest, quàm crassus, & fuliginosus halitus, atque aura caliginosa; perinde ac mare placidum, vndasque mites austro, & choro turbinatim reuolui, & confundi videmus. Et sanè Auerrhoes quoque, teste Erasto parte quarta disputationum contra Paracelsum, à flatu epilepsiam suscitari, multis probare contendit. Vide, si placet, rationes.

Præterea, vt vertigo, quæ est parua epilepsia à vaporum turbine, ac flatibus exoritur, ita & epilepsia, quæ est maxima vertigo, ab

ijsdem fortiùs imperentibus ortum ducet. Id ipsum suadet paroxismi breuitas, quæ flatuosam potius arguit materiam; neque insuper prætereundum, quòd sæpè paroxismum multa consequitur eructatio. Det corollidem Paracelsus: *Vt in magno mundo*, inquit, *vapor intra ouum, aut putamen compactus, sulphure, sale, mercurio maturatis, atque putamine propter ebullitionem disrupto, cùm violentia, & strepitu erumpit, ita in homine quoque vapor velut intra ouum conclusus, cortice fracto, exilit, ægrumque tanta vehementia prosternit*. Sic alibi auctor idem affirmabat, nil aliud esse epilepsiam, quàm tonitru.

ANTITHESIS.

AT libro de sacro morbo apertis fidibus auctor docet, à pituita comitialem morbum oriundum esse, sic enim num. 7. habet: *At verò morbus ipse fit in pituitosis*; num. verò 13. luculentiùs ijs verbis: *Et liberatio difficulter contingit; cerebrum enim humidius, quàm pro natura, fit, & præ pituita inundat, vt defluxiones quidem frequentiùs fiant, non autem ampliùs possibile sit pituitam excerni*. Et rursus paulò infra ex caprarum, quæ hoc tentantur morbo, capitum sectione probat euidentissimo experimento, ait enim: *Si caput ipsarum dissecueris, reperies, cerebrum humidum esse, & sudore refertum, ac maleolens*.

Neque sanè multis est opus, vt antitheton suadeatur; nam cerebri pituitosa colluuie dum ventriculi infarciuntur, spirituum generationi, atque explendescentiæ redduntur impares. Sed rationum omnium instar esto experimentum illud ab Hippocrate relatum, caprarum videlicet cerebrum ichorosa colluuie, ac sudore perpero imbutum; cui addas, quòd non priùs à paroxismo epileptici expediuntur, quàm ex ore, vel naribus pituitosum quippiam effundant; quin etiam ipso in paroxismo magna succi pituitosi destillatio contingit, quod palàm fit ex iugi illa, ac strepitosa deglutitione, quam patientes agunt. Non hìc tamen disceptandum erit, num à sola, & simplici pituita nulla pręterea aliena qualitate imbuta ortum ducat epilepsia, an verò arcanum quid insuper, & veneficum superaddi, sit necesse, quippe caracterem aliquem sonticum requirunt Neoterici plerique; sat est in præsentiarum ad rem nostram statuere, comitialem morbum vni pituitæ sua debere natalitia.

SYNCATATHESIS.

IN libro de sacro morbo Hippocrates de epilepsia per idiopathiam in capite agit, quæ reuera à pituita in cerebro corrupta, eiusdemque maligno quodam caracterismo producitur, vt in libro eodem Auctor ratiocinatur. At verò in libello de flatibus de epilepsia per sympathiam à subiectis partibus verba facit; hæc autem ab aura quadam praua, fumo tetrico, & spiritu malefico oritur semper: & hinc est, quòd Aristoteles libro de somno, & vigilia epilepsiam ex vaporibus fieri, testatur; aura verò, fumus, & spiritus congeneam cum flatibus naturam obtinent, verbum namque græcum πνεῦμα & spiritum, & flatum æquè significat. Vel dicas immediatè à pituita, mediatè à flatu hunc morbum excitari, nisi enim flatus pituitam turbaret, agitaretque tanquam impetuosus chorus, & auster, paroxismus haudquaquam excitaretur.

Porrò vsque adeò vera est hęc doctrina, vt epileptici multi referant, instante, & adueniente paroxismo, impetuosum quendam ex affecta parte ascendentem flatum, seu spiritum nunc frigidum, aliàs calidum percipere, donec cerebrum inuadat, ac miseri concidant. Virgo formosa erat, quæ per duas horas ante epilepticum insultum halituum turbines ad caput eleuari, sentiebat; vnde misera calamitatem præsagiebat. In nonnullis adhuc ante paroxismum magnus excitatur in ventre borborigmus, post quem flatuum sursque, deque succedit eruptio. Cæterùm sicut flatus, quoniam sanguinem perturbant, febrium, & apoplecticarum passionum, sanguinisque feruoris sunt causa, teste Hippocrate; ita etiam ob eandem rationem epilepticos insultus excitare possunt, vt graphicè Physiouates Lucretius lib. 3. his concinit verbis:

Nimirum quia vis morbi distracta per artus
Turbat agens animam, spumanti vt in æquore salso
Ventorum validis feruescunt viribus vndæ.

Et huc sanè collimat obscura illa sententiola, & quasi enigma breue secundo Epidemiωn sect. v. num. xI. vbi legitur Ἀνεμιὴν φλεβοτομίη *Anemien venæ sectio*; vox illa *Anemien* morbos à flatibus criundos denotat, inter quos apoplectici, & epileptici affectus, febres, & sanguinis ebullitio recensentur, quos omnes venæ sectio vel aufert, vel mitigat, quoniam sanguinis, & humorum fastum vel aufert, vel deprimit.

Dabit, lector, auctarium tibi Cardanus secundo Aphorismorum

in commentario quadragesimiquinti, vbi hæc ad rem: *Differentia apoplexiæ & epilepsiæ nostra, & cũ Auicẽna, & Auerrhoe est, quòd apoplexia fit ex materia, comitialis ex flatu; Galenus credit, quòd ex materia, sed nõ est verum, primũ, quia nõ adeò breues haberet accessiones; secundò quia ab accessione non perfectè liberarentur, quò enim detrudi deberet illa materia? tertiò, quia plures comitiales morbi transirent vel vitio regiminis, vel ob hyemem in siderationem, cùm tamen videamus multos laborare viginti annis comitiali morbo, nec tamen corripi sideratione; quartò quia videmus expressè, & Galenus ipsemet fatetur, ascendere flatum in his, qui eum morbum per consensum patiuntur, ergo si fieret ex materia, esset multò deterior, &c.* Cæterùm Schenchium adeunto lib. primo obseruation. medicinal. apud quem plurimas perleges historias epilepticorum, qui manifestè ex parte aliquã flatum, halitumue ascendentem ad cerebrum in paroxismo percipiebant.

ANTIPHΩNIA SEPTIMA.

Ad lapidis generationem in vessica quæ nam ætas aptior sit.

THESIS.

TErtio Aphorismorum 26. ætatem describens auctor ad lapidis in vessica generationem idoneam, sic ait: *At verò cùm pubertati fuerint proximi tonsillæ, asthmata, vessicæ calculi.* Porrò quoad vessicæ lapidosam coagmentationem μετ' ἥβησιν est ratio euidens; siquidem in pubertate lapidis tum materia, tum efficiens causa in promptu est; materia quidem, quoniam ex lęmargia, seu victus intemperantia viscidæ pituitæ copia cumulatur, quæ mox vessicæ infirmitate, aut segnitie diu retinetur, neque, vt par est, expellitur ocyùs, animali virtute non ita vegeta, & neruorum robore non dum plenè firmato. Est & præstò efficiens causa; siquidem tunc natiuus effulgescit calor, neque humidiori temperamento, vt in infantia hebescit, sed acutior factus vehementiùs agere incipit. An fortè pubescentibus idipsum insuper contingit, quòd eo temporis hirquire incipiant, atque adeò

natu-

natura tota ad pudenda sese conuertat, & ad generationis organa, quibus finitima est vessica? vnde cum spiritu, sanguine, ac semine affluit quoque excrementorum colluuies eò liberaliùs, quòd ætas hęc φιλοπότης plerunque existit; potus autem vbertas, ac nimietas secum ad vessicam saburram transuehit. Idipsum quotidiana suadet experientia; siquidem frequentes in hac ætate lapides coaceruantur.

ANTITHESIS.

AB hac sententia tamen longiùs abit quarto de morbis num. 28. vbi lapidem in vessica frequentiùs coagmentari tradit, cùm lac pueri bibunt, ideòque infantiam ad huiusmodi synagma aptiorem esse liquet; ait enim sic: *Cæterùm calculi morbo principium oboritur à lacte, vbi puer lac impurum sugit.* Confirmat libro de aëre, aquis, & locis num. 24. vbi illa: *fit autem pueris etiam ex lacte, si non salubre id fuerit.* Quin sexto Epidemior. catholico sancito id ipsum indixit sectione tertia textu XIII. vbi legitur: *Post mictum concretio in pueris præcipuè; Numquid quia calidiores?* Neque huiusmodi logismos rationis fulcimine defraudatur; lac enim præsertim impurum lapidibus coagulandis proximā præstat materiam; nam, quæ in eo caseosa portio reperitur, facilè glutinescit, arescitque, vbi presertim calor feruens, vt in pueris, inuenitur; butyrosa verò in ætate maximè præferuida exardet faciliùs, vnde lapidis efficiens, & materialis causa in promptu fiunt: Porrò eodem consilio Galenus non vno in loco caseum damnat, vt qui synagmati lapidoso mirè conducit.

SYNCATATHESIS.

ANtiphrasis nulla in hisce sententijs extat; nam in Aphorismis ætatem ad lithiasin idoneam ex temperamento recenset, cuius merito, vt probauimus, & materia, & efficiens promptè absunt. At quarto de morbis, & libro de aëre, aquis, & locis de lapidis non rara congestione loquitur, quæ nō ab ipsa naturali puerorum temperie ortum refert, verùm à lactis impuritate, atque nutricis vitio. Etenim ijsdem morbis obnoxij reddimur tum naturali dyscrasia, tum vitiosa dięta. Cæterùm nulla est insuper in his ætatibus distinctio; namque puerorum nomine intelliguntur tam infantes, quàm paulò adultiores, & qui ad

pubertatem ascendunt; & Hippocrates dum asserit, ab impuro lacte lapidis principium oboriri, non intelligit, quòd pro eò tempore, quo lac puer exugit lapidosum synagma struat, sed quòd inde deducta origine, ætatis progressu lapis innotescat.

Si petis, auide lector, auctarium dabo libens: Cur pueros, non puellas ex impuro nutricis lacte ad vessicæ lapidem coaceruandũ idoneos esse, tradidit Hippocrates? Ratio est ex Aristotele, quoniam mulieres ob vessicæ collum breuius, ampliusque minus obnoxiæ fiunt lapidosæ coagmentationi, fortè etiam ob mensium effluuium; Hinc basilicè valde Iacobus Forliuiensis in commentario septuagesimi Aphorismi quarti libri suo loquendi modo aiebat: *Collum vessicæ in puellis est breue, & amplum valde; quin superfluitates vessicæ per illud facilè effunduntur; sic autem non est in pueris.*

ANTIPHΩNIA OCTAVA.

Febres ardentes æstate, an hyeme fiant magis.

THESIS.

Tertio aphorismorum vigesimo primo Senex magnus hęc protulit: *At verò æstate & febres continuæ, & causi, & tertianæ plurimæ.* Luculentiùs adhuc secundo Epidemiorum sectione prima: *febres ardentes in æstate magis fiunt.*

Sententiam præter quotidianum experimentum suadent quoque rationes, quarum esto hæc prima, quòd æstiuo tempore, vel ipso Hippocrate arbitro, viget ac dominatur biliosus humor causorum promus. Secunda quòd tunc magis has febres fieri, necesse est, cùm promptiùs in humoribus ebullitio, atque alta putredo excitatur; atqui hę in æstate maximè ob ambientis æstum contingunt. Sed rationum instar omnium Hippocratis accedat auctoritas, qui lib. de victus ratione in acutis, ardentem febrem fieri tradit, *cùm venulæ æstiuo tempore exiccatæ, acres, & biliosas, quæ tenues sint, trahunt ad se humiditates, quas ichores vocant*; quod primo de morbis iterum inculcat. His quoque addatur, quòd in æstate & horarij fructus plurimi esitantur, & potationes frequentantur, vnde putredinosa bilis colluuies accumulatur, cùm præ-

sertim

ſertim aſcititio tunc æſtuent calore viſcera, ipſum verò natiuum calidum ſit valde rarefactum à Syrio, de quo Vates:

Ille ſitim, morboſque ferens mortalibus ægris.
Naſcitur, & ſæuo contriſtat lumine Cælum.

Enimuerò, vt eſt certum, ventres hyeme, ac vere calidiſſimos eſſe, ita eoſdem in æſtate influente calore effœtos reddi, indubitatum cenſeatis.

ANTITHESIS.

PAlinodiam tamen recinit ſummus Aſclepios libro de affectionibus num. 7. vbi ſic. *Febris ardens, phrenitis, hi morbi acuti vocantur, & fiunt maximè quidem, ac fortiſſimi hyeme, fiunt etiam in æſtate, verùm minus, & molliores.* Et ſanè eò magis diſſona videri poſſet hæc ſententia, quò tertio aphoriſmorum, vbi de morbis, qui in hyeme frequentiùs accidunt, verba facit, neque cauſum, neque phrenitidem recenſet. Confirmatur tamen ex primo Epidem. ſect. tertia, vbi hyemales cauſos Hippocrates enarrans, ex illis plurimos perire aſſeuerat: Verba ſunt: *Hyeme ſub ſolſtitium hyemale, & vſque ad æquinoctium durabant quidem & cauſi, & phrenitides, & moriebantur multi.*

Hippocrati aſtipulatus eſt Ariſtoteles 14. ſect. problematum tertio, vbi hæc habet: *Cur in frigidiſſima regione febres ardentes magis fiunt? an quòd repercutit ad interna frigiditas ipſum calorem: æſtate autem cõtrarium euenit, quia interiora frigidiora ſunt: at cauſa febris exterioribus infrigidatis interiora facit calidiora.*

Porrò ex hoc Philoſophi problemate rationes eluceſcunt, vnde ipſa Hippocratis antitheſis confirmatur: Cùm enim hyeme calidiora, influente ſcilicet calore, ſint viſcera, quàm in æſtate, vnde dogma illud aphoriſticum: *ventres hyeme, & vere calidiſſimi ſunt natura*, fit ex eo, vt maior in hyeme excitari debeat febris: ex Auerrhois namque ſancito, tanta poteſt eſſe febrilis caloris menſura, quanta eſt ſubiecti, in quo accenditur, natiuæ caliditatis intenſio. Vnde primo aphoriſmorum 14. dixerat Hippocrates: *febres ſenibus haud ſimiliter acutæ accidunt, quoniam frigidum eorum corpus.* Contrà puerorum, iuuenumque febres audaces, atque fortiſſimæ explendeſcunt, quoniam intenſus eſt inſitus eorum calor, qui in igneum abiuit.

Rurſus corpora in hyeme non benè tranſpirant, præpedita, & interrupta ab ambientis frigore diapneuſtia: hinc ergo retentæ fuli-

fuligines, & putrescentis bilis halitus febris augent incendium. Atque huc apposite collimat vigesimumnonum problema libri primi apud Aristotelem, vbi quærens: *quamobrem autumno quidem, & hyeme ardores potius generantur in frigidis temporibus, æstate autem rigores infestant æstu existente?* respondet sic. *An quia eorum, quæ sunt in homine, bilis quidem est calida, pituita verò frigida? Itaque per æstatem, quod frigidum est, dissoluitur, diffusumque rigores, & tremores excitat. In hyeme verò calidum vincitur, infrigidatur: ardores etiam potius conflictant hyeme, & autumno, quia ob frigus calor introrsum contrahitur, ardor autem intrinsecus est, & non in superficie meritò igitur ardores hoc tempore fiunt.* Basilicè quidem Philosophus.

SYNCATATHESIS,

LVdouicus Septalius vir sanè ingeniosissimus, & in Medicorum athenæo emeritus in commentario tertij problematis decimiquarti libri, vt hanc dirimeret difficultatem, aiebat, veros causos, & legitimas febres ardentes, quæ à flagrante, & putrescente bile sunt oriundæ, fieri magis in æstate, vt in aphorismis asseritur; nothas verò, minusque legitimas à salsa pituita in vasis cordi proximis putrescente oriundas magis in hyeme excitari posse, atque adeò censet, Aristotelem in eo problemate lypirias febres intelligere, in quibus extrema cùm frigeant, & interiora exardeant, fit, vt hoc magis in hyeme contingere valeat ob caloris in intimas partes cohibitionem, vt dicebamus: quare concinnè posset hac solutione Hippocratis etiam conciliari diaphonia.

Nonnulli alij, vt Aristotelis in eo problemate perplexitatem soluant, dictitant, verbum illud μᾶλλον significare intensionem, non frequentiam, vt sensus sit, in hyeme fieri febres magis ardentes, non autem magis, idest frequentiús in hyeme febres ardentes excitari. Atqui huiusmodi solutio fortè nequit afferri in verbis Hippocratis, qui in libro illo de affectionibus luculenter notare videtur & frequentiam, & intensionem; inquit enim: *& fiunt maximè quidem, & fortissimi hieme*. Etenim particula, *maximè*, frequentiam, *fortissimi*, intensionem arguit. Atqui tamen dicendum, ex vi græcæ particulæ colligi, Hippocratem non frequentiã, sed solam intensionem, ac vehementiam significare voluisse, quippe nõ habet ille μᾶλλον, sed μάλιστα, quod maiorẽ in modum significat,

ficat, ſeu ſuper omnia, atque in ſummo: Vnde doctiſſimus Foeſius in ſua verſione, vbi alij paraphraſtes legunt: *& fiunt maximè quidem, & fortiſsimi hyeme*, legit: *& fiunt maximi quidem, & fortiſſimi hyeme*; quomodo non quòd frequentiùs in hyeme fiant cauſi, ſed quòd maximi, & intenſiſſimi tunc eueniant, ſignificatur. Atqui ita verum erit, in æſtate ardentes febres fieri frequentiùs, at minores; in hyeme rariùs quidem, ſed maiores, & acutiores, nec non ſæuioribus implicitas ſymptomatibus, eo quia tempori haudquaquam reſpondeant: ſemper enim, & vbique verum illud ſecundi aphoriſmorum, in morbis minus periclitari, quorum naturæ, aut habitui, aut ætati, aut tempori magis cognatus eſt morbus.

Meam hanc enarrationem confirmat Hippocrates in præcitato illo ſecundo Epidemiorum, vbi cùm dixiſſet, febres ardentes in æſtate magis fieri, ſubdit, eaſdem in autumno, qui hyemi proximus eſt, magis ferinas, & cum cardialgia inuadere: verba ſunt: *Siccantur autem magis æſtate, autumno magis ferinæ, & cardialgia.* Enimuerò phrenitis, & febris ardens in hyeme maximam arguunt cauſam, ideoque in magno diſcrimine ægros verſari ſtatuimus: quòd enim ſenex in media hyeme cauſo corripiatur, eſt nimis præter naturam, & maximam præſagit cauſam, abijſse enim illum argumento eſt, longiùs a propriæ naturæ, & conditionis linea; ob quam rationem Scoti frigidiſſimæ regionis incolæ, à febre ardente dum corripiuntur, plurimùm pereunt à magnitudine cauſæ. Hinc noſter omniſcius Hippocrates libello de diebus iudicatorijs ad rem valde ſcribebat. *Maximum itaque ſignum in ægrotis, qui victuri ſunt, ſi non præter naturam fuerit febris ardens, & alij morbi eodem modo, nihil enim horrendum, neque lethale fit in his, qui ſecundum naturam ſunt.* Iam cauſus in ſene, tempore præſertim hyberno eſt omnino præter naturam. Et ſanè id veriſsimum eſſe, praxis quotidiana demóſtrat, ratioque ſuadet; ob interruptam enim in hyeme fuliginum exhalationem, atq; fruſtratam diapneuſtiam, vt ſupra annuebam, febrilis excandeſcit flamma.

ANTI-

ANTIPHΩNIA NONA.

Quartana à quo producatur humore.

THESIS.

LIbro de natura hominis ad calcem Apollinis vnus flamen Hippocrates quartanas febres ab atra bile originem ducere, tradidit: sunt verba. *Quod autem quartanæ febres atræ bilis participes sint, vel hinc condiscere licet, autumno enim maximè quartanis corripiuntur, & in ætate à quinque, & viginti annis vsque ad quadraginta quinque.*

Idipsum communi, & ab omnibus recepta pragmatia suadetur planè, cùm tot sint putridarum febrium species, quot sunt, qui putrescere possunt humores, cùmque antiquata sit obseruatio, bilem de tertio in tertium moueri, pituitam quotidie, melancholicũ verò succum quarto quoque die, sequitur, quòd febris illa, quæ periodum quartanariam exhibet, melancholiæ ortum suum acceptum referat.

Præterea morbi omnes suis temporibus efflorescunt; ideò ergo in autumno maximè, Hippocrate, atque experimento testibus, quartanæ fiunt, quoniam eo tempore melancholia viget, ac dominatur.

Rursus in illam ætatem incidere solent hæ febres, in qua humoris melancholici plurimum subolescit, atqui hæc virilitas est, quæ aliarum ætatum comparatione frigida existit, ac sicca, atque adeò melancholiæ analoga. Quid moror? Tristitia, quæ perennè quartana affectos afficit, horror, qui in paroxismo lacessit, splen tumidus, scabies, quæ in eisdem expullulare solet, atræ bilis, vel melancholiæ vbertatem testantur liquidò.

ANTITHESIS.

AT verò nimium est disphωna altera illa sentẽtia, quæ in libro de affectionibus num. 19. his verbis registratur: *& fit tum tertiana, tum quartana à bile, & pituita.* Sed quę libro de natura humana in postremis textibus sententia registratur lõgè magis est paradoxa, nempe quòd febris continens, quotidiana,

diana, tertiana, & quartana à bile fiant, à maiori scilicet, vel minori copia, vt est maior in vna, quàm in altera inflammatio, aut etiam ab eiusdem sinceritate, ac varia mixtione; registrentur verba: *febres plurimæ à bile fiunt; species ipsarum quatuor sunt præter eas, quæ ab occultis doloribus generantur. Nomina ipsarum sunt continens, quotidiana, tertiana, quartana. Continens itaque appellata à plurima, ac meracissima bile prouenit, & iudicationes quã breuissimo tempore facit: corpus enim nullo tempore perfrigeratum citò colliquescit, nimirum à multa caliditate calfactum. Quotidiana verò post continentem à plurima bile generatur, & præ reliquis celerrimè discedit: Verùm longior est continente, quantò à pauciore bile prouenit: & propterea quòd requiem habet in ipsa corpus, in continente verò non quiescit vllo tempore.* Vide reliqua si placet, lector, admirari enim vlteriùs continget ob ea potissimum, quæ consequuntur verba. *Tertiana autem longior est, quàm quotidiana, & à pauciore bile gignitur.*

Sed ad thesim redeamus. Porrò huiusmodi sententia duplicem potest habere sensum, vel scilicet, quòd tum tertiana, tum quartana à bile, & pituita simul mixtis fiãt, vel quòd tertiana fiat à bile, quartana verò à pituita. Enimuerò quòd à bile exoriatur tertiana, inficiabitur nemo, tametsi in medicina tyrunculus, auctoritatibus, & experimento magistris.

At quomodo quartana à pituita? si foret hoc, quatuor putridarum febrium præuerteretur natura, & ordo. Verùm ita esse statuit summus noster, & vnus Magister lib. eodem de affectionibus num. 18. vbi cùm dixisset in præcedenti textu: *At verò morbi, qui in æstate fiunt, sic fieri solent: quum corpus à sole fuerit calefactum, humectatur, humectatum autem ægrotat, aut totum, aut ea parte, in quã pituita, & bilis incubuerint*: statim subiungit: *Sed & tertianæ, & quartanæ febres ex talibus fieri solent, hoc est à defluxione & bilis, & pituitæ.*

Probari autem hæc assertio ex eo tantum potuit, quòd Hippocrates in principio eiusdem libri de affectionibus omnium morborum causas bilem, & pituitam statuerat. Igitur tertiana etiam, & quartana ijsdem humoribus originem suam acceptam referre debent. Quì verò à Præceptore inibi decernatur, morbos omnes à bile, ac pituita fieri, pleniùs in meis commentarijs ad librum illum explico, & enuncio, quod tamen hic repetere superuacaneum, ac præter institutum arbitror. Id solum tamen silentio haud prætеribo, quòd bilis nomine ex Hippocratis mente melancholia, & exustus quilibet humor comprehenditur, quod ex lib. de natura hu-

humana num. 14. tibi suasum volo, vbi habet: *Bilis autem per æstatem, ac autumnum corpus possidet*; autumno enim melancholia potius viget.

SYNCATATHESIS.

NIcolaus Rorarius hanc in suis contradictionibus sententiam expendens, duo dicit pro paragoge. Primum quidem, Hippocratem ideò putare, à bile, ac pituita quartanam, ac tertianam exoriri, quia & primo de affectionibus, & alibi censuerat, à bile, ac pituita morbos omnes excitari, tanquam à primis humoribus, & à quibus reliqui duo emanare possunt: sanguis enim, vt ille ait, à pituita per vlteriorem coctionem, producitur, vt bilis atra ab adusta, & superassata bile; ideòque voluisse, quartanam fieri à pituita, quæ sit in sanguinem conuersa, sanguis verò crassefactus; & in nigram bilem fuerit ante commutatus.

Secundum, quod Nicolaus habet, est, à putrefacta pituita posse quartanam exoriri, quatenus nimirum ex putredine in biliosum quodammodo succum degeneret, vel Galeni arbitrio septimo aphorismorum comment. 42. atque adeò à pituita, secundariò tamen, quartanam fieri posse.

Verùm, si pacem det Rorarius vir alioquin de re medica optimè meritus, liberè fatear, vtramque hanc responsionem longè admodum ab Hippocratis mēte abire, atque adeò nihil accedere plausibilem. Cùm enim humores omnes longa transmutatione ad inuicem conuerti valeant, idem de alijs febribus censere fas esset, nempe, quòd tertiana fiat à sanguine, quoniam ex hoc feruescente bilis oritur, à pituita fieri synochum, quoniam illa vlteriori coctione in sanguinem migrat. Cæterùm, tametsi à pituita putrefacta aliquo modo quartana produci potest, non ex eo tamen vniuersali dogmate sanciendū foret, quartanā à pituita absolutè fieri Gratis ergo vbique Rorarius. Erit itaq; dicendum, Hippocratem in libro de affectionibus censere, febres quasdam non legitimas, minusue exquisitas, quales frequentiùs inuadere solent, à bile, ac pituita fieri, ideòque verba illa *à bile, ac pituita* coniunctim, non autem disiunctim sumenda esse, ita vt sit sensus, tertianas, & quartanas, quæ nunquam fermè legitimæ, & exquisitæ videntur, à bile, ac pituita commixtis excitari, & sanè tam notha tertiana, quàm non legitima quartana, quas minoris famæ barbaro modo Arabes appellant, à bile vel flaua, vel atra cum pituita commixtis ori-

ginem ducunt. Neque ab re esset, siquis diceret, pituitam vi caloris ipsius bilis, cui miscetur, crassam, & quasi assatam redditam, adeò vt succi melancholici naturam quasi asciscat, quartanam producere posse, quæ nimirum in bimestri etiam puero aliquando exoritur, à quo melancholicus succus, multòque magis atrabilis procul exulat.

Rursus neque à ratione alienum erit, si quis dicat, Hippocratem eatenus decreuisse, à pituita partialiter saltem quartanam fieri, quatenus magna pituitosi humoris colluuies in hac febre affluit; quod palàm fit ex ptyelismo, qui ferè inseparabilis est quartanę comes, ex vberrimo sudore, nec non vomitibus pituitosis, quæ omnia Medici, qui sunt artifices sensati, imò & vulgus ipsum indoctũ animaduertentes, arbitrantur, ab illo humore hanc effici febrem, qui se prodit vomitu, sudore, ac ptyelismo; is autem pituitosus est, non melancholicus. Neque insuper indignum est ipso Hippocrate aliqua ex vulgi hypothesi statuere, hoc est ex communi omnium opinione supponere: ita alibi fœtum intra vterum ex ore alimentum suscipere, dixerat: ita libello de corde potum per tracheam descendere, scripserat, non quidem ex proprio marte, nam alibi aliter sentit, sed ex opinione antiquata. Roborat hanc meam sententiam id, quod primo de morbis, & alibi legitur, vbi Præceptor quatuor enumerans humores, inquit: *sunt autẽ sanguis, bilis, pituita, & aqua*, cuius nomine melancholiam indigitat, ex eo videlicet, quòd serosa multa colluuies melancholici humoris sit soboles, & alumna inseparabilis, in quem sanè finem primo ad Glauconem Galenus monebat, in quartana salsis edulijs vtendum esse.

Sed quæ responsio erit ad ea, quæ ex libro de natura humana retulimus? hæc vna à Galeno redditur, nempe, quòd addititia sint illa omnia, nec nisi ab impostore adiuncta: sic ille. *Quibus quidem fit rebus, vt, qui hæc scripsit, vel sophista fuerit, vel veterator, quemadmodum profectò videtur, quippè qui, vt notam seni inureret, hæc libro ascripserit. Eum porrò, qui hæc adiecit, recentiorem esse, argumento est nomen σύνοχος hoc est continens; nullibi enim apud Hippocratem, aut aliquem ex veteribus continuam febrem dici continentem, inuenies.* Tanto viro subscribamus & nos.

ANTI-

ANTIPHΩNIA DECIMA;

Senes, an Iuuenes ægrotent magis.

THESIS.

SEcundo aphoriſmorum trigeſimonono Æſculapij Myſta magnus, palàm ediſſerit, ſenes minùs, quàm iuuenes morbis afflictari; verba ſunt. *Seniores magna ex parte minùs quàm iuuenes ægrotant; quicunque verò morbi ijs accidunt diuturni, magna ex parte ipſis commoriuntur.*

Dictati rationes non vnæ eſſe poſſunt, & quidem prima, quoniam Hippocratis arbitrio omnium febrium, & acutarum affectionum cauſa bilis eſt; Iam in ſenibus pituita, non bilis vegetat; hæc enim iuuentutis eſt comes, & calidiſſimorum viſcerum ſoboles.

Præterea ſenes in victus ratione ſunt ſobrij, longèq. ab omni intemperantia viuunt, cùm præſertim non admodum famis aſylo vellicentur; nam ſenes, vt primo aphoriſmorum legitur, facillimè ieiunium ferunt; & licet magna ſtimularentur orexia, corrigere illam tamen, atque infrænare ſcirent, vt qui longo vſu quid ſibi aut proſit, aut officiat, didicerint; Etenim, vt Tiberius Imperator aiebat, dedecet, hominem poſt quadrageſimum annum Medico vti, quoniam per ſe ipſum, quid ſibi commodet, noſſe debet. At non ita eſt in iuuenibus, qui, vt ſunt in omnibus magis audaces, minuſque prudentes, *quò animi rapit impetus, eò ducuntur*, vt in libello de ſenectute Tullius aiebat, & quò ſenſus titillant illecebrę, eò præcipites ruunt; fitque ex eo, vt verum ſit, quod ibidem ſubdit eloquentiæ parens: *faciliùs in morbos incidunt adoleſcentes, grauiùs ægrotant, triſtiùs curantur.*

Adhuc iuuenes ex immoderato aphrodiſio morborum ſibi aſciſcunt ilias; inde enim ebullit ſanguis, æſtuat bilis, putreſcunt ſucci, infirmantur vires, vitæque omnes facultates fatiſcunt; atqui ſenes huic ludo nec vacant, nec vacare poſſunt, nam, vt Euripides,

Senecta iubet valere Cypriden;

ſiquidem, vt Ouidius,

Non gaudet veteri ſanguine mollis Amor.

Effugiunt propterea ſenes affectionum cateruas, de quibus abundè

ANTITHESIS.

AT libro de flatibus omnes cuiusque generis morbos ab aëre produci, non obscuris verbis edisserit, sunt autem hæc: *Sunt duo febrium genera, vt sub formula quadam in præsentia disseramus, altera communis omnibus pestis appellata, altera, quæ ex prauo, & peculiari victu intemperanter viuentibus accidit, vtriusque autem generis aer author, & causa existit.* Sed vniuersaliori dogmate numero 8. eiusdem libri scripserat, affectionum quarumcunque originem ab aere esse: ipsum loquentem audiatis. *Mortalibus autem vitæ, & morborum ægrotis solus is* (idest aer) *est author*, & infra; *Subijciam igitur mox & illud, quòd non aliunde vnquam verisimile sit, morbos euenire, quàm inde, si is aut plùs, aut minùs, aut cumulatior, aut morbidis sordibus inquinatior in corpus se ingerat*; & hoc numero quarto eiusdem libri liquidò testatus est. Quomodo autem aer eorum etiam morborum sit causa, qui ex prauo, & intemperato victu oriuntur, explicat Hippocrates numero 9. ac 10. eiusdem libri sic. *Cùm multorum autem ciborum ingestione necesse est, & multum spiritum ingredi; omnia enim, quæ eduntur, & bibuntur, spiritus in corpus inferunt aliquando plures, aliquando etiam pauciores, id autem inde manifestum fit, quòd plurimis eructationes post cibos, & potus euenire solent, discurrente nimirum aere incluso, vbi perruperit bullas, quibus fuerat inclusus. Quando igitur corpus cibis expletum est, ac spiritus quoque multitudo vehementer excellit, dum cibi, & ventri diu immorantur (immorantur autem cibi, cùm præ multitudine exire nequeant,) & inferior venter, vel aluus ipsa sit obturata, per vniuersum corpus permeant flatus, sanguineque plenas corporis partes maximè patentes eas frigefaciunt; frigefactis autem his locis, vnde fontes, & radices sanguinis prodeunt, per vniuersum corpus horror consequitur, vniuerso autem sanguine frigefacto, totum corpus horret. Quæ ratio est, cur primùm horrores ante febres corpus concutiant.* Quid multa? vulgatum illud, sed obscurum Hippocratis dictatum: *In morbis est quid diuinum*, explicant nonnulli maioris notæ Authores, Galeno principe, hoc est *quid aereum*, quasi nullus absque aeris iniuria exoriatur morbus.

SYNCATATHESIS.

QVòd communis, ac pestilentis febris author sit aer, nemo iturus erit inficias; at quòd febris, quæ à prauo, atque intemperato victu excitatur, aerem etiam causetur, difficile vtique intelligi posset, nisi cæcutienti intellectui facem præberet ipsemet Hippocrates, qui sententiam exarauit. Ita est, Philiatre, Hippocratem Hippocrates explicat, & absque Hippocrate Hippocratis mentem expiscari non licet; Porrò si Valleriola in Hippocratis doctrina paulò magis versatus extitisset, & mysteriosa eiusdem verba penitus vbique rimatus fuisset, haud quaquam librum de flatibus tanquam errorum, & absurdarum sententiarum officinam in suis enarrationibus damnasset, ac respuisset. Sed ad rem nostram.

Quomodo febris quoque à praua diæta oriundæ aer dici possit author, belle explicat numero 9. supra registrato, inquit enim, quòd aer ille, qui vnà cum plenioribus, atque dissimilibus cibis insumitur, dum præ ciborum copia infernus venter occluditur, necesse est, vt per corpus vagetur, atque dum exitum non inuenit multarum affectionum prodromus fiat, nec non etiam excalefactus febres gignat. Quare non aerem, quem inspiramus, febris à diæta oriundæ censet magister, authorem esse, sed illum spiritum, qui inter comedendum cum escis per accidens haurimus, qui sanguinem priùs frigefacere potest, atque adeò horrorem incutere, mox verò excalefactus febrem producere, quæ quidem à praua diæta oriunda dici potest, eo quòd non ab aere, quem inspiramus, vt à communi principio pendet, sed ab eodem, vt cum cibis assumitur, & exitum non inueniens huc illuc perreptans quàm plurimùm lædit.

Vis adhuc breuiorem παραφρασιν? Omnium morborum, & febrium, quæ à mala diæta etiam fiunt, aer, siue spiritus mediata est causa, immediata ipsi humores à spiritu perturbati; quemadmodum procellarum, ac tempestatum, quæ in mare fiunt, immediata causa est aqua ipsa, mediata verò ventus aquam impellens, & in fluctus extollens: vti ergo nunquam pelagus fluctus, ac tempestates ageret, nisi ventis intumesceret, ita & humores nunquam à tranquillitate natiua desciscerent, nisi spiritu percellerentur.

AN-

ANTIPHΩNIA VNDECIMA.

Capitis vulnera hyeme, an æstate sint deteriora.

THESIS.

QVinto Aphorismorum 20. sic ait ipse: *Vlceribus frigidum est acerbum*: aphorismo eiusdem libri 18. *frigidum inimicum ossibus, dentibus, neruis, cerebro, dorsali medullæ*. Confirmat libro de humidorum vsu num. vndecimo de calida loquens, vbi sic: *Plurimum autem conducit ossium fracturis, magis autem denudatis, & ex his, qui in capite vulnera habent voluntaria, & inuoluntaria*: Adhuc eodem libello de humidorum vsu num. 5. addit fidem his verbis: *At vlcera calida gaudent ex confesso, quia tegi assueta sunt; meritò itaque ex altera grauantur*.

Suadet autem ratio, quoniam vlcerum, vulnerum, ac fracturarum omnium curator est calor, qui coquit, digerit, vnit, consolidatque; igitur tota salus ab eo pendet; vnde est, quòd tam diligenter vulnera fascijs operiuntur, pannis fouentur, oleisque, & balsamis calidioribus perfunduntur, imò & aqua ardente irrorantur, vt est apud Hispanos inueterata consuetudo; quare Cæsaris Magati sententia plausibilis accessit libro primo de vulneribus, vbi contra Galenum, & asseclas quasi inuehens, probat, malè agi cum vulneratis omnibus, si frequens eorum vulnera detegantur, vt ad ipsorum repurgandam saniem, sorditiemque consueuisse antiquos, ipsumque Galenum, certum est, nam corruptelæ, & sphaceli inhibendi satagere salubrius est consilium; id autem consequimur promptiùs, si quàm rarissimè fieri potest vulnera aperiamus ab ambientis frigoris iniurijs defendentes, imò calorem in illis & seruare, & augere maximè studeamus tum inuolucris, cùm etiam oleis, balsamisque natura, vel arte calidis.

ANTITHESIS.

Horum tamen dogmatum oblitus libro de capitis vulneribus aliter dictauit; nam illa in hyeme salubriora esse, decreuit; sic ille: *Sed & in hyeme diutiore tempore viuit homo, quisquis etiam aliàs moriturus est ex vulnere, quacunque capitis parte vulnus habeat:* Confirmat ibidem num. 26. vbi tradit, malè curato vulnere in æstate, febrem superuenire post septimam, in hyeme verò ante decimamquartam; verba sunt: *Cùm qui os fractum aut ruptum, aut contusum, aut quocunque modo fractum intelligens per errorem del querit, & neque raserit, neque perforauerit, veluti os non opus habeat, & velut os sanum existat, ante decimamquartam diem febris corripiet vt plurimum in hyeme, in æstate verò post septimam diem febris corripit.* Dices fortè, post 7. & ante decimamquartam idem tempus designare; spatium enim illud, quod est à septima die vsq; ad decimamquartam exclusiuè, dici potest post septimam, & ante decimamquartam; igitur febris in vulneribus capitis tam in hyeme, quàm in æstate intra eosdem terminos accedit. At non ita est siquidem verba illa *post*, & *ante* in Hippocratis textu intelligenda sunt immediatè, ita vt sensus sit, in æstate, statim post septimam, in hyeme verò in die immediatè præcedente decimamquartam, quod est idem, ac si dixisset, febrem in æstate superuenire in octaua, in hyeme in decimatertia die. Sed adhuc lib. de vlceribus numero quinto ratam facit sentẽtiam his paucis: *Plerisque vlceribus tempus calidius commodius est hyeme, exceptis his, quæ in capite sunt, ac ventre.*

At cur, inquies, capiti, & ventri fauet hyemes? Quoniam ventres hyeme calidissimi sunt, & ob eandẽ rationem caput quoq; incalescit, cùm præsertim aucta in infernis visceribus, ac ventribus caliditas capiti plerunque communicetur, iuxta illud Hippocratis lib. de locis in homine num. 2. Venter capiti, caput carnibus, ac ventri, &c. Cæterùm & Antithesin comprobat ratio ab euentu deducta; nam in hyeme fracturas fæliciùs deduci, videmus, quòd nimirum eo tempore putredo, quæ in cunctis vulneribus perniciosa censetur, non tam facilè excitari soleat, ipsum verò ambientis frigus arte, ac diligentia arceri potest, & foueri vulnus. Contrà in æstate putredo, quæ extraneæ caliditatis est soboles, facillimè excitatur.

SYN-

SYNCATATHESIS.

NVlla profectò in relatis textibus est antirrhesis; cùm enim ea esse debeat in cunctis vulneribus indicatio primaria, vt afflictæ partis calor seruetur, ne sphacelismo emoriatur, id reapse faciliùs consequimur in hyeme, in qua, vel Hippocrate arbitro in aphorismis, ventres calidissimi existunt, & meatus à frigore constipati natiuam caliditatem exhalare minùs permittunt, vnde mox contingit, vt corpori vniuerso robur addatur; quare tertio de Diæta Hippocrates numero tertio nimiam corporis in hyeme excalefactionem damnat, plurimumque commendat, vt quisque hyemale frigus sustineat: Obseruetis verba, & miramini sententiam: *Purum autem se frigori exponere oportet, præterquàm post cibos, & exercitationes, sed & in deambulationibus matutinis cùm corpus incalescere cœperit, & in cursibus, reliquoque quouis tempore exuperantia vitanda est; hac enim tempestate corpori frigus sentire, quàm exerceri magis confert, neque enim arbores, quæ hoc tempore frigus non sentiunt, fructum ferre, aut satis valere possunt.*

Contrà est in æstate, in qua ob nimiam διαπνευσίαν frigidiora euadunt corpora, quæ pariter languent, virtutibus eorundem penè fatiscentibus, eo prorsus modo, quo balneum calidum refrigerare, frigidum calefacere, experimur, quod libro de humidor. vsu ita Magister exaratum voluit: *Considerandum etiam quòd post calidam frigescit corpus magis perfrigeratum, post frigidam verò recalescit magis contractum.* Iam in æstate iccircò vulneribus & febris, & putredo citiùs superuenit, quòd natiua caliditate effæta sit pars, & ascititia, quæ putredinis est parens, ferueat. Nulla igitur est antilogia.

ANTIPHΩNIA XIII.

Conuulsioni febris, an febri conuulsio superueniens salutaris?

THESIS.

SVmmus Æsculapidum Prætor secundo Aphorismorum 26. habet sic: *Febrem conuulsioni superuenire meliùs est, quàm febri conuulsionem*. Confirmat quarto Aphorismorum, vbi hæc dictauerat. *Qui à conuulsione, aut neruorum distensione tenentur, febre superueniente liberantur*; quam sententiam sexcentis in locis repetit, & inculcat, libello præsertim de iudicationibus, vbi verbatim repetit. Item in Coacis. *Conuulsionem sanat exorta febris acuta*. Adhuc in quinto Aphorismorum: *Si ebrius quispiam repente obmutuerit, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur*. In Coacis rursus: *Conuulsiones repentinas soluit febris*. Insuper secundo de morbis popularibus sect. quinta. *Si puerperis conuulsio fiat, febrem excitato*. Iterum libro de locis in homine circa finem: *A' conuulsione si febris inuadat, sedatur eadem die, aut sequenti, aut omnino tertia*.

Et ex his non pauci ex Græcis auctores arbitrati sunt, febrem in omni conuulsione excitandam esse, quod castoreo in primis acquiri posse putatur; quo astu dictitant, eos qui in vinculis detinentur & medicos, & iudices fallere. Verùm an id tutò semper fiat, affirmare non ausim, siquidem infælix medicus, qui nescit morbum nisi morbo curare: præterquàmquòd licet in medici potestate sit febrem incitare, non est tamen deinceps in eius arbitrio extinguere; Et licet libro illo de morbis videatur Hippocratis placitum in conuulsione febrem excitare, dicerem tamen, ibi scriptum haberi: *Ignem fac*, quibus verbis voluisse non febrem, sed ingentem calorem vel victu, vel medicamentis excitandum; vox enim πῦρ non magis febrem, quàm igneam caliditatem præsignat; quin etiam Hippocrates libello de arte calorem nostrum innatum ignem congenitum vocat ijs verbis: πῦρ τὸ σύντροφον & primo de Diæta pluribus in locis ignis nomine primigenium calorem intelligit, sic num. 27. *Quæcunque autem corpora ignis for-*

fortissimi, & aquæ densissimæ temperamentum acceperint, fortia, & robusta sunt. Vide sequentes textus. Sed nimium fortè digressi sumus; in viam redeamus.

Propositam thesin suadere possunt non segnes rationes, quippe, si frigidis affectibus calor vnus opponitur, conuulsionem, quæ frigoris est soboles, febris maximè oppugnabit; hæc enim summa caliditate attenuat, resoluit, aperit, discutit, atque ipsius spasmi causam debellat prorsus. Sed hic perpendenda Præceptoris verba illa in Coacis: *Conuulsiones sanat exorta febris acuta*. Enimuerò nequaquam probatur in conuulsionibus pusilla, aut mediocris febris, sed acuta, & vehemens, non quidem cum symptomatum pernicie; aut alio caractere maligno, sed quæ caloris intensione duntaxat præualet; atque adeò par sit conuulsificæ causæ destruendæ; alioquin, si lenis fuerit febris, humorem ciendo maiori detrimento erit; id quod in filio Numenij palàm contigit, de quo sic Hippocrates in Prorheticis: *Sanabilis alioquin Apoplexia repente coorta, superueniente lenta febre, euadit mortifera; exemplum in Numenij filio*. Ita quoque lentam, & imbeciliem febriculam in affectibus catarrhoicis nihil prodesse, experimur, magnam verò, & vehementem rheumatismos ocyùs compescere, nouimus.

Neque mirum alicui videatur, febrem naturæ valde inimicam, vitæque alioquin insidiatricem morbos quospiam curare posse, & sospitalem euadere; quando coquendi, attenuandi, ac dissoluendi operationes, quæ in conuulsione maximè desiderantur, ad natiuum calorem, non autem ascititium spectant; siquidem id per accidens fit; nam natiuus calor frigidorum humorum sarcina adeò interdum fatiscit, ac penè marcescit, vt munia sua obire nequeat: quare si febrilis calor superueniat, & exuberantem illam humiditatem exiccet, & eximat, reuiuiscit natiuus igniculus, promptiùsque exit ad opus, quare febrilis calor in his casibus fit natiui adminiculator, impedimenta, atque obijcem remouens. Et ita pariter Aphorismus ille septimi libri intelligendus est: *Quibus hepar admodum dolet, ijs febris superueniens soluit dolorem*; etenim non febris, quà febris est, sed vt calor quidam, qui naturæ opitulari valet, id beneficij afferre potest, alioquin enim scitum illud, quod *Natura medicus*.

ANTITHESIS.

AT verò in Coacis numero primo opposita registrantur; En verba: *Conuulsio in febre fiens, & eadem die desinens bona est*; quam eandem sententiam repetit, amplificatque libello de iudicationibus Præceptor inquiens: *Si à febre detento conuulsio corripuit, sedatur febris eadem die, aut postridie, aut tertia die*. Confirmat insuper in ijsdem Coacis, vbi astruit, puerulis perrarò funestas contingere conuulsiones in febribus, & illa est ratio, quòd in huiusmodi ætate, cùm plurimum humiditatis abundet, nullum ferè periculum imminet, quòd conuulsio à siccitate, quæ sola funesta est, in ea oboriatur; Rursus in ijsdem Coacis addebat, citra conuulsionem, aut sanguinis è naribus fluxum, aut coxendicum dolorem non liberari in febribus, quibus præcordia mollia non sunt: hæc sunt verba Hippocratis. *Quibus in febribus venæ in temporibus pulsant, & facies sana est, & præcordium non molle, diuturnum morbum significat, & non desinentem citra multi sanguinis è naribus fluxum, aut singultum, aut conuulsionem, aut coxendicum dolorem*.

Porrò antithesis nec sua ratione caret; nam si peccans materia, quæ in venis continebatur, facta metastasi, ad musculos deriuetur, cessabit vtique febris conuulsione superueniente; etenim quandocunque succus aliquis putrescens, aut alio modo noxius ad cutem, carnosumque panniculum diuertit, fit rigor; cùm ad neruos ceruicales, dorsales, aut lumbares deriuatur, tremor efficitur, cùm verò ad musculos, conuulsio. Et profectò sunt musculi totius materiæ febrilis satis capaces, ideoque desinere statim febris potest, si materia ad illos transferatur; Neque est nouum, aut rarum Hippocrati, conuulsionem funestorum multorum symptωmatũ remediũ fieri; ita enim in Coacis dixerat: *Grauidas periculosè habent cephalalgiæ soporatæ cum torpore graui coniunctæ; sed fortasse tamen ipsis conuulsio quædam adiuncta prodest*. Rursus in Prorheticis paraplecticas quasdam affectiones cùm retulisset, subiungit: *An verò talia sanat conuulsio?* quam & Galenus curationis locum in his habere, fatetur, quòd motu illo violento, qui in conuulsione citatur, vniuersa materia paraplectica excutiatur. Vide, si placet, in commentario præcedentis textus Duretum. Cæterùm oportet, vt eadem die conuulsio cesset, vt Hippocrates tradit, alioquin partium imbecillitatem, & natiui caloris paupertatem

euentum, si alter, neque illum nuncupat, neque carpit, sed solùm vnicuique cogitandum relinquit, an ab epoto pharmaco deliuerauerit primò, & mox obierit Scomphus, vnde in posterum erudiatur vnusquisque, & caueat. Non sic herclè agitur nostro sæculo; in aliorum quippe ignominiam propriam gloriam plerique venantur; rectè acta obscurantur, minuuntur: malè acta, si quæ sunt, propalantur tubis, magnificantur vbique, nec sapientes censeri posse existimant quidam (proh scelus iniquæ mentis) nisi alij omnes inscitiæ insimulentur. Sed ad pensum reuocor.

Rationũ satellitio stipata hæc thesis prodit in medium, quarum illa prius scænam agit, quòd nimirum catartico pharmaco naturæ fit apostasis, idest à pectore ad ventrem euocatio; quare si salus in pleuritide à sola pendet coctione materiæ in pectoris mẽbrana collectæ, eiusque anacatharsi; coctio autem ab ipso naturæ studio fiat, sequitur, quòd si ad naturalem œconomiam, ac ventrem illa distrahatur, pectori vale, dicet, vbi propterea diutius perseuerans, pectori systrophica phlegmone vitæ propriùs insidiabitur. Magistrum tertio de morbis num. 17. loquentem audiamus: *Infra enim humore secedente supernæ partes resiccantur, & sputi purgatio sursum non prodit, oportet igitur & infernam aluum non valde suppressam esse, vt ne febres sint acutæ, neque valde egerere, quò saliua sursum educi possit, & æger viribus valeat.*

Cæterùm cùm in internis omnibus inflammationibus vnica salus in virium robore consistat, cùmque aluina eccrisis vires morbo impares reddat, hæc metuenda erit, tam si spontè, quàm si artificiosa molitione adueniat, ad quam etiam volens adhuc Præceptor eodem tertio de morbis textu 22. sancitum dirigere, dixerat: *At si æger biliosus sit natura, & non purgatus, correptus fuerit à morbo, priùsquam saliuam biliosam expuat, medicamento bilem probè purgato, si verò iam expuat biliosa, medicamentum ne dederis, si enim dederis, sputũ sursum prodire non poterit, sed septimo, aut nono suffocabitur.*

Demum eo nomine diarrhęa in pleuritide funesta existimatur, quoniam naturalem œconomiam longiùs abductam esse indicat, eamque spiritualium partium affectionis vim esse prænunciat, vt vel facultatem ipsam naturalem in consensum rapiat; quantò autem plures in morbis facultates læduntur, tantò maius vitæ periculum imminet.

ANTITHESIS.

OPpositum tamen in Coacis Prænotionibus noster idem legislator sentire videtur; siquidem non perplexis verbis, sed apertis fidibus tradit, superuenientem pleuritidi alui fluxum ad salutem esse: sunt hæc verba: *quibus in febribus dolore lateris oboriente, aluus multa aquosa, ac biliosa egerit, hi alleuiantur*; & quoniam naturæ imitator est Medicus, iccircò libro de victus ratione in acutis scripserat idem: *si verò sub thorace fuerit dolor, & valde distendat, pleuritico medicamento aluum subpurgato*.

Dictatum his quoque stabilitur fundamentis; nam in primis ab impuris excrementis, nec non serosa, biliosaque colluuie exonerata natura, pleuritici phimatis pepasmo satiùs indulgere poterit. Nimirum, quod egeritur, est omnino præter naturam; ab excretione igitur natura salubriùs ager. Rationem hanc suffulcit Metonis historia apud Hippocratem 7. epidemiorum, cui ex alui egestione mitigatus est dolor lateris; verba sunt: *Metoni post Pleiadum occasum lateris sinistri dolor vsque ad clauiculam, atque is adeò grauis, vt quiescere non posset, & ardor tenebat, deiectio multa biliosa, in tribus diebus fere cessauit dolor, calor autem circa septimam, aut nonam, tussis aderat, excretiones neque biliosæ, neque multæ fiebant, pituitosæ verò tusses sequebantur*.

Rursus ex alui proruptione noua humoris ad pectus inhibetur anadrome, quod in morbis per affluxum primariò curare Medicus debet; ad salutem igitur in pleuriticis diarrhæa apparebit semper; quod & Cauponis peripneumonici historia in eodem septimo Epidemiorum firmatur validè ijs verbis: *Decima ibat aceruatim, non sæpè; circa vndecimam mitiùs habuit, quartadecima sanus euasit*.

Quid moror? ipsa quoque materia, quæ immediatè phlegmonem facit, non raró per aluum repurgatur, per vias decurrens non minùs occultas, quàm manifestas, vt libro de locis affectis Galenus, & post eum Neoterici plurimi contendunt; ergo etiam ratione causæ coniunctę haud inauspicatò alui fluxus pleuritidi superuenire potest.

SYN-

SYNCATATHESIS.

ANtithetωn non vna erit παραγωγή, & primò dici quidem potest, quòd in principio, & declinatione pleuritidis alui turbatio faustè accedere potest, in augmento verò inauspicatò valde. Nec dicat quis ex Hippocratica pragmatia, nihil criticum in principio esse, omniaque in illo symptωmaticῶs fieri; nam dixerim, crisim legitimam esse solius causæ coniunctæ deturbationem, expulsionemque; diarrhæam autem à principio non accidere criticῶs, sed causam antecedentem, aliaq; corporis excrementa reuellere, ac deriuare, quod infra clariùs edicam.

Secundò nec malè asseritur, quòd quemadmodum duplex ex Hippocrate pleuritis inuenitur, vna, quæ ad clauiculam, alia, quæ ad hypochondria pertingit; illa quidem sanguinis missione, hæc verò purgatione superetur; de prima in aphorismis, de secunda in Coacis ęgerit; quippe huius pleuritidos materia nequaquam in pectoris cauitate continetur, verùm in locis diaphragmati inferioribus. At Metonis historia supra relata hanc fortè responsionem infirmat, illi enim dolor erat, isque grauissimus ad clauiculam,& ex diarrhęa tamen dolor lateris feliciter cessit. Esto, sed id vt rarum, propterea recensetur ab Hippocrate nam; vt plurimùm, & ferè semper non ita contingit.

Tertiò dici posset, quòd in acutissima tantùm pleuritide iniqua est diarrhæa; at verò quæ mitiori accidit tum pleuritidi, tum peripneumoniæ, cùm longiùs abductæ naturalis facultatis, & viscerum dyscrasię nequeat index esse, mala non censetur, sed etiam bonis ægroti rebus apparet; quod vt confirmetur, obseruanda particula illa textus ἰχομένω, idest vehementer, qua particula indicat, in vehementissimis tantùm pectoris inflammationibus funestam esse aluiproruptionem, alioquin in Coacis dixerat Hippocrates: *Pleuriticis autem prodest aluum mollescere*. Quid si diceretur insuper, quòd alui turbatio in principio reuulsionis gratia; in fine verò euacuationis ergo ad salutem accidere possit? Mesuei hæc sententia esse videtur, qui diarrhæam ab initio pleuritidi superuenire posse, statuit, vel ob humoris vbertatem, viribus tamen constantibus, atque tunc vt causam salutarem esse, quòd fluentem per aluum materiam & reuellat, & euacuet; vel ob morbi vehementiam, humorumque multitudinē cum virium languore, ac tum & vt signum,& vt causam calamitosam esse. Nimirum phi-

matis pleuritici materia antecedens in principio, & augmento conuerti potest absque dubio ad aluum, coniuncta pariter in declinatione fęliciter ad eandem secedere potest, quòd nè alicui absonum videatur, eo quia Galenus 5. de loc. affect. cap. 2. per solam ἀναπαθάρσιν humores in thoracis regione cõtentos excerni posse apertè doceat, auctoritatibus, exemplis, atque historijs non omninò παρέργον demonstrare contendam.

Et quidem primò Galenus idem 6. de loc. affect. cap. 4. asseueranter scribit, thoracis vomicam per intestina, pulmonis per vrinam repurgari: *Etenim* inquit, *vt à concaua vena, ita quoque ex magna arteria rami descendunt ad renes.* qua de re consulatur Marcellus Donatus lib. 3. de hist. medica mirabili cap. 9.

Assentitur Aretheus cap. de pleuritide his verbis. *Porrò si nonnunquam morbus subsistit, & aliquantulum in melius vergit, vehemens de naribus sanguinis eruptio conspicitur, aut per aluum cùm perturbatione multorum biliosorum & spermaticorum succorum deiectio, qui ex pulmone in ventrem depulsi fuisse videri possunt, si multi, liquidiores, & facilè deijciuntur, nonnunquam verò & per vrinarias semitas euocatur.*

Sed rem adhuc illustremus historijs. Amatus Lusitanus centuria tertia curatione 68. Mercatoris Ariminensis historiam refert, qui sanie per vrinam excreta à pectoris phlegmone liber euasit.

Beniuenius cap. 43. Antonium quemdam recenset, qui pleuritide laborans morbo iam ad maturitatem perueniente, educto per vrinam pure, pariter euasit.

Consimilem historiam Olitoris cuiusdam narrat Marcellus Donatus; ille enim à sæua pleuritide, sanguine multo seroso in septima die infrà excreto fæliciter euasit. At quibus vijs e pectore purulenta ad vrinæ semitas, aut alui ductus deferri valeant præter Galeni relatam supra sententiam ipse Marcellus citato loco consulatur. Interim Dureti in annotatione suæ narrationis in Hollerium verba lubet ascribere. *Nonnunquam etiam pleuritis sanescit per exclusionem humoris illam facientis cum vrinis, vel deiectionibus. At cum vrinis quidem, cùm humor ipse morbificus iam mitificatus κατάῤῥοπον habet ad partes inferiores thoracis, & in truncum venæ cauæ rapitur per dextrum cordis ventriculum secundum venæ ἄζυγον, idest paris expertem aquæ ductum, vnde fertur in renes: aliquando etiam per arteriam venosam in sinistrum cordis ventriculum influit, indeque in magnam arteriam, & ex ea in renes, à quibus cum vrinis excluditur, & hic pleuritici defunguntu* pleuritide nimirum

supe-

ſuperiorum coſtarum, vt ego in multis obſeruaui. Idem quoque fieri poteſt cum deiectionibus, ſi tot modis ſaneſcit pleuritis. Sed reuoco ad conciliationem calamum.

Dicamus ergo ad calcem, quòd Hippocrates in Coacis nequaquam de vera pleuritide verba faciat, verùm de dolore quodam à ſeroſa, mordacique colluuie hypocondria occupante, quam à natura deturbari ocyùs expedit: colligo id probabiliter ex eo, quod Hippocrates ait. *Quibus in febribus dolore lateris oboriente,* quippe in vera pleuritide non prius eſt febris, quàm dolor, ſed potius dolor inſtanti ſaltem naturæ anteit febri, quæ in omni inflammatione eſt de illarum genere, quæ comitatæ nuncupantur; in aphoriſmis verò de lateris dolore in febribus non oboriente, ac tanquam ſuccedaneo loquitur, verùm de primigenio, ac legitimo ab inflammatione, ac ſyſtrophe, cui diarrhæa nihil propitiatur. Enimuerò in malignis quibuſdam febribus ex humorum quodam orgaſmo dolores quidam interdum pectoris latera lancinant, qui pleuritidem deludentes medicis imponunt, quo conſilio dicebat 6. aphor. 5. Hippocrates, *dolores, qui fiunt in latere, & pectore, alijſque partibus, num multum differant, conſiderandum,* hoc eſt, ſintne punctorij, tenſiui, vel ſtimulantes, & vt vno verbo dicam ad rem noſtram, an ſint legitimæ pleuritides, dum vel doctiſſimis in in arte viris ſimilitudines imponunt. Etenim verbum græcum διαφέρωσι in hoc aphor. non *præualeant* ſignificat, vt placuit Theodoro, ſed *differant,* quemadmodum aptius Leonicenus interpretatus eſt, nec ſanè digna Hippocrate fuiſſet ſententia, quòd animaduertere debeant medici, an dolores ſint vehementes, necne, cùm eorum atrocia per ſe innoteſcat. His adde, quòd in aphoriſmo illo id, quòd frequentiùs accidit Hippocrates exarat, in Coacis id, quod rariùs contingere ſolet.

ANTIPHΩNIA XVI.

Sputum tenue, an crassum in peripneumonia reddatur.

THESIS.

Libro de affectionibus, vbi de peripneumonia Hippocrates sermonem instituit, sputum in ea primis diebus crassum, ac purum reddi, decernit; in sequentibus verò, mixtum, ac varium: sunt verba hæc: *In peripneumonia febris detinet, & tussis, & excreat primum quidem pituitam crassam, ac puram, sexta verò, & septima subbiliosam, & subliuidam, octaua autem, & nona subpurulentam.*

Est autem id rationi consonum; siquidem cùm peripneumonia, eodem Hippocrate auctore, fiat, *quum pituita aceruatim ex capite ad pulmonem fluxerit*, vbi primùm tussis excitatur, humor huiusmodi pituitosus, & crassus, qui in poris est, ac superficie tenus pulmonibus hæret, reiectari debet; alij namque humores, vt sanguis, & bilis, cùm intra pulmonis venas reperiantur, non ita facilè educuntur.

Rursus Præceptor ijs verbis coctionis progressum delineat; in principio enim cùm nondum pepasmus esse possit, quæ expuuntur pura sunt, & crassa, hoc est non dum coctione maturata; in sexta verò, quia natura iam coctionem aggressa est, at non dum plenè adæquauit, hinc est, quòd subbiliosa, & subliuida apparere incipiunt, donec, absoluto vndequaque pepasmo, materia in pus conuertitur, & sputum subpurulentum redditur. Quid multa? Sputum, quod primis diebus redditur, est fluentis, non autem fluxæ pituitæ soboles, ideòque crassum, & purum; in reliquis verò diebus, quoniam coniunctæ materiæ aliquid incipit excerni, subbiliosum, subliuidum, ac subcruentum.

ANTITHESIS.

Atqui tertio de morb. num. 16. vbi peripneumoniam pariter examinat, ἐναντιόφωνον habet manifestum; quippe non crassam pituitam à principio excerni, verùm tenuẽ, ac spumosam, tradit; audiamus: *Hæc autem patitur homo minimum diebus quatuordecim, ad summum vna, & viginti, & per hoc tempus tussit vehementer, & vnà cum tussi purgatur primùm saliua multa, & spumosa, septima verò, & octaua die, vbi febris in vigore fuerit, si humida sit peripneumonia, crassior prodierit, sin minùs non; nona verò, & decima cum virore pallida, & subcruenta, duodecima autem vsque decimamquartam multa & purulenta:* Et hæc eadem verbatim repetit libro de diebus iudicatorijs.

Cæterùm ἐναντιολογία hæc suaderi posse, videtur ex eo, quòd tunc sputum crassius reddi debet, cúm coctio celebratur (nam coctione crassescit materia quæque) iam coctio non à principio reperitur vlla; igitur sputum crassescere nequit ab initio.

SYNCATATHESIS.

Difficultati ibitur òbuiam, si dicatur, in peripneumonia valde humida (distinguit enim Hippocrates humidam à sicca) ob materiæ à capite defluentis illuuiem à principio tenuem, atque crudam reddi posse excreationem; quippe ob materiæ perennem ad pulmones rheumatismum, affluentemque de capite pituitam natura absque vlla coctione cogitur illam quoquo modo expellere, siue sit spumosa, siue crassa, crassa verò non semper est à coctione, sed plerunque à propria natura, & frigiditatis gradu, & huiusmodi est à principio, cùm præsertim haud valde humida peripneumonia existit.

Cæterùm, si perpendantur Hippocratis verba in tertio de morbis, vult ille, post septimam in humida peripneumonia crassiorem expui saliuam, cùm febris in vigore fuerit, cuius calore partim exiccata fuerit vberior pituita, partim coctione adæquata; vt enim alibi quoque diximus, febrilis calor coadiutor fit interdum natiuæ caliditatis ad morbificæ materiæ coctionem, vt in conuulsione palàm fit, cui febrem superuenire, vsque adeò salutare est. Vide antiphωniam de febre conuulsioni superueniente.

ANTIPHΩNIA XVII.

Qui acidum eructant an pectoris morbis fiant obnoxij.

THESIS.

SExto aphorismorum 33. ὀξυρεγμιώδεις hoc est acidum ructum habentes, pleuriticos rarò fieri, Hippocrates exarauit: verba sunt: *Qui acidum ructum habent, rarò pleuritici fiunt.*

Assertionis huiusce ratio satis innotescit; cùm enim ὀξυρεγμιώδεις, Galeni arbitrio, triplici de causa fiant, vel scilicet à frigida ventriculi intemperie, vel ab acida pituita in eodem stabulante, vel à frigidorum alimentorum copia; vndecunque sanè oxyregmia exoriatur, frigoris erit soboles, & pituitosi, crudique succi alumna. At pleuritis, quæ membranæ inflammatio est, non à frigore, neque à denso, compactoque humore fieri potest, verùm à tenui duntaxat, biliosoque succo, ideòque, si quis acidum eructet, ab omni inflammatione longiùs abibit. Porrò succus acidus, siue sit ille pituitosus, siue melancholicus, non solum quia frigidus existit (acida enim pituitosa sunt Hippocrate libro de locis in homine auctore) ineptus ad pleuriticum phlegmonem censeri debet, verùm etiam, quoniam crassitie, ac terrestreitate sua nequit pleuram facilè permeare, ac peruadere, atque adeò systrophen inibi excitare nequibit.

ANTITHESIS.

LIbro de internis affectionibus num. 7. peripneumoniæ, quæ pleuritidi cōgenea est, signa percurrens, qui illa detinetur, acidum eructare, tradit; hæc sunt verba: *Hæc igitur æger patitur: tussit fortiter, & saliuam expuit liquidam, ac multam, sæpe etiam crassam, & albam, velut à raucedine, & dolor premit acutus in pectore, & dorsum, & laterum mollitudinem, ac latera, & acidum eructat*; mox paulò infra. *Et vomit pituitam acidam, & si id, quod vomuit, in terram effundas, radit terram velut aceto infuso,*

fuso, & dentes stupescunt &c.

Probari verò & hoc antitheton potest ex eo, quòd acida etiam tenuium partium sunt, facilèque cuncta peruadunt membra, ideòque & in pleuram insinuari possunt, ibique distentionem facere, vnde ad motum difficultas, ac dolor, à quibus mox accersiri sãguis potest, atque inflammatio fieri; eo prorsus modo, quo peripneumonia, vt Hippocrates idem libro de affectionibus num. 9. tradidit, *fit quum pituita aceruatim ex capite ad pulmonem fluxerit*.

Adhuc ructus acidus non magis frigidi, quàm calidi est index, quod patet ex secundo epidem. sect. tertia 23. vbi legitur: *sanguineum, subbiliosumque acidum ructum faciunt, fortè autem & in atram bilem his finitur*. Hanc sententiam confirmarunt Alexander Trallianus libro 12. cap. primo, nec non libro septimo, atque Auerrhoes tertio Collect. cap. 40. asserentes aciditatem fieri tam à calido, quàm à frigido; à frigido vt per cruditatem; quod in fructibus conspicuum fit, qui ante quàm maturescant, acidi sunt, maturi verò dulcescunt; à calido autem per putrefactionem, vt acetum, quod ab externo calore media putredine gignitur.

SYNCATATHESIS.

Symphωnas reddemus Hippocratis voces, si dixerimus, quòd is haud absolutè negauit, ὀξυρεγμιώδεις pleuriticos fieri, sed rarò pleuritide vexari, scripsit, ob ipsius videlicet frigidi humoris contumaciam, ac frigiditatem; quare & qui acidum eructant, in hunc aliquando morbum abire poterunt; si præsertim bile intra venas abundent; associari enim non ægrè possunt frigidus ventriculus, & feruidum hepar, vnde bilis prouentus.

Secundò dicamus, quòd Præceptor de vera, & exquisita pleuritide in aphorismo verba fecit, quæ procul dubio à sanguine bilioso, & nullo modo à pituitoso ortum trahit.

Tertiò tandem addere fas erit, quòd longè alia est pleuritidos, ac peripneumoniæ ratio; hæc enim, vt libro illo de affectionibus dictatur, à pituita aceruatim in pulmonem illabente fieri potest: cùm enim pulmones rari valde, ac spongiformes existant, succos etiam crassos, & lentos excipere facilè queunt, qui tamen in pleuram alioquin densam, & nihil spongiosam nequaquam irruere valent, & si irruant, vix inuenient hospitium.

ANTIPHΩNIA XVIII.

In hypochondriorum dolore an febris superueniens bona.

THESIS.

LIbro sexto Aphorismorum 40. Medicorum Nomophilax illa habet: *Quibuscunque dolor sine inflammatione hypochondriorum excitatur, his febris superueniens dolorem soluit.* Thesis roborari potest quinquagesimo secundo aphorismo septimi libri, vbi hæc: *Quibus hepar admodum dolet, ijs febris superueniens soluit dolorem.*

Euentus ratio in promptu esse potest illa eadem, quæ alibi probauit, febrem conuulsioni superuenientem ad salutem apparere; calor namque febrilis crassos, frigidosque humores, id genus dolorum feraces attenuat, coquit, ac diffundit; quare dolor eiusmodi tam iocinoris, quàm hypochondriorum citra inflammationem tamen, cùm non nisi à flatu, aut cruditate oboriatur, à febrili calore edomari, vel mulceri poterit, discussis flatibus, aut apepsia mitificata. Plura collige ex Antiphωnia, in qua de febre conuulsioni superueniente agitur.

ANTITHESIS.

AT secundo Prorheticorum est manifesta antirrhesis; legitur enim: *febres ex hypochondriorum doloribus malignæ;* neque dictatum deficit ratione; siquidem æstus, & hypochondriorum phlogosis semper est calamitosa, febremq; parit contumacem, & remedijs inexpugnabilem, quo consilio Hippocrates & in Prognosticis, & in Epidemicis hypochōdriorum attrectationem à Medico in febribus sedulò faciendam esse, monet, ex eo quòd, vt in Prognosticis: *Hypochondrium optimum, quod sine dolore est, & molle, & æquale dextris, & sinistris partibus &c.* Quin 2. Epidem sect. 3. textu tertio morborum constitutionem quandam describens, tanquam præsentaneum salubritatis argumentum, adducit, quòd *neque splenes attollebantur, neque dextrum hypochondrium,*

drium, neque doloroſum valde, neque intenſum ſortiter. Rurſus lib. tertio eorumdem morborum popularium ſect. prima, ægroto 2. Hermocratis deſcribens hiſtoriam, ſtatim habet: *Hypochondrij intenſio molliter;* vbi Valleſius: *Hoc oportet conſiderare hoc loco, diligentiſſimum Hippocratem nunquam in febribus acutis omiſiſſe hypochōdriorum attrectationem, quam in Prognoſtico commendauit, & meritò quidem. Vix quippe vnquam occurrit vlla earum febrium, quæ vehementer ardent, vt per quas lingua excuſta eſt, & quæ exeunt de ventre torrefacta, quin aliquod internorum viſcerum præcipuè patiatur; habeatque inflammationem, aut eam, quam phlegmonem Græci vocant, aut pro hac eryſipelas, aut quam vocant phlogoſim, hoc eſt ardorem.*

SYNCATATHESIS.

LIcet Galenus Prorheticorum ſententiam refellere nitatur in commentario, illam tamen affabrè conciliabimus, ſi dicatur, hypochondriorum dolorem, cuius eo loci meminit, eſſe ab inflammatione, ſeu phlogoſi, quæ propterea febrem producat malignam, hoc eſt acutam, & curatu difficilem, quæque pharmacis purgantibus irritetur magis: quin febris iſta focum habet, & hyparxin in ipſis naturalibus viſceribus, eſtque non per accidens à dolore, ſed per eſſentiam, aut ſaltem comitata, vt dicitur, ob hypochondriorum affectionem; ita vt licet febris recedat, ſuperſtes tamen hypochondrij affectio, & phlogoſis maneat, iuxta Hippocratis illam doctrinam primo Prorheticorum: *Qui in hypochondrio refrigerata febre, ardores relinquuntur, tum aliàs, tum in ſudoribus mali ſunt.* At in libro Aphoriſmorum, vt liquidò verba ſonant, de dolore à flatu, aut cruditate citra vllam inflammationem loquitur, cui propterea ſi ſuperueniat febris, ocyùs euaneſcat, neceſſe eſt, flatibus, & cruditate à calore diffuſis, ac diſperſis.

Duretus in annotatione ſuæ enarrationis in Hollerium capite de obſtructione hepatis perbellè Prorheticorum ſentētiam explicat, quòd ſcilicet ibi Hippocrates de ſymptomatica febre ex hypochondriorum doloribus loquatur, quæ ſemper eſt peſſima; atqui in Aphoriſmis haudquaquam ſymptomaticam febrem intelligat, ſed quæ citra cauſam illius doloris hypochōdriorum aliquo modo ſuboriatur, vt ſolet conuulſioni interdum febris ſuperuenire non quidem ab eiuſdem conuulſionis cauſa, verùm aliunde, vtpote

ab

ab alterius cuiusdam humoris accensione Naturæ industria excitata, quæ mox maleficam causam inuadit, ac prosternit.

ANTIPHΩNIA XIX.

Icterus ante septimam diem an semper perniciosus.

THESIS.

QVarto Aphorismorum 62. Medicorum arbiter hæc protulit: *Quibus in febribus icterus ante septimam diem incidit, calamitosum*: quam eamdem sententiam in Coacis adhuc luculentiùs his repetit verbis: *Icterus ante septimam diem insidiosus, at vij, ix, xi, xiv proruptus salutaris, qui hypochondria non ibdurat, sin autem anceps.*

Prothematis verò fundamenta rationibus non minùs, quàm experimentis nituntur. Rationum esto prima, quòd nihil ad salutem apparere potest in morbis, nisi in die critica, quæ naturæ addicatur; At verò sexta dies morbi est, non naturæ, ideòque tyranna audit; igitur in sexta κριτικῶς icterus explendescere nequit, Nimirum in his diebus morbo inauctoratis fiunt iudicatoria non iudicantia, quæ aut mortem, aut longitudinem præsagiunt, fitque excretio illa ab erethismo, non verò à superata morbifica causa.

Secunda ratio & illa est, quòd infida semper, & calamitosa censeri debent signa ad speciem crisis, nisi fuerint præsignata à signis ad tempus crisis. Quippe, vt multæ, ac variæ sunt morborum ideæ, variæ etiam criticæ excretiones fieri assolent, quæ omnes sua obtinent antesignana argumenta. Hæmorrhagia exempli gratia, quæ κριτικῶς in synocho excitari consueuit, tanquam præambulones habet narium pruritum, faciei ruborem, oculorum marmarigas. Aluina excretio critica, quæ sospiter aliquibus morbis adiungitur, à borborigmo, siue intestinorum murmure, torminibus, & alui æstu prænunciari consueuit. Vomitus, qui in tertianis criticè superuenit, oris ventriculi morsum, faucium amarorem, hypochondriorum tensionem vt nuncios multò ante præmittit;

tit, & hæc omnia dicuntur signa ad speciem crisis. Iam infaustè, & inauspicatò hæc apparent in morbis, nisi ad tempus crisis præierint signa, quæ nihil aliud sunt, quàm pepasmi indicia. Cùm itaque ante septimam coctionis notæ nequaquam explendescere valeant, iccircò nequit ante septimam icterus ad salutem apparere. Ideòque Galenus in præfati aphorismi hypomnemate: *bilem*, inquit, *iudicatoriè ante septimam effundi, impossibile est*, & 3. Epidemior. comm. primo aphorismo quinto nullum, ait, abscessum ante coctionem, ne dum auriginosum vtilem esse; id quod Hippocrates inculcauit primo Epidemior. vbi testatur, ea, quæ ad salutem decernunt, non statim apparere posse.

Tertia demum ratio illa esse potest; quoniam vt libro de victus ratione in morbis acutis Hippocrates docet, impar numerus in morbis vim maximam obtinet; ideòque in die impari, quando in ephodon suam insurgit natura, aliquid excernere κριτικῶς debet, igitur in sexta die regius morbus infaustus accidit.

Probatur insuper euentu; quoniam, vt Epidemiorum tertio legimus, Hermocrates, qui sexta die factus est ictericus, ac delirus, mortuus est 28. *die*. Phanagareon pariter, qui ante septimam bile suffusus fuerat, compari gradu ad internecionem deductus est, & idem prorsus Heraclidæ contigisset, nisi ab ea calamitate exemisset diarrhæa, perirrhæa, & hæmorrhagia. Quòd si cui Hippocraticæ vetustatis exempla aut non sufficiant, aut exoleta (quod absit) videantur; Neotericos adeat, maximèque Hollerium theoria non minùs, quàm praxi percelebrem, qui capite de Ictero in scholio plurimas recenset historias, quibus palàm fit, nonnullos, qui ante septimam auriginosi facti fuerint, licet morbus remisisset, adeò vt ægri immunes à febre deambularent, facta tamen recidiua, perijsse omnes.

ANTITHESIS.

QVarto de ratione victus in acutis Præceptor tanquam sui immemor manifestam antiphasin proponere his verbis videtur. *In febre biliosa, ante septimam diem cum rigore morbus regius accedens soluit febrem, verùm sine rigore si accedat extra temporis occasiones, perniciosus est.*

Astipulatur huic sententiæ in primis Auenzoar lib. 1. tractatu 3. cap. vltimo asserens, morbum regium ante septimam diem frequenter salutarem esse, ideòque redarguendos antiquos id negantes;

gantes; quibus verbis Hippocratem, & Galenum tacitè vellicat. Auicennas etiam fen.2. quarti sensit pariter, posse ex celeri coctione etiam ante septimam regium morbum ad salutem fieri. Plinius quoque licet polihistor potius, quàm Medicus lib.18. cap.12. Hippocratem carpit, inquiens: *Hippocrates à septima die* (lege *ante septimam diem* cum Vallesio) *icterum in febre mortiferum signum esse, docuit, nos scimus, vixisse aliquos etiam ab hac desperatione.* Auerrohes lib.4.cap.43. Hippocraticū dogma istud manifestè reijciens ait, reprobatum hoc esse experimento in suis terris, & in quinta die accidentem maximè in calidis temporibus opportunum esse. Quid plura? Diocles apud Cornelium Celsum cap. de ictero ex professo docet: *Ex toto si post febrem oritur, etiam prodesse, si post hunc febris, occidere.*

Suaderi præterea potest antithema ratione, & euentu. Ratione quidem primò, quoniam, vt Auerrhoes optimè ratiocinatur, si qua ratione ante septimam diem morbus regius esset malus, qui verò septima, aut post illam non ita, id esset, quoniam septima die κριτικῶς, ante septimam συμπτωματικῶς appareret. Verùm si peracutus exactè sit morbus in quinta die, & sæpè etiam ante illam critica fit excretio; igitur regius morbus etiam ante septimam contingere salubriter potest.

Secundò humor iste biliosus, qui auriginem excitat, cùm natura sua tenuissimus, atque acerrimus existat, naturam potest ocyssimè ad sui expulsionem prouitare, atque adeò celerrimè icteritiam producere.

Confirmatur adhuc euentu, & ne in primis à nostro discedamus Hippocrate, primo Epidemiorum section. 3. *fuerunt,* (inquit) *quibus morbi regij sexta die, sed hos aut per vrinam purgatio, aut aluus conturbata iuuabat, aut magnum profluuium sanguinis*: igitur non infaustè potest ante septimam diem regius explendescere morbus: Nec desunt etiam apud alios authores, ac præcipuè apud Amatum Lusitanum in suis centurijs exempla eorum, qui ante septimam icterici facti euasere à morbo.

SYNCATATHESIS.

SEntentiarum, atque Auctorum diaphonia vsque adeò Neotericorum ingenia torsit, & excitauit, vt in varias abierint opiniones, variasque commenti fuerint responsiones, qua-

rum celebriores duntaxat referam, & expendam. Et quidem fuerunt, qui dixerint, Hippocratem in aphorismis de eo, quod vt plurimum contingit, loqui; in libro verò de, vict. ration. in acut. de eo, quod rariùs accidit. Sed nimis vulgaris, ne dicam futilis; ista est antilipsis.

Ioannes Heurnius vir sagax, ingeniosus, profundèque doctus verba illa libro de victus ratione in acut. morbis πρότον ἕπτα ἡμέρων, idest *ante septimam*, exponit *in septima*. Verùm aliena valde, atq; deducta censeri potest huiusmodi enarratio; neque video nisi vi quadam, cur aduerbium, *antè*, explicari debeat per, *in*; via enim non est terminus.

Nonnulli dixere, icterum vel integris fieri visceribus, vel cum horum cacopragia; saluis visceribus etiam ante septimam posse faustè superuenire, iisdem verò obstructis, aut inflammatione obsessis neque in septima, aut post illam posse ad salutem fieri.

Auerrhoes, quod spectat ad sententiam, quæ aphorismorum quarto exaratur, vt Hippocratem aliquo modo reuerentiæ gratia tueretur, arbitratus est, eius de ictero præsagium in Græcia, non autem in Persia, alijsque calidioribus regionibus veritatem habere potuisse, & huiusmodi antilipsis, siue excusatio probabilis videri posset, quoniam vt ipsemet Hippocrates 3. Prognosticorum circa finem profiterur, prognosis ab eo tradita in Delo, ac Scythia veritatem habet.

At neque plausibilis huiusmodi expositio accedit; quoniam vniuersalissima dogmata, quæ in aphorismis continentur semper, & vbique veritatem habere debent; Neque solùm Græcis medicam pragmatiam conscripsit Hippocrates; quare non est ita coarctanda; præterquam quòd neque absolutè verum est, Græciam, Betica regione frigidiorem esse.

Amatus Lusitanus in Centurijs, vt Hippocratis illam sententiam aduersus experimenta tueretur, censuit, nomine septimæ illum non diem, sed coctionem intellexisse, ita vt sensus sit, ante coctionem in acutis febribus icterum nequaquam salutarem accidere posse, quemadmodum ex mente ipsius absque pepasmi notis nulla alia excretio critica, & salutaris esse potest. Atqui licet ingenua satis hæc responsio videri possit, nimium tamen à germano verborum sensu elongari videtur, quandoquidem in Coacis maximè dierum expresè meminit, non pepasmi.

Adducenda hìc etiam expositio Leonardi Fuksij in commentario eius aphorismi, vbi tradit, eo loci Hippocratem non de

omni ictero, sed de illo duntaxat loqui, qui ab inflammatione hepatis accedit in febribus acutis, ita vt febris sit ipsius inflammationis con sectaria, atque adeò vehemens, & acuta valde: Vide si placet Auctorem, qui basilicè hunc explanat aphorismum. Atqui talis expositio sententiam, quæ vniuersalis est, coarctat ad vnam icteri speciem.

Vallesius vir solidioris doctrinæ, & feracissimi ingenij aliam in medium affert opinionem tanto homine non indignam; inquit enim, Hippocratem nil aliud sentire in aphorismis, nisi quod ante diem iudicantem febrem regius morbus malus existat, & addit septimum diem tanquam potentissimum iudicatorium pro exemplo apposuisse, qua certè ratione accidere potest; vt neque in septima, neq; post septimam diẽ salutaris adueniat icterus, vt in cõmentario relati textus de victus ratione monet Galenus. Ideòq; statuit, quòd in ijs febribus, quarũ dies iudicialis est septimu, sinsalutaris est icterus, ante septimum; in ijs verò febribus, quarũ dies iudicialis est quintus, ante quintũ inauspicatò apparet; in ijs demum febribus, quarũ decimaquarta dies sit iudex, ante decimãquartam pari ratione infructuosus existat. Præclarum, atque ingeniosum hypomnema, cui libenter astipulor.

Sed inter tot scientiarum lumina, ac sententiarum discrimina liceat meam quoque propalare interpretationem, & ἑρμηνείαν. Reor itaq; icterum ante septimam etiam, nullis præapparentibus pepasmi notis, non infaustè apparere posse, dummodo comites fiant aluinæ excretiones, aut vrinæ copiosæ, vel hæmorrhagiæ. Quod nimirum suadetur in primis ex quibusdam verbis, quæ in codicibus antiquis ad aphorismum illum 62. quarti libri apponuntur; vbi enim vulgata lectio habet: *quibus in febribus acutis icterus ante septimum malum*, in quibusdam exemplaribus, teste Galeno in commentario, adduntur hæc verba: *nisi humores ab aluo effluant*: quo modo arguitur, posse quocunque tempore bonis ægri rebus icterum explendescere, dummodo humorum putrilago, & crassior bilis colluuies ad vrinæ regionem, vel ad aluum, vel aliò auocetur. Hanc veritatem & ipse Hippocrates insinuauit quarto Epidemiorum textu 63. in historia Mariti Lechi, qui factus ante septimã ictericus, mortuus est in octaua, eo quòd nihil neque per vrinam, neque per aluum emisit: verba perpendite: *Maritus Lechus, qui propè Sitodochi ædes ictericus, ad quem septima die veni, octaua moriebatur neque vrinam, neque deiectionem emittens.* Et sic Aphorismus quarti libri, ac textus de ra-

tione victus nullam prorsus habebunt antiphωnisin.

Verùm enim verò illud obseruandum, quòd in libro de ratione victus in morbis acutis Hippocrates salubris icteri antesignanum facit rigorem: cur hoc? Memoriæ reuocetis, quòd alibi tum in aphorismis, tum in Coacis dixerat Hippocrates, quòd febri ardēti si semel rigor superueniat, febris solutio, ex eo videlicet, quòd bilis ab intra ad extra fit ἀθρόως effusio; qua occasione membranosæ abdominis particulæ vellicantur, ac punguntur, vnde mox humorum sequitur exclusio, & motio, vt Galenus 2. de symptωmatum causis testatur. Vult itaque significare Præceptor, quòd quatenus per modum crisis icterus appareat, necesse est, rigorem præcedere, qui totius bilis effusionis est prodromus. At verò si sine rigore fiat, & ἔξω τῶν χαιρῶν, hoc est extra temporum occasiones, vt loquitur Hippocrates, quia symptωmaticῶs fieri, designat, malum est. *Sed quibus rigores in sexta die fiunt*, aiebat Hippocrates, *malum*; quomodo hic bonus esse potest? Ardua nimirum difficultas, cui tamen satisfit, si dicatur, rigorem malum esse prorsus, si nulla consequitur euacuatio.

Preterea doctrinam hanc meliùs enucleantes, dicamus, icterum vel esse simptωmaticum, vel criticum; symptωmaticum, qui vi morbi ab erethismo, non naturæ triumpho prorumpit; criticum, qui naturæ dominio, apparentibus pepasmi notis, explendescit. Posito iam, quòd verum sit, regium morbum non posse ante septimam diem criticῶs apparere, quoniam, vt in illius Aphorismi commentario Galenus habet, ante septimam ipsam diem bilem iudicatoriè effundi, est impossibile: potest saltem ante dictam diem apparere symptωmaticῶs quidem, non tamen omnino infaustè, sed modo quodam ad salutem, quatenus fit humoris, qui intus est, exclusio, ita vt dici valeat symptωmatica crisis, vt vocat Forestus. Etenim genericè verissimum est aphoristicum illud prothema: *erysipelas* (quo nomine calorificè omnes affectiones, ac systrophicæ inflammationes intelliguntur) *ab internis ad externas partes procedere, bonum est*. Ita licet in febrium paroxismis, ac principijs inuasionum, nec non in cholerica passione contingant vomiturit ones vi morbi duntaxat, non tamen absque aliquo naturæ fructu fiunt; siquidem sæpè peracto vomitu leuantur ægri, cessantibus saltem pro maiori parte ventriculi morsu, lancinatione, æstue, & halysmo; quocirca non raro naturæ auxiliares manus afferentes, motum illum emeticis remedijs adiuuare solemus. Est itaque bonus absolutè icterus in septima, aut post illam, quoniam febrem absoluit:

est quoque modo quodam insalubris ante septimam, quoniam haud iudicat morbum. Est etiam quodammodo bonus ante septimam, quoniam in illa effusione intrinsecæ, & coniunctæ febris causæ detrahitur, & à centro ad corporis ambitum eadem delegatur; quin sæpè totum ipsum prosternit affectum, quando compertum est, biliosos humores ob eorum tenuitatem absque vlla præparatione interdum effundi, quos Galenus libro quos, & quando purgare oporteat, apertis fidibus tradit.

Idipsum roboratur ex primo Epidemiorum sect. 2. vbi senex nonnullos ante septimam auriginosos factos recenset, qui tamen vitæ periculo defuncti sunt: quin etiam quarto Epidemiorum multi leguntur icterici facti κατακορέες, idest valde flaui ab ipsa prima die acutarum febrium, nec tamen legitur, interijsse omnes, sed solùm Hippocrates ait: *Non recipientes iudicationem sincerè amantes reuersionis*. Neque in Aphorismis idem astruit, icterum ante septimam diem erumpentem funestum esse, vt citato loco iniuria scribit Plinius; verùm ait, κακόν, idest malum, quemadmodum in Coacis eadem voce vtitur græca; quibus verbis haudquaquam interitus necessitas, sed solummodo periculum, aut morbi diuturnitas, vel pertinacia significatur. Ita pariter apud eundem Hippocratem verbum θανάσιμον periculum aliquod, non autem certum interitum indigitat, vt 2. Aphorismorum primo potissimùm ijs verbis innotescit: Ἐν ᾧ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιέει, θανάσιμον: *In quouis morbo somnus laborem affert, mortale est*: verbum illud θανάσιμον discrimen tantummodo sonat; nemo enim ignorat in plurimis, imò cunctis affectionibus huiusmodi à somno laborem fieri, nec tamen omnes ad letum inde deduci.

Ita ergo & ante septimam diem, & postillam salubris euenire potest regius morbus, nec tamen ἐναντιόλογος censeri debet Hippocrates.

ANTI.

ANTIPHΩNIA XX.

In hydrope an conducat, ventrem aqua impleri.

THESIS.

LIbro de affectionibus, vbi de Hydrope senex agit, hæc leguntur: *Morbus autem est letalis, cùm aliàs, tum si venter aqua repletus fuerit*. Septimo Aphorismorum quinquagesimo quinto, tanquam è sapientiæ δικαςήριῳ subliniori, luculentiùs adhuc confirmat his verbis: *Quibus iecur aqua refertum erumpit in omentum, ijs venter aqua impletur, & moriuntur*.

Dictati fundamentum est vna ratio; quippe vbi in hydropepleno ventre fluctuat aqua, euidens est argumentum, consummatam iam esse morbosam diathesin viscerum ἀποπίχιη, & sanguificatricis virtutis in primis alienatione, quæ duo vbi adsunt, mors iam pulsat ad fores. His adde, quod vbi iam aqua plenus venter fluctuat, periculum imminet, ne omentum corrumpatur, quod extrema censetur calamitas. Quid multa? licet è ventre aqua abundè effluat, spem salutis tamen haud semper adducit; imò non raro citius interimit, vt quarto Epidemiωn textu 81. videre est in puero illo apud villam Hippalogi, de quo sic narratur: *Cui tenuia euenientia partem aliquam euacuarunt*; mortuus tamen ille est. Vallesium in commentario adeunto. Nec desunt apud polyhistores nostros monumenta illorum, qui hydero detenti, aqua demissa periere.

ANTITHESIS.

AT sexto Aphoris. 14. toto Cælo discrepantem recinit sententiam; audiatis: *Hydropicis si aqua è venis in ventrem effluxerit, soluit morbum*. Confirmat lib. de iudicationib. num. 11. vbi hæc: *In his, qui ab hydrope detinentur, si aquositas per ventrem ad vesicam, aut ventrem fiat, solutio fit* Rursus ratum id facit in Coacis, vbi sic: *Incipiente hydrope, si alui profluuium sine ἀπεψίᾳ, seu cruditate proueniat, malum soluit*.

Et est hìc etiam in promptu ratio; quippe serosa illa coluuies, quæ inter peritonæum, atque omentum occludebatur, si per venas meseraicas refluens, ad intestina conuertatur, exitum inueniés morbum soluit; vt aliquando faustò contigisse, experimenta, & Auctorum monumenta suadent. Quin eodem consilio libro de affectionibus Magister ad aquam educendam naturæ imitatione pharmaca hydragoga exhibenda esse, monet; sic num. 23. *Hunc si à principio acceperis priùs, quàm aqua subcrescat, pharmaca bibẽda dato, à quibus aqua, aut pituita purgatur*; in quem finem ad ipsam paracentesin interdum confugere cogimur, vt ipsa hydronosa collectio educatur, vnde subdit citato loco Hippocrates: *si igitur à pharmacis, & alia victus ratione æger vtilitatem percipiat, & venter ipsius euacuetur, benè est, sin minùs, sectione facta, aquam emittat.*

SYNCATATHESIS.

NVnquam, & nusquam ἀσύμφωνος noster erit Hippocrates, sed vbique concors, constans vbique sibi apparebit, si ingenij acies eius doctrinæ polydedala penetralia subire conetur. Libro itaq; de affectionibus, & septimo Aphorismorum ventris nomine capacitatem illam intelligit, quæ inter peritonæum, atque omentum interiacet, & hæc si aqua repleatur, ob adductas in Thesi rationes letale vtique est. At sexto Aphorismor. lib. de iudicationibus, & in Coacis pro ventre intestinorum cauitatem intellexit, ad quam si serosa colluuies transmeet, exitum inueniens, ab ægritudine exoluet ægrum. Sed neq; hoc faustè cedet (lector caue tibi) vbi labefactatatis iam visceribus, perennis materiæ fit generatio; quod sedulò recolens Hippocrates, addit in Coacis verbum illud, *Incipiente*, vt rei Medicæ consultos moneret, irrita esse tam Artis, quàm Naturæ adminicula in hydrope, cùm altas hic fixerit radices, & hepatis, aliorumque viscerum hectica dyscrasia adfuerit; quo pariter consilio aiebat sexto Epidemiorum sect. septima textu nono: *hydropicos celeriter secare*. Mentiri non faciunt nos antiquorum monumenta, & quotidiana exempla. Nuper vxori egregij Vrbis Aromatarij D. Ioannis Antonij Vestrij viri vndequaque optimi, meique singularis amici, cùm diu ascite laborasset, reseratus est sponte vmbilicus, è quo ingens aquæ copia in altum saliens eruperat, vnde coniux lætabundus triumphum canebat. At ego dolens, illũ sua spe defraudari, in extremo

periculo

periculo vitam vxoris multò magis, quàm ante prædixi non sine ipsius Aromatarij, & aliorum admiratione. Præsagium infaustum euentus probauit, nam triduo post aquæ eruptionem obijt.

Dicas demum, loqui Hippocratem in Coacis, & alibi de hydrope, quem ὑποσαρκίδιον vocant, in quo cùm aqua intra venas contineatur, si illa è venis in ventrem effluat, vtique salutare erit, dicente in libro de iudicationibus Hippocrate: *Si à pituita alba occupato alui profluuium vehemens accedat, solutio fit*, & idem sentiendum erit de hepatis hydrope ab hydatidibus, quæ si disrumpantur, & in ventrem aqua irruat, faustò cedet. Per quas autem vias aqua ista in ventrem irrumpere valeat, docet in Coacis Duretus, cujus verba registrare placet: *Mea autem sic ratio est, humorem cieri, & attrahi per venas, quæ attrahendi potentia carnes ipsas præcedunt, denuò in omentum, & inde in lienem, vnde per splenica vasa παρεγκέπτωσιν habet in mesenterica, & inde profluit ad intestina*;

ANTIPHΩNIA XXI.

Nigræ deiectiones bonæ, an malæ sint.

THESIS.

QVarto Aphorismorum 21. ita Præceptor sanxit. *Deiectiones nigræ, cuiusmodi est sanguis niger, quæ vltrò diffluunt, tum si cum febre, tum si sine febre calamitosæ, & quò plures deiectionum colores deteriores fuerint, eò calamitosiores*. Sententiam ratam facit in sequentibus duobus Aphorismis eiusdem libri; in xxij. enim ait: *Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis, vel supra, vel infra exierit, lethale*; & in 23. luculentiùs: *Quibuscunque ex morbis acutis, aut diuturnis, vel ex vulneribus, siue quouis alio modo extenuatis nigra bilis, siue vti sanguis niger desubter exierit, postridie moriuntur*. Confirmat Galenus libro de vict. ratione in acut. comm. quarto, vbi nigram deiectionem mortem indicare, tradit, & sanè tam in acutis, quàm in diuturnis morbis funestè apparent semper excrementa nigra.

Nec prolatæ sententiæ suæ desunt rationes, quas ita compendio

dio recolo: Nigrę deiectiones partium peculiare vitium, & viscerum cacopragiam, æstuationem, aut morticinium indicant, indomiti humoris, atque atræ bilis cùmprimis præseferunt speciem, retentricis ignauiam, excretricis ingentem erethismum, debellatas naturæ vires, & naturalem præcipuè œconomiam prorsus deprauatam redarguunt. Cæterùm variegatæ id genus excretiones, & multigenis imbutæ coloribus, cùm plurium partium dyscrasias, & succorum omnigenas impuritates arguant damnantur meritò ab Hippocrate; Nimirum si qualitas vna mala naturæ fit infensa, multiplex humorum vitium comminabitur perniciem.

ANTITHESIS.

Mirum, quòd in eodem quarto aphorismorum 25. statim factus ἀσύστατος palinodiam recinit Hippocrate; habet enim: *Si cui sanguis per superiora erumpat, cuiusmodi tandem is fuerit, calamitosum, at per inferiora nigra si recedant, bonum*. Sed antithesin antithesi adiungamus: Septimo Aphorismorum 37. recensitæ iam sententiæ oppositum exarauit; audiatis. *Quicunque euomunt sanguinem, si sine febre quidem, salutare, si verò cum febre, malum*. Hem quanta contradictionum, seu difficultatem congeries! Nimirum etiam citra febrem sanguinem reuomi, horrificum est, vt Præceptor aiebat; siue enim è thorace, ac pulmonibus, siue è naturalibus partibus effluat quomodolibet, aut per anastomosin, aut per diæresin, riximque procedat, calamitosum est. Vix autem opus est alia ratione ad probandam superiorem sententiam; quippe cùm sit sanguis nectar viuificum, spirituum domicilium, atq; vnus naturæ thesaurus, in quo vita suam habet hyparxin, non potest nisi malo salutis omine, ac vitali dispendio extrudi, atque euomi teste Aretæo, qui dicebat, horrendum esse sese instar victimæ mactari, videre; vnde est, quòd à Galeno eius excretio toto genere præter naturam dicitur: Bone Deus! quando impunè reijcitur vnquam sanguis per superiora, maximè si è spiritalibus erumpat organis? quàm terrificum illud præsagium in aphorismis: *A sanguinis sputo puris sputum, à puris sputo tabes, à tabe mors?*

SYN-

SYNCATATHESIS.

Ea difficultatum, & contradictionum aceruum explanemus. In 21. illo quarti libri aphorismo Hippocrates vltroneas atrabilares deiectiones damnat, vt quę ingens vitium, atque insignem arguunt partium dyscrasiam, nec non efferi humoris vel terram erodentis, qualis est atra bilis, speciem referunt. At cur, dices, spontaneæ excretiones abiurantur magis? nonne idem efferatus humor est ille, qui vltrò exit, & qui pharmacia expellitur? Respondeam, quòd licet idem, non est prorsus idem vt signum saltem; Nam qui vi pharmaci deducitur, sola peccat synathrismo; sed qui sponte effertur, visceris alicuius deterius vitium significat, vnde perennis talium excrementorum fit generatio; adestque perpetuò facultatis erethismus, & euidens periculum, ne pars, intemperie fracta, διάλυσι ocyùs pereat. Audias, mi lector, Hippocratem, sine cuius auctoritate vix vnquam eloquar, libro de locis in hom. num. 45. *Bilis vbi sua sponte eruperit aut infernè, aut supernè difficiliùs sedatur, quæ enim sponte procedit, præ violentia corpori facta impellitur, si verò à medicamento fluat, non à gentilitatis cognitione violatur.* At in 25. aphorismo verbis illis: *nigra reiecta bonum*, Galeni arbitrio sanguis hæmorrhoidalis intelligi debet, qui in melancholicis si modum non excedat, mirificè prodest, imò & à morborum iliade præseruat, cùm dicat 6. Aphorismorum senex, melancholicis, insanientibus, vt & nephriticis si hæmorrhoides superueniant, bonum esse, & 6. Epidemior. sect. 3. circa finem: *Hæmorrhoidas habentes neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagædena, neque furunculis, neque terebinthi formam habentibus, fortasse neque lepra, fortasse autem neque alijs.* Galenum adeunto, si placet, in commentario 25. huius Aphorismi, vbi ex professo pluribus antilogiam hanc examinat, & componit.

Hæc tibi διαλλαγή, siue conciliatio si minus, lector, arrideat, aliam sume Hippocratis mentē. In aphorismo illo septimi libri, vbi ait: *Quicunque euomunt sanguinem, si sine febre quidem, salutare*, verbum σωτήριον non positiuè, sed comparatiuè excipiendum est, facta videlicet collatione cum sanguine, qui cum febre euomitur, qui procul dubio deterior est, eo quia phlegmonem adesse in parte, vnde sanguis exit, significat, & plerunque sanguis, qui cum febre erumpit, à spiritalibus membris emanare solet; semper ergo

vndecunque exeat sanguis siue cum febre, siue sine febre, malum est ob rationes supra adductas, verùm salubrior, id est minùs malus erit, qui citra febrem effertur. Neque infrequens, & inusitatum est, vt inter duo mala vnum altero *melius*, dicatur, licet vtrunque vt malum non possit esse bonum; ita vulgatum illud apud Hippocratem pluribus in locis: *melius est, febrem superuenire conuulsioni, quàm conuulsionem febri*: porrò neutrum ex his bonum est, attamen minus malum erit, si febris conuulsioni accedat, & hoc minus malum per verbum, *melius*, explicatur; Ita pari ratione dum dicitur 4. Aphorismorum: *infra autem nigra deiecta, bonum*, ἀγαθὸν æquè valere, Galenus affirmat, atque vocem ἄμεινον, hoc est, *melius*. Hinc Fuksius aphorismum hunc apposité vertit vtrobique per verba comparatiua sic: *Sanguinis vomitus, si sine febre, salubrior est, cum febre verò peior*; qua quidem paraphrasi omnem eximit difficultatem. Excipe tamen hìc, lector, ne erres, qui exit sanguinem in febribus per modum crisis, aut citra febrem ob plenitudinem, vel è naribus ita patulis consultò à natura fabrefactis, vel per vteri venas; de his enim haudquaquam Hippocrates loquitur, quod palàm fit ex ijs, quæ subduntur, verbis: *Curare autem hunc oportet cum astringentibus, & refrigerantibus*; atqui hæc nullo pacto in crisi, & naturali effluuio conueniunt; præterquàm quòd febres multas per hæmorrhagiam absolui, luce clarius est.

ANTIPHΩNIA XXII.

Lienosis dysenteria an salutaris.

THESIS.

MAgister 6. Aporismorum 48. docuit palàm, superuenientem splenicis dysenteriam ad salutem apparere; hęc sunt verba: *Splenicis dysenteria superueniens salutaris est*. Quod euentu confirmat quarto Epidemiorum numero 46. vbi ea leguntur: *Post Pleiadem occasum splenica, & vsque ad quintum fluebant. Iudicabantur*.

Id nimirum licet sæpissimè manifesto periculo probatum fuerit, quo

quo sæpè vidimus, splenicos copiosa, nigra, vel cruenta etiam excretione ab emphraxi alioquin rebelli euasisse: potest attamen ratione suaderi; quoniam scilicet omnis deponitur obstructio, vbi humorum saburra secernitur, & naturæ eccrisi euacuatur; cùm autem è liene ad intestina sint manifesti, atq; insignes ductus, possunt, qui in hoc viscere continentur succicrassi, & impuri, ad aluum recto tramite excurrere, & foras erumpere. Adde insuper, quòd splenicis oportuna superuenire potest dysenteria, quòd in illa affluentium à toto corpore humorum deriuatio fieri valeat; lien enim, Hippocrate arbitro 4. de morbis 14. morbosissimus est natura sua, tum quia attrahit auidè, tum quia excipit affatim, quòd venæ multæ, & amplæ in eo reperiantur; inde subdit: *Quemadmodum in vase magno amplior capacitas est, quàm in paruo, sic sanè & in capite, aut in splene res se habet: magna enim capacitas maximè in ipsis est; si verò repletæ fuerint istinc humore venæ, ab ipso sanè in illis morbus oboritur.*

Cæterùm cùm spontanea euacuatio secundum naturam sit in morbis artificiosa præstantior, ac securior, cùmque artificiosa in splenicis conueniat semper, vt habetur 2. de morbis num. 60. vbi Auctor purgationem, eamq; validam præcipit his verbis; *Splenicum ne purges neque succis, neque lacte, neque sero, sed eo, quod modicum ingestum multum educet, purgabis*, sequitur, quòd dysenteria lienosis maximè conducat. Quid multa? & libro de internis affectionibus Hippocrates, vbi lienis quinque enumerat morbos, in omnibus veratro, & cocco cnidio deorsum purgat: *Huic cùm sic habuerit, veratrum purgans deorsum bibendum dato, & cnidio cocco subpurgato. Ad vesperam autem post purgationem lenticulæ acidioris heminam sorbendam dato.*

ANTITHESIS.

At nimis proximè factus est sibi ipsi aduersus Hypocrates, quando in eodem libro aphorismo 43. contrarium statuit: *Qui splenetici à dysenteria corripiuntur, eaque si longa fuerit, his hydrops, vel lienteria superueniet, & moriuntur.* Suadet autem ratio, quoniam nullam violentam eccrisim, ac motionem natura tolerat, ergo multò minus dysenteriam, quæ ob sanguinis dispendium viscera calore, ac spiritibus defraudat, corpusque vniuersum torminibus lacerat, vnde mox naturali facultate fatiscente, coeliaca passio, hyderus, ac tandem fata suprema

prema superueniunt. Est plausibilis, & vbiq; receptus aphorismus quinquagesimus primus secundi libri, vbi hæc, *Plurimum, & repente euacuare, aut explere, aut calefacere, aut aliter quomodocunque corpus mouere periculosum; & omne nimium naturæ inimicum.*

SYNCATATHESIS.

IN aphorismo 48. dysenteriam commendat Hyppocrates, quę naturæ viribus non sit superior, & quæ breui dierum spatio absoluatur; hoc enim modo salutaris accedet, & lienis obstructionem facilè eximet. Enimverò splenicorum cruenta, nigraque deiectio, quinq; aut septē ad plurimū dies superare non debet iuxta Præceptoris obseruationes, ac decreta 4. epidem textu 46. vbi illa: *Post pleiadum occasum splenica, & vsque ad quintam fluebant. Iudicabantur.* Vbi Vallesius in Commentario sic: *optimè ergo hac tempestate actum est cum splenicis, quibus splenica excrementa vsque ad quintum solum diem fluebant, & mox cessabant.*

At verò in aphorismo 43. vt liquidò ex verbis innotescit, de pertinaci dysenteria verba facit, quę licet lienis atratos exhauriat succos, fit nihilominus infensa, quoniam corpus vniuersum viribus effœctum reddit, hepar refrigerat, splenem ipsum lassat ampliùs, & infirmat, virtutesque omnes denique imbecilles præstat, vnde mox aut hyderus, aut lienteria in promptu fiunt.

Dicamus insuper, quòd in aphorismo 48. de dysenteria loquatur Hippocrates, quæ absque intestinorum vlcere contingit, estq; melancholici, & atrati sanguinis duntaxat effluxus. In 43. verò de legitima dysenteria eloquatur, quæ cum torminibus, atque intestinorum vlcere, & febre semper inuadit. Etenim, vt Galenus 3. de symptomatum causis testatur, dysenteriæ nomine sanguinis cuiuscunq; ex podice exitus intelligi potest, vnde coniectari fas est, dysenteriæ nomine aphorismo illo 48. significari hæmorrhoidalem fluxum, qui splenem tutò, & affatim exonerat, alibi verò denotari fortè dysenteriam ab atra bile, quæ funesta est semper, vt in aphorismis. Claudat syncatathesim Vallesius in præfatæ sententiæ 4. epidem. commentario. *Ad occasum Pleiadum meritò intumescunt lienes multis ob autumnum, optimè verò liberantur, cùm dysenteria ex fæculentis, ac melancholicis superuenit.*

ANTI-

ANTIPHΩNIA XXIII.

Excrementorum mutationes in dysenterijs an meliores.

THESIS.

SEcundo Aphorismorum 14. hypochorematum immutationes in eccrisi commendantur his verbis. *In alui fluxionibus mutationes deiectionum iuuant, nisi ad praua mutatio fiat.* Confirmat 2. Epidem. sect. 3. num. 2. vbi ait. *Excretiones similes specie semper, malum*: luculentiùs adhuc eodem 2. Epidem. sect. 2. vbi illa: *Mutationes iuuant, nisi ad malum mutentur, velut à pharmacis vomentibus febrium causa, fines in meraciora putrefactionem significant, vt Dexippo.* Rursus 7. Aphorismorum: *Meracæ alui egestiones malæ*; Quas sententias sexcenties repetit in Prognosticis, in Coacis, & vbique. Suadetur id interim ratione, quoniam sincera, seu meraca excrementa aut synthesin, seu colliquationem arguunt à putredine, vel à partium solidarum resolutione, aut exhaustum ab extraneo calore significant. Cæterùm excrementorum varietate varias partes expiari, pluraque viscera exonerari contingit, ideòque virtutis robur, simulque succorum domabilis qualitas denunciatur.

ANTITHESIS.

QVarto Aphorismor. 21. cùm dixisset Hippocrates, deiectiones nigras malas esse, subiungit statim: *Et quo plures deiectionum colores deteriores fuerint, eò calamitosiores.* Cõprobat lib. Prænotion. num. 10. vbi habet; *quæ verò varia sunt diuturniora quidem his sunt, nihilominus autem perniciosa; sunt autem talia, & biliosa, & cruenta, & prasina, & nigra, aliquando simul inter se exeuntia, aliquando particulatim*, & ibidem: *si versicolor est, diuturnior quidem, sed tamen exitialis est.*

SYN.

SYNCATATHESIS.

Hippocratis verba si medullitus expendātur, nullam antilogiam continere inuenientur: quippe 2. Aphorismor. 14. mutationes prodesse; ait, nisi in deterius abeant; quarto verò Aphorismorum 21. plures deiectionum colores non simpliciter damnat, sed tunc solùm cùm deteriores fuerint, quod est idem prorsus, quod in prima sententia asserebatur. Neque semper varietates excrementorum plures partes laborare, & plures humores in vitio esse, denotant; nam pars eadem, quæ ob ingentem dyscrasiam nigrum ab initio humorem producebat, mox eadem intemperie correpta, rursum, aut flauum progignet, & humor, qui peccabat in supremo qualitatis gradu, idem paulò post edomitus, benignior apparet. Sed vt rem exactiùs definiamus diorismo aliquo vtendum, pro quo afferam Vallesij verba ex 2. Epidem. sect. 2. textu 2. vbi Hippocrates dixerat: *Mutationes iuuant nisi ad malum mutentur. Videntur enim deteriores esse variæ, quia multiplicium excrementorum redundantiam significant: Certè non potest hoc sine distinctione dici, neutræ enim sunt simpliciter meliores, sed deiectiones sinceræ sunt quædam, quia non habent manifestam alterius generis permixtionem, vt tantùm biliosæ, quædam, quia & à suo etiam sero sunt depuratæ, vt quæ dicuntur biliosæ sinceræ, vt vitellinæ, & æruginosæ. Variæ sunt aut ex tantùm malis, vt ex simpliciter crudis, & biliosis, aut ex pessimis, vt ex opima nigrà, & fætida, & cruenta. Quæ variæ, & pessimæ sunt, omnium sunt pessimæ, vt dicitur in prognostico, & Aphor. 21. quartæ, quæ variæ ex tantùm malis, aut crudis, peiores sunt vnica sincera non omnino pura, quia multitudinem excrementorum significant, sed minùs malæ, quæ in vnica sincera secundo modo. Quia talis admodum mala est, & vituperatur aphor. 7. septimæ, vbi dicitur. Meracæ alui egestiones, malum.* Hæc ille basilicè, vt solet semper.

ANTI-

ANTIPHΩNIA XXIV.

Æruginosus vomitus an vtilis in Nephritide.

THESIS.

SExto Epidemiωn textu quinto æruginosæ biliis vomitum in nephritide bono omine fieri, apertis fidibus Magister docet; sunt verba: *In renem dolor grauis, cùm implentur cibo, vomuntque pituitam, cùm verò dolores abundauerint, æruginosa, & leuiores euadunt*. Confirmat in Coacis dogmate illo catholico: *Vomitus autem multum habent vtilitatis, ac securitatem, qui pituitam exhibent accuratè mixtam cum bile, si id, quod vomitur, nec ualde sit crassum, nec multum.*

Suadet quoque ratio, quandoquidem cùm nephritis renum vel obstructionem, vel phlogosim, & inflammationem ab humore feruido comitem habeat, ille si affatim vomitu reijciatur, dolorem leniri, ac remitti, necesse est. Dolores nimirum, & vigiliæ dolorum consectariæ humores exagitant, hi exagitati putrescunt, ac furiunt, indeque per venam cauam ad renes malè sanos reflui compressionem faciunt, & calamitatem adaugent, quare, si, facta diadoche, ad ventriculum refluant, & vomitu excernantur, doloris vtique infringetur acuties.

ANTITHESIS.

AT in Coacis aliter sentit, vt his verbis elucescit: *qui crebrò, & parcè biliosi sunt, vomitus meri, malè habent in multa deiectione, & in prægrandi lumborum dolore.*

Antithesi sit vna ratio, quòd sinceræ excretiones semper malæ, Hippocratis arbitrio, & in multa deiectione vomitus fit semper malis auspicijs, eo quia tractum significat in consensum ventriculum, huiusque tonum iam fatiscentem à nimia deiectione, eamque insuper esse arguit lumborum affectionem à plenitudine, & insignis tum venæ, tum arteriæ cacochymia, vt natura erethismo excitata sterili conatu nitatur, quod molestum, ac noxium est,

expel-

expellere. Cæterùm id genus vomituritio phlegmonicam, aut calculosam nephritidem arguit, & quod est adhuc deterius, dolorum causæ vomitu non excernuntur, vt accidit quoque in cardialgia, & nausea, in quibus è lumborum plethora expressum serum sterilis tum vomitus, tum deiectiones proritat multo ægrotantium damno. Adde insuper, quòd æruginosus vomitus tanquam merus damnabitur semper, vt enim in Coacis: *Sed ea, quæ vomuntur meraciora, peiora*. Quid plura? pessima sunt symptωmata omnia, quæ à dorsi, lumborumque dolore originem ducunt; audiatis in Coacis ijsdem Hippocratem: *Quæ ex dolore dorsi principia morborum ducuntur, difficilia sunt*.

SYNCATATHESIS.

OMni contradictionis nota defungitur Hippocrates, si eius verba medullitus perscrutemur; nam in Coacis inquit: *qui crebrò, & parcè biliosi sunt vomitus meri*; quibus verbis palàm signatur vomitus non solum sincerus, qui semper, & vbiq; damnatur, sed etiam creber, & paucus, qui nunquam, & nusquam criticus est; vnde ab eo renes, lumbosque concuti, & quati magis quàm alleuiari contingit. At vbi vomitus procedunt non quidem crebrò, & parcè, sed semel, & ἀθρόως, vt sexto Epidemiorum Præceptor supponit, mitior dolor fit exclusa vniuersa materia comprimente, aut inflammante; hinc ipse idem in Coacis in simili dolore elleborismum commendat, à quo multus, ac spumans vomitus tum reuulsionis, tum euacuationis gratia cietur: *In dolore lumborum prægrandi, & larga deiectione, ab elleboro vomere spumantia multa prodest*. His denique adde, quòd in Antithesi de lumborum dolore, qui alius esse potest à nephritide, Hippocrates ex professo agit, multasque causas, easque varias obtinere potest; vt autem supra dicebatur, calamitosæ censendæ sunt affectiones, & symptωmata omnia, quæ à lumborum dolore ortum ducunt.

ANTIPHΩNIA XXV.

Arenæ in vrinis an vesicæ, an renum calculum significent.

THESIS.

QVarto Aphorismorum 79. vesicæ lapidem vrinarum arenis indigitari, Magister docet: en aphorismi verba ex vulgata Galeni, Theodori, ac Leoniceni paraphrasi: *Quibus in vrinis arenosa subsident, ijs vesica calculo laborat*. Ratio autem est fortè illa, quam Fernelius comminiscitur, nempe omnem vesicæ lapidem ab arenis delabentibus ad ipsam è renibus coagmentari: quæ fortè multò ante fuit Aristotelis opinio, is enim 3. de histor. animal. cap. 15. hæc protulit: *Defunctis nihil humoris in vesicam transmittitur; at viuis non solùm humor, sed etiam sicca quædam concrementa descendunt, ex quibus calculi conficiuntur*. Nempe arenæ in vesicam allapsæ lentus humor corticatim adhæręscit quomodo incrementum capit, & in magnum euadit lapidem: quin Brasauola ex plurimis arenulis lapidem in vesica coalescere, existimauit, lento humore tanquam lithocolla superueniente.

ANTITHESIS.

LIbro tamen de internis affectionibus vbi nephritidos tecmeria enarrat signa, arenas non vesicę, sed renum lapidis indices esse, Præceptor statuit, audiamus: *Vulgus autem Medicorum quod non intelligit morbū, vbi videt arenā, putat, vesicam è calculo laborare; at non vesica, sed ren calculo laborat*. Quid clarius?

Sententiam suadere potest non leuis ratio, quòd nimirum arenæ sunt ipsorum renum, non autem vesicæ soboles, quare illorum duntaxat affectionem & vt signum & vt causa indicare debent; vt signum quidem, quoniam eosdem calidiori intemperie, vnde sanguis aduritur, detineri, arguunt; vt causa verò, quoniam retentæ obstructionem, stranguriam, dysuriam, dolorem, & ipsum calculum efficiunt. Sunt ergo malè affectorum renum vndequaque indices arenæ:

SYN-

SYNCATATHESIS.

GAlenus, vt à ſummo interpretum coriphæo exordiar, in commentario aphoriſmi illius quarti libri in Theſi deducti exiſtimauit, truncum, & imperfectum eſſe Aphoriſmum illum, eo quòd legi deberet, *ijs veſica, & ren calculo laborat*, quòd ſcilicet arenulæ non magis veſicæ, quàm renum calculum indicent; ipſum auſcultetis: *Non omnino veſica laborat, ſed contingit, & renes; quare manifeſtè errat aphoriſmus, ſiue quia Hippocrates ipſe dimidiam partem ſermonis neglexerit, ſiue quia primus librarius omiſerit; ſiue enim in renibus, ſiue in veſica calculi generentur, vnà cum vrinis exeunt arenoſa.* Subſcribit Galeno Philothæus, qui Hippocratem ſolius veſicæ hic meminiſſe, ait, quòd frequentiùs in ea, quàm in renibus calculi coaceruentur ob maiorem, quæ in veſica eſt, capacitatem. Aſtipulantur etiam & Fuksius, & Mercurialis, & alij, qui licet non malè ratiocinentur, difficultatem tamen non eruderant, neque Hippocratem conciliant, qui in Antitheſi relata ex libro de Internis Affectionibus contendit palàm, arenas, quæ in vrinis ſubſident, renum ſolummodo calculum, non veſicæ indicare, vnde vulgus Medicorum ignorantiæ nota inſimulat.

Dicamus ergo primò, quòd græca particula ψαμμώδεα melìori paraphraſi verti debeat in vocem, non, *arenoſa*, ſed *ſabuloſa*, vt præclarè doctiſſimus Heurnius in commentario huius Aphoriſmi annotat; quo modo perpetuæ veritatis eſt aphoriſmus, cùm vrinæ ſabulum coagmentati in veſica lapidis manifeſtum ſit argumentum. Etenim vox ipſa ψάμμος tam arenas, quàm ſabulum ſonat, atq; adeò oportunè, vbi vox iſta occurret, vna, vel altera interpretatione exponenda erit. Quo circa vbi in libro de Internis affectionibus ſabuloſæ vrinæ in calculo renum Hippocrates meminit, ait enim: *Tum ſæpè vrina redditur, atque ſubinde ſiſtitur, & ſabuloſa eſt*, aptiùs Paraphraſtes tranſtuliſſet: *arenoſa eſt*. Sic Foeſius vir prudẽs, & in græco idiomate verſatiſſimus verba illa Hippocratis: καὶ ἅμα τῷ οὔρῳ προέρχεται ψάμμος, vertit: *ſimulq; cũ ea arena egreditur.*

Cæterùm quoniam non raro contingit, vt arenæ ſubſideant in vrina, nuſpiam autem reperiatur lapis, & contra, vt arenæ nullatenus excernantur, ac tamen alicubi calculus adſit; Iacobus Forliuienſis, & eius conciuis clariſſimus Mercurialis verbum illud aphoriſmi quartæ ſectionis λιθιᾷ, per potentiam, ſeu aptitudinem, non per actum, ac præſentiam exponunt, ita vt ſit ſenſus, veſicas,

quæ

quæ arenosas emittunt vrinas, aptitudinem obtinere ad calculi generationem, ipsumque vel præsentem, vel præteritum, vel futurum indicare; verba Iacobi ad calcem expositionis eius aphorismi sunt hæc: *Quartò notandum, non esse intellectum Hippocratis, quòd semper sit lithiasis, vbi arenosa subsistunt sedimina, sed vult quòd, quibus præter solitum contingit hoc, ibi est lapis, quoniam scilicet actu generatur, vel est in generari, vel dispositio est, vt generetur lapis in eisdem*. Et perpendenda erit insuper vox illa, *subsident*, eo quia, cùm arenulæ sæpiùs reddantur à venoso genere ob sanguinis, aliorumque succorum adustionem absque vlla calculi suspicione, illæ nequaquam statim subsident, sed vrinæ diu innatant, vel matulæ adhærent. Nec prætereundum, quòd in ijs, qui hypochondriaca affectione laborant, vrinæ etiam redduntur cum copioso tartaro, quod matulæ vndiq; adhæret citra lapidem vllum in vesica, quæ tamen tartarea excrementa nec statim subsidunt, vt sabulosa, quæ lapidis sunt indica; verùm vbi diu innatauerint, matulæ circumcirca quasi indelebiliter adhærent.

ANTIFΩNIA XXVI.

Hæmorrhoides an tutò omnes sanari possint.

THESIS.

SExto Aphorismorum duodecimo celebris illa, atque omnibus nota apud magnum Archiatrum sententia legitur: *Diuturnas sananti hæmorrhoidas si non vna relicta fuerit, periculum est, aquam inter cutem, aut tabem succedere*. Rursus idem monitum inculcat libro de victus ratione in acutis num. 60. vbi tradit: *& semper vnam relinque*.

Thesis non minus rationibus, quàm practicis refulget exemplis. Rationibus quidem, quoniam hæmorrhoides cacochymiam denotant ex viscerum cacopragia, quæ si per periodos exitum habeat mediocri defluxu, tantùm abest, vt detrimenti quicquam illæ afferant, vt potiùs à sexcentis præseruent morbis; si verò eadem cacochymia cumulata per vnam saltem venam non excer-

natur, ad hepar, ventriculum, lienem, pulmones, aut cerebrum etiam refluit, ijsque morbi notam funestam inurit. Et quidem in primis, vt Hippocrates annuit, periculum est, ne hydrops superueniat, acciso videlicet hepatis calore à copia sanguinis ad illud reflui, & inde non habens anagogen, vnde marcido post calore hæmatosis læditur facultatis eiusdem apotichia; ita vt loco nutricis sanguinis producatur sanies, & aqua, vnde hydrops in promptu fit. Pari pacto sanguis idem impurus, atque putredinosa colluuies pulmones inuadens, & anagoge carens, illos praua exædunt qualitate, vnde mox hæmophtisis, ac tabes.

Cæterùm innumeræ sunt affectiones, quibus fluentes hæmorrhoides opem ferunt, sic 6. Aphorismorum 11. *Atra bile vexatis, & renum passionibus si hæmorrhoides oboriantur, bonum*; quod libro de iudicationibus repetit his verbis: *Atrabilarijs cum pleuritide occupatis si hæmorrhoides oboriantur, bonum*; sic pariter 6. Aphorismorum: *Insanientibus si varices, vel hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio*; rursus in Coacis Prænotionibus, quod spectat ad animalem facultatem, ita legitur: *Si hæmorrhoides sideratis accedant, bonum est*. Qua in re videndus Duretus ille Hippocraticę doctrinæ ἑρμηνεύς, & vaticinator. Quid plura? Ab omnibus illis morbosis affectibus liberant ex metaptωsi hæmorrhoides, à quibus etiam præseruant; quos verò morbos præcaueant Præceptor idem 6. Epidemior. sect. 3. his verbis enunciat: *Qui hæmorrhoides habent, neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagedena, neque furunculis, neque terebinthi formam habentibus corripiuntur, fortassis autem neque lepris, fortassis neque vitiliginibus: multi tamen intempestiuè curati talibus non tardè correpti sunt*. Huc etiam spectant duæ aliæ in Coacis parœmiæ, altera scilicet, qua dicitur: *Qui statis temporibus sanguinem profundunt, si loco non profuderint, epileptici moriuntur*; altera, qua immediatè subdit: *Ex hæmorrhoide quantumuis parum, atque parumper aperta obortæ vertigines paraplecticum quiddam ominantur, sanat autem phlebotomia*. Neque sanè huic pragmatiæ exemplum deest ex eodem Hippocrate; is enim quarto de morbis popularibus textu 30. Alcippum recenset, *qui cùm haberet hæmorrhoides, à curatione prohibebatur, curatus insanijt*. Noui & ego non paucos, quibus cùm naturæ amplissimo beneficio sedis venæ periodicè fluerent, cùmq; nimiùm delicati ab huiusmodi cruentatione abhorrerent, validisque propterea vterentur adstringentibus, haud multis transactis mensibus, vita cesserunt.

Esto corollarium, hæmorrhoides à cacochymia non minùs, quã à ple-

à plethora eximere posse; siquidem venæ ad intestina desinentes duplicis sunt ordinis, aliæ scilicet à vena porta per ramum splenicum ad rectum intestinum traducuntur, aliæ verò à vena epigastrica eòdem declinant; per has hepatis gibba, atque emulgentes exonerantur, ideòque nephriticis passionibus opportunæ, vt in aphorismis quoque sancitur; per illas verò & vena porta, & iocinoris caua repurgatur, vnde melancholicis, hypochondriacis, alijsq; mesenterij affectibus opportunè opitulantur, atque cum tali distinctione, & intentione modo hæ, modo illæ debent aperiri.

ANTITHESIS.

LIbello de hæmorrhoidibus Dictator idem vbi modum eas inurendi docuit, sic habet: *Vrere enim oportet, & nullam hæmorrhoidem sine vstione relinquere, sed omnes exurere*. Quin paulò infra rationem exiccandi easdem absque vstione, mirrha videlicet, galla, & alumine ægiptio proponens, hæc subdit: *Hoc facito, donec omnes extirpaueris*.

Pro hac Antithesi stat in primis Aëtius magni nominis inter veteres græcos, qui omnes hæmorrhoides tutò sanari posse, decernit, dummodo patiens inculpata victus ratione vtatur, ideòque aphoristicam Hippocratis sententiam explicat ingeniosè sic: vbi enim dicitur: *nisi vna seruetur*, qua voce intelligitur vna vena; ille particulam, *vna*, aduerbialiter sumit, adeò vt, *nisi vnà seruetur*, intelligi debeat, hoc est, nisi simul præseruetur, vel nisi optima victus ratio obseruetur.

Militat quoque ratio; Nam purgato corpore, ablegata dyscrasia, & restituto viscerum naturali tono, accedente stata, & accurata diæta, cur non possint exiccari, vri, & intercipi omnes? Desijt iam κακοτροφία, simulque & κακοχυμία, quare nihil est amplius opus ad expiationem vnam relinquere.

SYNCATATHESIS.

SEmper sui memor, nunquam alius à se ipso Æsculapius Cous existit: nulla ergo in his sententijs antiphonis. Dicamus itaq; aduersus Hippocratomastiges, in aphorismis de inueteratis, ac penè fistulosis hæmorrhoidibus verba fecisse Hippocratem; in his enim proculdubio tutũ nõ est effluuiũ omnino compescere, quando quidem habitualis κακοχυμία, intercepto exitu, ad-

viscera cum extrema refluet calamitate; In libello verò de hæmorrhoidibus de ijs pullulantibus, ac recens oborientibus dictare, quomodo absq; imminente periculo succidi possunt, quia nō dum tali beneficio assueuit natura, nec tanta humorū labes innotescit.

Vel, si mauis, respondeas, in Aphorismis loqui Hippocratem de internis hæmorrhoidibus à viscerum cacopragia, atque manifesta cacochymia, quomodo, nemini dubium, nisi vna relinquatur, suspiciosa erit sanatio; In libro verò de hæmorrhoidibus illas, quæ à plethora sunt intelligere, quas compescere, & in totum adimere vel sola sanguinis missione, vel ciborum detractione fas erit. Id nimirum colligi posse videtur ex verbis illis, quæ subduntur: *Calescentes autem venæ ex vicinis venulis sanguinem attrahūt, & vbi replentur, interna sedis pars intumescit, & capita venarum supereminēt.*

ANTIPHΩNIA XXVIII.

Menstrua purgatio intercepta an post sex menses sit curabilis.

THESIS.

MEnses sex mensium spatio stagnantes nullam recipere curationem, sed interficere, primo de morbis muliebribus num. 4. his verbis testatum reliquit magnus Medicinæ διδάσκαλος: *Et in quintis si non multi menses descenderint, dolor adhuc fortior accidit. In sextis verò iam incurabilis est.* Id ipsum libro de natura fœtus inculcare videtur, vbi sic: *Aliquando vbi sanguis quinque, aut sex menses in vteris moram traxerit, putrefactus pus fit, & quibusdam pus per pudendum exit.*

Veritas huius sententiæ probari primò potest ex eo, quòd vbi nimirū tot mensium interuallo silent, stagnantq; menses, natura aliò auocatur, neq; ampliús deorsum ad vterum vergit, vnde eius venæ aut concidunt, conniuentq; vnde sanguinem ampliùs nō excipiunt, aut concluso restibili sanguine infarctæ, menstruo effluuio viā omnino præcludunt, ita non raro in praxi, & Auctorum monumentis obseruare est, nonnullis mulieribus sanguinem, qui per vteri venas effluere deberet, per os, nares, oculos, mammas, aliasq; insuetas

vias

ὕςερον πρότερον effluxiſſe, neque auxilijs quibuſcunque ad vteri regionem reuocari potuiſſe. Cæterùm vbi tot menſibus ſanguis reſtitit, craſſior, ac terreſtrior redditur, viæq; obſtruuntur magis, ac magis, vnde mox hæmorrhagia præpeditur, ſpeſque ſalutis omnis fruſtratur.

ANTITHESIS.

HVic tamen aſſertioni reclamant, quę libro de morbis muliebribus num. 12. exarantur: *Si verò non eruperint menſes ſex menſibus intus concluſi, omnia patietur, velut ea, quæ non peperit, in qua menſes viam inuenire non poſſunt, & ſiquidem curata fuerit, ſana erit.* Reclamat pariter euentus, nec non plures ex libris Epidemiorum hiſtorię, inter quas recenſeri primò poteſt, quæ lib. 4. num. 92. his verbis deſcribitur: *famulæ, quam nuper emptam vidi, cui durities in dextris erat magna non valde doloroſa, & venter magnus, & circumtentus non ſimilis aquoſo, & in alijs craſſa, & non admodum difficulter ſpirans, decolor autem. Muliebria ſeptem annis non prodierant, facta eſt dyſenterica, non cum teneſmo. Et ſub hoc dolens erat, quòd in dextro, & febres lentæ, & non vltra ſeptem dies, & aluus turbata eſt, electro ſimilis, ſubviſcoſus, multus, in dies aliquot, ſanata eſt. Et muliebria poſt hæc facta ſunt, & ſecundum ventrem craſſa, & corpus boni coloris, & craſſum erat ipſi.*

Rurſus 5. Epidemior. num. 11. vxor Gorgiæ deſcribitur, cui per annos quatuor ſuppreſſi erant menſes, quæ tamen concepit, & ſuperfœtauit etiam: verba ſunt illa: *in Lariſſa vxori Gorgiæ menſes ſuppreſſi erant per annos quatuor præter valde paucos, in vtero autem quoquo verſus conuerteretur, pulſum exhibebat, & pondus. Hæc mulier concepit, & peperit, & puella viua nono menſe edita eſt &c.*

Confirmat Galenus 6. de morbis vulgaribus comm. 3. textu 29. vbi palàm teſtatur, ſe mulieri iam ſeptem menſium ſpatio menſium laboranti ſuppreſſione, extenuatiſſima cùm eſſet, multo ſanguine detracto breuiſſimè priſtinam valetudinem reſtituiſſe; nam prima die ſanguinis miſit ſexquilibram, poſtridie libram, 3. die vncias octo, & plures in alijs diebus. Quid multa? Omnes Gynæciorum ſcriptores ſuſpectam habent ſententiam illam de morbis muliebribus; & Aetius inſuper ſermone 16. cap. 60. tradit, retineri poſſe menſes ob ſudores, labores, atque alias quaſdam cauſas abſque vllo incommodo, vt in ſaltatricibus contingit, quod & Galenus tertio de ſymptωmatum cauſis aſtruit; & ego non ſemel

medicinam faciens vidi, post temporis diuturnitatem vsu potissimum chalybis, & viri consortio mensium curatam diuturnam suppressionem.

SYNCATATHESIS.

Rorarius ieiunè nimis hanc sententiam conciliaturus ait, Hippocratem in libro de morbis muliebribus, ac de natura pueri illud registrasse, quod licet veritatem non semper habeat, frequentiùs tamen, ita euenire soleat. In libro verò Epidemiorum, quæ raro contingunt monumentis tradere. At verè contrè est; nam frequentiùs accidit, vt menses post sex menses curentur, quàm quòd non curentur, vt quotidiana suadet experientia.

Albertinus Bottonus Gynæciorum benè consultus hanc affert παραγωγίν; nempe quòd tunc post sex menses mensium suppressio incurabilis fiat, cùm sæuissima illa perennant symptωmata, quæ ibi ab Hippocrate describuntur, vtpote: *deinde ad ea etiam hæc aderunt: anxia erit, & aliàs, atque aliàs se ipsam iactabit, & animo deficiet, & pituitam vomet, & sitis fortis ipsam corripiet*, & reliqua. Porrò huiusmodi ἑρλωεῖα digna est tanto viro.

Martianus verò alterum Hippocratis oraculum huic difficultati respondet, quòd post sex menses suppressio spontè non curatur, medicis autem auxilijs vtique eximitur: Responsio haud contemnenda; ait enim Hippocr. *& si quidem curata fuerit, sana erit.*

At meam nunc percipite sententiam paragogicam. Dixerim primò, Hippocratem libro illo de morbis muliebribus loqui de menstruorum σίγνωσι, ac retentione ab vteri occlusione, distortione, aut contractione, vnde sæuissima illa exoriuntur symptωmata, quæ mulierem tandem iugulant. Iam cùm post sex menses os vteri distortum reduci nequeat, & si reducatur, facillimè reclinet, mensium iccircò suppressio ex vteri obliquitate insanabilis reputatur in ijs præsertim mulieribus, quæ viro non miscentur; coitus enim pro vtero ad sedem suam reuocando non parum conducit; collo nimirum vteri obliquo, sanguinis effluxum fieri impossibile est, nisi ad sedem suam reuertatur, reuerti autem nequit præ vteri vel distortione, vel contractione: expendantur amabo Hippocratis verba: *Postquàm igitur mulieri, quæ non peperit, occultati fuerint menses, & viam foras reperire non poterint, morbus fit: Hoc autem contingit, si vterorum os conclusum fuerit, aut distortum,*

aut

aut aliqua pudendi pars contracta; si enim horum quid fuerit, menses exitum inuenire non poterunt, priùs quàm vteri ad sanam naturam redierint. Vide, lector, reliqua, & cuncta exactè perpende, atque ita intelliges, Hippocratem illam duntaxat mensium suppressionem post sex menses incurabilem statuere, quæ à sola vteri vel occlusione, vel distortione pendet. Hæc si animaduertisset sedulò clarissimus Mercurialis quarto consiliorum Medicinal. neuti quam scripsisset, Hippocratem hac in re fuisse deceptum.

At qui mēsium suppressio illius famulæ nequaquam ex vteri occlusione, siue distortione pendebat, verùm à rebelli epigastrij, & viscerum obstructione, fortè etiam & scyrrhosi, vt liquidò constat ex ipsa Hippocratica historia, in qua dicitur: *cui durities in dextris erat magna non valde dolorosa, & venter magnus, & circumtentus non similis aquoso &c.* Potuit igitur hæc post septimum annum liberari, maximè quia dysenteria correpta fuit, & consequenter sanguis aliò deriuatus deflexit, quemadmodum illis contingit, quibus amputatum est crus, his enim dysenteria naturalis accedit, quoniam sanguis, qui nutritionis gratia ad crus permeabat, ad intestinorum regionem reflectit, & quia magnam insuper excrementorum viscidorum, atq; electro similium reiecit copiam, hinc quoque ab ingenti illa obstructione eximi potuit, ita vt viæ deinceps expeditæ, ac peruiæ liberum exitum ipsis mensibus restituerint.

Ad historiam verò vxoris Gorgiæ respondendum pariter est, illam post quatuor annos à mensium suppresione conualuisse, quoniam nec distortus, nec occlusus vterus erat, & veneri præterea indulgebat; quod constat, quia non modo concepit, sed superfœtauit etiam; venere autem vteri humectantur, & ad menstruam purgationem redduntur promptiores, vt Hippocrates ipse in libro de morbis muliebribus, & alibi profitetur. Præterquamquòd non omnino stagnabant in eadem menses, sed quamuis diminutè valde, fluebant tamen; habet enim textus: *Menses suppressi erant per annos quatuor præter, valde paucos*; quibus addi potest, quòd si læsionem hæc mulier à diminutis mensibus non ingentem recepit, ideò fuit, quoniam concepit, & nono mense puellam peperit, quare sanguis ille meliori ex parte in coagulationem, atque nutritionem ipsius puellæ abiuit; id quod manifestè innotuit ex vlcere, quod in coxa puella retulit, argumentum deterioris illius sanguinis, quo nutrita fuerat intra vterum, vt legitur in historia ijs verbis: *Hæc mulier concepit, & peperit, & puella viua nono mense edita est vlcus habens in coxa.* Denique si grauiora symptomata Gorgiæ vxor

declinauit, & vitæ periculo defuncta fuit, contigit ex eo, quòd à partu copiosissimè per multos dies sanguis, & lochia defluxere, legitur enim: *& secundæ consequentes, & sanguinis fluxus valde multus successerunt, & postridie, & tertia die, & quarta etiam grumum sanguinis concreti*; imò etiam & ab excisione superfœtationis post quadraginta dies putridum, & olentem sanguinem emisit. Dum hæc olim de Romano suggestu enarrabam, plauserant doctissimi viri, qui me audiebant, & inprimis Angelus Colius senex olim emeritus, & Hippocraticæ doctrinæ solers œconomus.

ANTIPHΩNIA XXVIII.

In febre ardente num alui turbatio bona sit.

THESIS.

IN libro de victus ratione in acutis Medicorum arbiter, aluum præcipit in ardente febre lacte excocto moueri, vt ijs verbis legitur: *Et ventrem per clysterem soluere, si verò adhuc non soluatur, lacte asinino cocto purgato*. Rursus libro de affectionibus num. 13. vbi febris ardentis curationem proponit, hæc prorsus habet. *Tertia, aut quarta die pharmaco leui, aut potione deorsum purgato*. Præterea libro de locis in homine Medici arbitrio relinquit, an sursum, vel deorsum purgari debeat causo detentus; illa sunt verba: *Hunc itaque medicamentum potare oportet, quod educat qua febris parte magis hæret siue supernè, siue infernè*.

Ἀπόφυσιν hanc experimenta nō minùs, quàm rationes suadent. Experimenta quidem innumera, vnde communis practicantium facta est consuetudo, vt nimirum in causo tertia, vel quarta die potio aliqua exhibeatur ex rosaceis, violaceisve, cassia, diapruno, tamarindis, caprillo sero, & similibus fausto ægrotantium omine. Sed hæc ampliùs ex Hippocratico pœnu deducantur; & quidem primo Epidemiorum tēpestate tertia, in qua ardentes vagabantur febres, sæpiùs legimus, dysenteriam in causo ad salutem apparuisse; sic textu 24. *Senioribus autem in morbos regios, aut ventres turbati, aut dysenteriæ, vt Bioni, quipropè Silenum decumbebat*. Adhuc textu 33. sic: *In hac verò constitutione in quatuor præcipue signis ser-*

seruabantur. Quibusdam enim ex naribus sanguis fluebat, aut per vesicam multa vrina, & multum sedimenti, & bonum habens veniebat: aut perturbatam aluum biliosa tempestiuè, aut dysenterici fiebant. Sic etiam tertio Epidemiωn sectione tertia, ęgroto duodecimo Hippocrates virginem illam in Larissa recenset febre ardente laborantem, cui *tertio multa fluxerunt ab aluo, vt aqua biliosa, & sequentibus fluxerunt hæc cum bona tolerantia.*

Esto autem rationum illa prima, quòd educta, ac diminuta bile, quæ continens febris ardentis causa est, non potest nisi minui æstus, atque internæ viscerum detrahi inflammationi: decrescente verò, ac deficiente causa, ipsum quoque diminui, ac deficere morbum, necesse est. Neque fortè quis dicat, bilem in tertia, ac quarta die non dum pepasmo æquatam esse, ideòque his diebus tempestiuè non deturbari; namque nulla ferè coctione bilis eget. Quin tametsi per aluum sumpto lenitiuo pharmaco, bilis ipsa peccans, & causi origo haud extruderetur, sed alia potius intestinorum colluuies, exonerari tamen inde naturam, aluinam œconomiam expiari, & hostes de corpore detrudi contingeret.

Adhuc febris ardens, vt magnus morbus, magnum debet indicare remedium: at magna remedia sunt, vel sanguinis missio, vel pharmacum: illa per se non indicatur, quoniam sanguis bilis est frenum, ideòque phlebotomiam in causo detrectabant Arabes, ergo vt præstantius, tutiusque auxilium pharmacum indicatur.

ANTITHESIS.

IN Coacis antiphωnon his verbis legitur: *In febre ardente si aluus eruperit, mortale est.* Confirmatur ex libro de victus ratione in acutis, vbi Medicorum idem Nomophilax solutionis, seu crisis modum afferens, inquit: *& siè naribus fluxerit sanguis, soluitur egritudo, atque si sudores superueniant iudicatorij legitimi cum vrinis albis, crassisque, & leuibus subsidentijs & si absque his soluatur, reuertitur ægritudo*: quare sequitur, quod infra deducentia pharmaca, ipsaque spontanea alui turbatio ardenti febri nihil conducant, sed prorsus acritica accedant.

Neque adepol antithesis hæc suis caret fundamentis; & primò quidem, quoniam cùm in ardente febre bilis in vitio sit; bilis autem per superiora purgari affectet, vt quarto aphorismorum exaratur; iccircò prærupta aluus in hac febre calamitatem arguat.

Secundò alui eruptio non est in causo eccrisis analoga, verùm

sudor

ſudor potius, & hæmorrhagia: Vnicuique enim morbo excretiones criticæ ſiunt foco ipſius, atque ideæ reſpondentes; quin, vt ſupra diximus, niſi per hæc ſoluatur cauſus, recidiuam facit.

SYNCATATHESIS.

HOllerius auctor ſanè inferior nulli in commentario illius ſententiæ apud Coacas putat, in febre ardente malum eſſe, ſi multa ſemel tantùm effundantur; ita enim explicat vocem illam καταῤῥαγῇσι, quæ ſonare videtur: vbi æger ἀθρόως ἐκκρίνει πολλὰ, ſubiungit tamen, neque id protinus letale pronunciandum eſſe, ac tandem addit: *coniungenda tamen & alia ſigna ſunt ſalutaria, letalia, antecedentia, præſentia, conſequentia priùs, quàm de euentu profluentis alui præſagias.* Atqui non admodum plauſibilis huiuſmodi expoſitio mihi accedit, quando critica quæcunque effuſio multa eſſe debet (nam nihil criticum, quod paucum eſt) & ſemel tantùm naturæ viribus celebrata.

Ludouicus Duretus vnus Hippocrateę doctrinę interpres, in quē, ſi Pythagorica daretur falſa illa παλιγγένεσις, trāſmigraſſet vtiq; Hippocratis anima, in ſententia illa Coacarum nuncupata addit particulam, *profusè*, ita vt ſententia ſit: *In febre ardente ſi aluus profuſè eruperit, mortale;* quomodo tametſi alui turbatio in cauſo analoga foret criſis, ex euentu tamen, & immoderantia redderetur infenſa; ſiquidem omnis hypercatharſis naturæ præcipitium minitatur, atque extremam præſagit calamitatem. Verùm huiuſmodi expoſitio licet per ſe veritatem habeat, non videtur tamen plenè ſatisfacere peritioribus; quandoquidem non modo alui turbatio, ſed hæmorrhagia etiam, & alia quæcunque excretio, ſi modum excedat, neque in febre ardente, neque in alio quoque morbo ſalutaris eſſe ſolet.

Inſuper Duretus idem exiſtimat, Pręceptorem eo loci haudquaquam ſimplicem excretionem intelligere, verùm potius hepaticam eccriſim à fatiſcente iocinoris tono, aut aliorum viſcerum cacopragia, ſiue alui morticinio. Porrò ſecunda iſthæc enarratio, & Hippocrate, & ipſo Dureto dignior eſt; alioquin enim ſenex ipſe libro de victus ratione in acutis inter ipſius cauſi diagnoſtica ſigna alui egeſtionem liquidam, ac pallidam recenſet; verba ſunt: *Fit & lingua aſpera, ſicca, & valde nigra, ventriſque morſus dolet, deiectioneſque liquidæ, & pallidæ fiunt.*

At meliùs adhuc, ni fallor, dici poſſe, arbitror, Hippocratem par-

particula illa ἐν κάυσῳ significare velle primam ipsam febris inuasionem, atque principium, quasi mortiferam putet huiusmodi à principio excretionem, vt quæ bilis acerrimæ copiam, atque adeò fortem naturæ erethismum denunciet. Enimuerò nequaquam ait Hippocrates: *febri ardenti si alui turbatio superuenerit*, sed *in febre ardente*, qua loquendi formula principium indigitat, in quo proculdubio nihil ad salutem apparere potest; quoniam nulla ab initio explendescere possunt pepasmi signa; at verò sine coctionis signis infaustæ, & infidæ sunt sunt crises omnes; quippe ex eodem dictatore passim, & palàm decantatur, coctiones iudicij celeritatem, & securam sanitatem ostendere, & sine his acriticῶs omnia fieri; quamobrem verbum illud, *mortale*, non equidem in ipsam excretionem reijcitur, verùm in εὐχαιρίαν, atque temporis opportunitatem; siquidem biliosæ quoque eductiones, ac dysentericæ ad salutem erunt, si εὐχαίρως, idest opportunè ferantur; quod Prodromi filij historia 7. Epidemiorum eximiè comprobatur; sic enim textu 23. Hippocrates: *Prodromi filius æstate subblæsus, causo laborans, lingua ipsi subarida, egestio alui deorsum multa; seruatus est*. Et his Galenus quoque subscribens pluribus in locis, ac præcipuè 3. de crisibus, hæc exarauit: *Si sit febris ardens, vel sanguis è naribus fluet, vel post vehementem rigorem sudor multus, & calidus per totum corpus emanabit, aut per vomitum, aut aluum aliquid biliosum excernetur*.

Meam hanc opinionem suffulcit Parij historia 3. Epidem sect. 3. ægroto primo, in qua ardentem Hippocrates describit febrem, cui statim in principio alui turbatio coniuncta fuit infausto successu; quippe centesima vigesima die patientem necauit; verba registremus: *In Thaso Parium, qui decumbebat super domum Artemisij, febris corripuit acuta, circa initia continua, ardens, siticulosa, incipiens comatosus, & statim insomnis. Aluus turbata in principiis*. Certè tanti fecit hoc symptωma Hippocrates, nempe alui turbationem in principio, vt cùm dixisset tandem, Parium mortuum esse, mortis causam huic accidenti primariò acceptam referens, subiunxerit statim: *Huic aluus continenter à prima die humida biliosis humidis multis erat*.

Postremò tandem dicere fas esset, quòd aliud est in ardente febre pharmacum aliquod ad purgandum exhibere, aliud in eadem spontè sua aluum citari. Primum in libro de victus ratione admittit, secundum in Coacis improbat. Quanti autem referat, à natura, an ab arte idem humor deducatur, alibi edocuimus, sed

quia

quia δὶς καλὰ τὰ καλὰ vt vetus erat adagium , iccircò iterum eloquar. Etenim humor, qui vi medicamenti ducitur, sola peccat ſynathriſmo, nullamque arguit principis alicuius partis κακοπραγίαν: at verò qui ſpontè effluit, cum partis è qua effluit imbecillitate viſceris alicuius annotat vitium, quo noua ſemper colluuies congeritur, ſemperque noua deturbatur, remanente integro fonte, à quo perennis excrementorum fit procreatio. Vide lector vigeſimum primum quarti Aphoriſmorum, vbi Præceptor aiebat: *Deiectiones nigræ, qualis eſt ſanguis niger, ſi vltrò diſfluunt, tum ſi cum febre, tùm ſi ſine febre calamitoſæ.*

ANTIPHΩNIA XXIX.

Vrinæ hypoſtaſis rubra, an alba criſim in febribus prænunciet.

THESIS.

IN Coacis prænotionibus num. 4. hoc ex vrina faciebat Vates Cous præſagium: *Et quæ in quarto die nubeculam ſubrubram habet, ſeptimo liberat, ſi reliqua iuxta rationem habeant.* Et paulò ſupra: *At ſubrubra, & ſubſidentiam ſubrubram habens, & leuem, ſi quidem ante ſeptimam diem prodeat, ſeptima die liberat.* Quin album ſedimentum detrectari prorſus videtur in eodem Coacarum libro ijs verbis: *Periculoſa inter vrinas, quæ biliosa, nec ſubrubra, tum ſimilis amylo cum alba hypoſtaſi.*

Suaderi autem huiuſmodi dictatum ex eo poſſet, quòd nimirum ſubrubra hypoſtaſis benigniorem materiam indicet, atque à ſanguinis concretione non admodum alienam, ideòq; breuiori tempore futurum fore, vt dealbetur, ſolidis partibus vberiori coctione eam æquaturis: quippe cùm à ſolidis ipſis partibus pepaſmus per aſſimilationem conficiatur, ipſæque partes albo ſint imbutæ colore, neceſſe eſt, vt rudimentum ipſius coctionis ab initio ſubrubrum, hoc eſt non perfectè album exiſtat: nempe in quarta die (non enim ante quartam coctionis bona, ac fida ſigna apparere poſſunt) inchoatus pepaſmus explendeſcere poteſt, ita tamen,

vt spes affulgeat, perfectam in septima coctionem appariturama, dummodo vires suppetant, & nullus ab ægrotante error committatur: quod ijsdem verbis annuit Magister: *si reliqua iuxta rationum habeant*.

ANTITHESIS.

IN Coacis ijsdem num. primo non rubram, sed albam subsidentiam in quarta die explendescentem salutarem decernit Magister, atque futuræ in septima solutionis indicem: verba sunt: *Quibus febrire incipientibus sanguis de naribus sternutatione contingente destillat, & vrina subsidentiam albam in quarta die habet, his in septima die solutionem significat*. Probat pariter alibi albam eamdem hypostasin, inquiens: *At verò nebulæ in vrinis albæ quidem, & fundum versus, vtiles; rubræ autem, & nigræ, liuidæ itē difficiles*. Infra verò vbi. λυτήριον, & crisis prænuncium in pleuritide argumentum ex lotio deducit, hæc habet: *Subuiridis autem, & florida, cui est alba hypostasis, ipsam quoque citam crisim ostendit*.

SYNCATATHESIS.

RVbra hypostasis (legitimam intellige, non spuriam, qualis in nephriticis passionibus non rarò contingit) vt est via ad albam, commendabilis existit, ideòque vtraque Pręceptori probatur eo cum discrimine, vt alba iudicij maiorem celeritatem, certioremque securitatem indicet. Non est ergo vlla in sententijs διαφωνία, & sententia veritatem habere potest in rebus, quæ secundum magis, ac minus duntaxat inter se dissident, suntque ambæ intra sanitatis latitudinem.

FINIS SECVNDI LIBRI

HIPPOCRATIS COI MEDICORVM PRINCIPIS ΑΝΤΙΦΩΝΩΝ.

LIBER TERTIVS.

Qui continet ea, quæ ad Therapeuticen attinent,

Milector, tertius hic liber antiphωnias tibi offert, quæ ad Therapian spectant, medicinæ partem postremam quidem, sed omnium longè præstantissimam, frustra enim aliæ omnes forent, nisi hæc tandem triplici illo præsidiorum genere diætetico, chirurgico, ac pharmaceutico opportunè præstò esset, vt enim Diuus Damascenus basilicè quidem aiebat, Medicina, quę ad praxin non declinat, est tanquam arbor sine fructibus, adderem ego, tanquam nauis in syrtibus, ceu miles in carcere, vt sol intra nubes. Has igitur antilogias, Philiatre, prę manibus promptiùs habeas, has frequentiùs reuolue, si tibi, ęgrisque benè consultum aueas.

ANTIPHΩNIA PRIMA.

Remediorum immutatio in morbis an conueniat.

THESIS.

SEcundo Aphorismorum quinquagesimo secundo Cous Medicinæ Princeps dixerat: *Si ei, qui omnia ratione facit, non succedat congruenter rationi, non est ad aliud progrediendum, dum manet, quod à principio visum est.*

Monet autem hoc pręcepto Hippocrates, ne Medici remedia in curandis morbis temerè immutent, quamuis nihilum

nihilum proficere videantur, & ab ægris ipsis, aut eorum domesticis rogentur, & compellantur etiam, quatenus noua, & alia adhibeantur præsidia. Quippe rebelles, pertinacesque morbi remediorum pertinacia debellari debent, estque in pluribus necessarium, vt singula tempora longiùs protrahantur; hinc illa Celsi verba: *In morbis longis, quos tempus vt facit, sic etiam tollit, non statim condemnandum, si quid non statim profuit, minùs verò remouendum, si quid paululum saltem iuuat, quia profectus tempore expletur*. Quam eandem sententiam auctor idem confirmat lib. 7. cap. 12. his dictis: *Adeò in medicina etiam, vbi perpetuum est, quod fieri debet, non tamen perpetuum est, quod sequi conuenit*.

Verùmenimuero ante quàm vlteriùs progrediamur, & sententiæ huiusce rationes vestigemus, Hippocratis particulam illam intimè perpendamus: *Si ei, qui omnia cum ratione facit*. Lector amice, hoc opus, hic labor, non est id muneris gregalis cuiusque Medici, sed eius duntaxat, qui scientissimus sit, ac prudentissimus, quique examussim calleat, qui sit morbus, quæ eius causæ, quæ ægri temperatura, quæ vires, quæ consuetudo, quidue locus, ac tempus exigant, ipsaque cæli, solique conditio, nam vt Euripides.

Quotquot rite medicari volunt,
Spectare debent ipsa terrarum sola,
Populique victum; ferre sic morbis opem.

& Manilius lib. 3.

Præcipua vndecima pars est in sorte leuata,
Quæ summam nostri semper, viresque gubernat,
Quaque valetudo constat nunc libera morbis,
Nunc oppressa mouent, vt mundum sidera, cùmque
Non alia est sedes, tempusve, genusve medendi,
Quæ sibi deposcat, vel cuius tempore præstet
Auxilium, & vitæ succos præbere salubres.

Porrò, hæc omnia qui nouerit, erit mihi magnus Apollo: nec tamen sufficiunt hæc, sed longè plura ad bene, & secundum rationem curandum, medicique munus rite obeundum requirit Hippocrates primo de morbis in principio, vbi hæc ipsa exarantur digna sanè, quæ in idea cuiuscunque Medici viuis caracteribus exprimantur: *Qui de sanatione rectè inquirere velit, percuntantique respondere, & contradicere rectè, eum hæc animaduertere, oportet. Primùm quidem, à quibus omnes morbi hominibus fiunt, deinde verò qui morbi necessariò, vbi facti fuerint, aut longi sunt, aut breues, aut letales*

les, aut non letales, aut aliquam corporis partem mutilent, aut non mutilent, & quæ postquàm orti sunt, dubij sint, an mala ab ipsis euentura sunt, aut bona; Et à quibus morbis ad quales transitus fiat; Et quæ per fortuitum successum medici ægrotos curantes, faciunt: Et quæ bona, aut mala ægrotantes in morbis perpetiuntur. Et quæ importunè aut dicuntur, aut fiunt à medico ad ægrotum, aut ab ægroto ad medicum. Et quæ exactè fiunt, ac dicuntur in arte. Et quæ recta; Et quod ipsius principium, aut finis, aut medium, aut aliud quid eiuscemodi demonstratum, quod rectè habet, vt in ipsa sit, aut non sit. Et quæ parua, & magna, & multa, & pauca, & quod omne in ipsa vnum est, & omnia quod vnum, & quæ fieri possunt, intelligereque, ac dicere. Et si opus sit neque intelligere, neque dicere, neque facere. Et quòd facilitas in ipsa sit, & difficultas, quòd opportunitas, & quòd intempestiuitas; & quibus alijs artibus similis sit, & quibus nihil similis; & de corpore, quòd calidum sit, aut frigidum, aut siccum, aut humidum, aut densum, aut rarum. Et quæ multa pauca fiunt aut in peiùs, aut in meliùs. Et quod honestè, aut turpiter, aut tardè, aut citò, aut rectè, aut non rectè, & quòd malum supra malum fieri, necesse est &c. Ecquis amabo nisi diuino numine afflatus, hæc omnia poterit cognitione assequi? Qui hæc omnia intelligit,

Par ille Ioui, par superis erit.

Dum ergo hæc omnia præcognita medico fuerint, tunc licebit in morborum curatione nunquam immutare consilium, sed in ijs, quæ à principio visa sunt, permanere. At vbi sine ratione, & exacta rerum præfatarum cognitione exantlata remedia nil prosunt, fas erit ad alia transire. Sed de his infra in Syncatathesi.

Cum ratione operans Medicus cur ad alia transire non debeat, hæ possunt esse rationes. Prima quidem, quoniam vnius morbi vna est idea, ergo vnum indicatur præsidium, quo tandiu pugnandum erit, quandiu morbus ipse perseuerat; Et licet aliquando morbi inueniantur impliciti, attamen singuli singulos habent scopos, semperq; febris erit frigidis oppugnanda, calidisq; rebus apoplexia; si contrarij implicentur, vtrorumque habenda erit ratio.

Secundò nulla est ratio, cur persistente morbo ad alia transire debeamus; Patet, quoniam si quæ esset maxima, illa foret, quòd adhibita remedia non prosunt; atqui hoc non culpa ipsorum medicamentorum est, sed morbi vitio duntaxat, ac pertinaciæ acceptum referri debet; ideòque tantum abest, vt ab illis recedere debeamus, vt potius insistere, ipsaque frequentiùs vsurpare auxilia conueniat, nam.

Assiduo

Assiduo illisu durum cauat vndula saxum. nempe
Non est in medico semper releuetur vt æger,
Interdum docta plus valet arte malum. *interdum*, aiebat Hippocrates, *morbus est superior medicina*, alioquin nemo vnquam interiret, hominesque intemperantes ventri, Baccho, Venerique addicti, nullis compescerentur habenis; sed in erroribus suis audaciores facti, nihil relinquerent, quod morbos parere posset, quia nimis esset facilis eorum expulsio, & valetudinis reparatio certissima foret; vnde pariter factum esse arbitror, vt remedia omnia amara, aut insuauia, & graueolentia sint à natura producta, ne videlicet, si in medicinis reperiretur voluptas, nemo declinaret à morbis.

Tertiò curatio ad Naturam pertinet, dicente Hippocrate: *Morborum naturæ medici*; quamobrem, si morbus medicamentis non cedat, naturæ imbecillitati potius, quàm remedijs, tribui debet. Faciat Seneca corollarium primo de clementia 9. *Nihil æquè sanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio*.

ANTITHESIS.

SEcundo de locis in homine textu 26. oppositum his verbis lectitamus: *Et semper non sanantem variare oportet modũ & si quidem peius reddiderit malum, ad contrariũ te conuerte.* Rursus num. 46. idem subiungit Hippocrat. *Morbum si quis non cognoscat, medicamentum præbeat bibendum non forte*; mox addit: *Si non profuerit gracilem facere, tumidum facere conducet, & frequenter permutare.* Græco subscribit Latinus Hippocrates, qui apertis fidibus idẽ præceptum inculcat, docetq; ad contraria transfundum, quotiescunque adhibita secundum rationem auxilia nihil prosunt.

Suaderi idipsum rationibus potest, quandoquidem ars Medica, arbitro etiam Hippocr. coniecturalis existit, de qua, vt ille ait, opinio magis, quàm ars ipsa iudicat; igitur ex coniecturis deducuntur scopi, & consequenter auxilia, sed coniecturæ sunt incertę, incerta ergo erũt & remedia, atq; adeò immutare licebit, *melius*, enim, Celsus aiebat lib. 1. *est anceps experiri periculum, quàm nullum*.

Præterea ars Medica videtur suam habere hyparxin in experimẽtis, vnde illud Celsi in scholis resonat: *Vbi rei medicæ experimẽtũ fidem facit, abijciendæ sunt rationes*; & sanè argumentum, quod à iuuantibus, & nocentibus exantlatur, est infallibile; ergo vbi in aliquo morbo remedia aliqua non proficient, licebit alia experiri.

Rem ipsam experimenta confirmant, quando videre est interdum, temerarijs remedijs graues morbos curari, vt inquit Seneca iv. controuersiarum, quomodo scimus, Augustum à deplorato morbo conualuisse teste Suetonio in Octauio, vbi ea leguntur: *Augustus destillationibus, iocinore vitiato ad desperationem redactus contrariam, & ancipitem rationem medendi necessariò subijt: quia calida fomenta non proderant, frigidis curari coactus, authore Antonio Musa.* Longum foret, ac parum fortè ad rem recensere historias eorum, qui cùm alioquin nullis possent præsidijs consentaneis curari, contrarijs auxilijs euaserunt: Mulierem recenset Auicennas, quæ ab hydrope ascite malorum punicorum immoderato esu euasit, in cassum reliquis omnibus adhibitis medelis. An non mirum illud, & supra fidem mirum, quod Alexander Benedictus libro quinto capite sexto refert, nempe in Taurica regione Medicum quemdam à peste Ciuitatem quampiam liberasse canibus omnibus interemptis, ac per vicos, & vias omnes dispersis, donec Cælum putridis halitibus, atque tetra mephiti implerent. Hydropicum virum, & ipse præ manibus olim habui, qui frustra plurima expertus Medicinæ præsidia, à quodam edoctus, vna die bouis lienem integrum assatum comedit, vinique generosi græcanici semicongium insuper bibit, qui est quinque librarum ponderis, vnde euasit, ventris colluuie per longum secessum deposita; Sic et puer ille hydropicus apud Beniuenium sitis impatiens, & nullam inueniens tanto morbo medelam, frigidam affatim bibit, & vnde mortem accelerare debebat, vitam recepit. Ita nimirum verum est, quod libro de locis in homine Hippocrates aiebat: *per similia morbus fit, & per similia adhibita ex morbo sanantur.* Nec silentio demum prætereundum, quòd apud Hippocratem secundo Epidemiorum 6. capitis dolor à crapula meraco vino curatur. Relinquo muliercularum præstigia, & cantilenas, vel empyricorum temeraria auxilia, quæ interdum citra rationem adhibita salutem attulere.

SYNCATATHESIS.

PVgnantes adeò manifestè sententiæ apud Hippocratem concordes reddentur, si dicatur, quòd in Aphorismis Author de ijs morbis verba faciat, quorum idea liquidò innotescit, & causæ, cæteræque illius conditiones quò ad omnia exactè intelliguntur; quòd luculenter colligitur ex ea particula: *manente eo, quod à principio visum est*, ac si dicas, compertum, ac perspectum est. In libro verò de locis in homine de morbis obscuris, ac latentibus verba facit, quorum, vt incertę sunt indicationes, ita incerta, ac perplexa remedia, quæ adhibentur, & quidem tam certum est hoc, quàm, quod certissimum; siquidem in textu illo 20. de dolore auris loquitur, cuius causam ignotam vt exploraret, calidum adhibuit remedium, nempe metopium, quòd ex galbano conficitur, authore Dioscoride, nam lignum, cui galbanum adnascitur, metopium nuncupatur, non metopum, aut netopon, vt Gorręus, & Mercurialis obseruant; cùm verò remedium hoc nequicquam proficeret, ad frigidum declinauit pharmacum, ideòque subiungit: *& semper non sanantem oportet variare modum*: & rursus in textu 46. cùm dixisset: *Morbum si quis non cognoscat &c.* mox addidit: *& frequenter permutare*, quamobrem immutatio remediorum tunc solum probatur Hippocrati, quando incerta, & obscura est morbi notitia, & ne quis nimiam etiam in hoc temeritatem adhibeat, quæ Dyonisius de eodem Antonio Musa paulò supra relato refert, appingam libenter; inquit autem: *Verùm enimverò vt palàm conuinceretur hic Musa, fortunæ, fatique sibi arrogasse, euenit paulò post, vt Marcellus ægrotans, eademque ratione à Musa eodem curatus mortem obiret.*

Cæterùm etiam in morbis, qui apertam sui præbent notitiam, transire ad alia remedia interdum licet, ad alia tamen, quæ sub eodem genere contineantur, aut sub eadem specie.

ANTIPHΩNIA II.

Extrema extremis morbis remedia an conueniant.

THESIS.

PRimo Aphorismor. 6. expressis verbis habetur: *Extremis morbis extrema remedia auxilio sunt*. Suadetur non ægrè εὐνομία hæc; siquidem nisi cum morbo æquali contrariorum excessu pugnemus, nequaquam triunphum agemus; igitur, vt leui morbo leuibus auxilijs satis prestò sumus, ita summum affectum non nisi summo præsidio oppugnabimus. Quid moror? Omnis actio fit ab excessu agentis supra passum; nisi ergo par, imò excellens sit morbo auxilium, superabitur ipsum à morbo, & hic augebitur potius. Quare meritò redarguitur à Galeno Erasistratus, qui semper, & in omni morbo à leuioribus auxilijs inchoandum esse, autumabat; quod certè in acutis, qui non dant inducias, locum non habet: Enimverò, vt Galenus 12. simplic. medicam, basilicè inquit: *si remedium est plus, protinus nocet, si minus, non sanat, nisi longo tempore.*

ANTITHESIS.

SEcundo vero Aphorismorum 51. oppositum registratur eo sermone: *Plurimum, aut repentè euacuare, aut replere, aut, calefacere, aut refrigerare, aut alio quocunque modo corpus temerè mouere, periculosum tum aliàs, tum si quis ab vno ad aliud se conuertat.* Porrò in morbis extremis ob motus celeritatem conueniret repentè, in ijs, qui sunt extremi ob excedentem plenitudinem conueniret plurimum euacuare, & sic de alijs, id autem à Preceptore damnatur. Confirmat hanc thesin 1. Aphorismor. 3. vbi de dissoluendo Athletarum habitu verba faciens, addit hæc: *Nec tamen extrema inanitio est molienda, qua vasa omnino concidant, illud enim periculi plenum, sed cuiusmodi natura fuerit eius, qui perferet, eo vsque educendum.* Suadet hanc Thesin ratio ipsa, nam natura impunè extrema, & violenta non sustinet, ita videmus, gelidos pedes, si actu calidis foueantur in gangrænam facessere: omnino omnis mutatio violenta ad contraria destructiua est.

SYNCATATHESIS.

IN sexto illo primi libri aphoriſmo extrema quidem Hippocrates approbat præſidia ea tamen lege, vt naturam non ſuperent, neque tolerantiæ excedant limites; vt enim hic extremi dicuntur illi morbi, qui naturam ſummè quidem oppugnant, at nondum expugnant; ita extrema remedia intelliguntur ea, quæ naturam afficiunt quidem, ſed non conficiunt. Quid moror? Extrema remedia intelligantur non ad vires, ſed ad morbum relata.

Cæterùm quinquageſimo ſecundi libri aphoriſmo de immoderatis pharmacis, atque extremis inanitionibus loquitur, quæ vt ſummè aduerſantur morbo, ita viribus magnopere inſenſant, naturamque debellant; quod non eſt agendum, ne Cadmia ſequatur victoria. Genuinam hanc intelligentiam colligere mihi fas eſt ex particula illa, quam prudentiſſimè Præceptor appoſuit nempe, *nec temere mouere*; quibus verbis in extremis affectibus motionem quidem extremam non damnat, dummodo tamen temerè non agatur, hoc eſt naturæ ipſius robur non infringatur.

Vt omnis denique difficultatum ſalebroſus euitetur ſcrupulus, dicamus, non haberi apud Hippocratem primo illo aphoriſmorum, quòd extremis morbis extrema competant remedia, ſed extremæ curationes; græca enim vox eſt, αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι, quaſi velis Hippocrates, non quidem remedia eſſe debere extrema, ſed ipſas curationes, ideſt medici operationes oportere eſſe morbis compares; ita tamen, vt curationes non niſi opportunè præſtent remedia, & ea inprimis, quæ naturam non deſtruant. At ægrè fortè intelligis, quomodo curatio, & non remedium poſſit eſſe extremum; hoc dioriſmo capias: extremum erit remedium, ſi in acutiſſima febre ſanguinis maxima copia vnico tractu hauriatur, vnde naturam ſuccumbere, & robur perimi, periculum imminet. Atqui extrema erit curatio, ſi in eadem febre ſanguinis eadem quidem hauriatur copia, non tamen vnica effuſione, ſed vicibus interpolatis, ita vt vires conſiſtant, nec præcipites ruant. Et hoc ipſum de pharmaco ſtatuas; quò illud ſecundo aphoriſmorum collimat: *Vniuerſum, & repente euacuare, malum*: quibus arridens Alexander Trallianus dixerat: *Satius eſt paulatim, & tutò euacuare, quàm feſtinando, perturbandoque vnà cum morbo ægrum è medio tollere*: Hæc amabo perpendite verba. Sed in medium afferes Hippocratis doctrinam ex libro de locis in ho-

mine, vbi cùm dixiſſet, quòd fortibus morbis fortia à natura medicamenta conueniunt, & debilibus debilia, ſtatim ſubiungit: *Neque partiendum eſt medicamentum, ſed ſingulis ſecundum naturam; debilibus quidem debilia à natura, fortibus verò morbis fortis naturæ pharmaca exhibenda ſunt.* Reſpondeam, id locum habere, vbi vires validiſſimæ exiſtunt, iuuentus adeſt florida, ſanguinis plenitudo viget, & plus nimio æſtuans circumſitus aer non reclamat; plerunque tamen hæc omnia non adſunt, ideòque viribus conſulendum vtplurimum; quod apertiſſimis verbis libro eodem de locis in homine num. 46. ſancitum habemus ab Hippocrate ijs verbis: *Si verò morbum fortiorem, ægrotum autem debilem acceperis, debilibus pharmacis curabis, quæ ipſum morbum ſuperent, & abducant, verùm ægrotum nihilo debiliorem reddant.* Doctiſſimus Franciſcus Perla meus olim collega in huius textus commentario obſeruat, Hippocratem plurali numero vſum fuiſſe (ait enim, *debilibus pharmacis*) *vt indicaret debiliori pharmaco, pluries tamen adhibito per interpolatas vices morbum in debili ægro eſſe curandum*; quæ dicitur purgatio per epicraſim.

ANTIPHΩNIA III.

Debili, aut forti morbo debilia, an fortia medicamenta conueniant.

THESIS.

LIbro de locis in homine textu 55. hæc ſtatuit Muſageta noſter: *Medicamenta fortia à natura in debilibus morbis dare non oportet; neque paucitate medicamenti debilitas ipſis facienda eſt; ſed fortibus natura fortibus pharmacis vtendum eſt, debilibus verò pharmacis non fortibus. Neque partiendum eſt medicamentum, ſed ſingulis ſecundum naturam debilibus quidem debilia à natura, fortibus verò morbis fortis naturæ pharmaca exhibenda ſunt.* Et eandem ſententiam promouiſſe videtur num. 39. eiuſdem libri, vbi leguntur illa. *Nihilò autem minùs oportet etiam, debiles fortia medicamenta potare, ſed ſimiliter, aut ſolùm ſic, vt fortibus quidem forte,* debilibus

debilibus verò debile exhibeatur. Nec multum ab his discrepat, quod libello de arte legitur sic iuxta Heurnij paraphrasin: *Nec adhuc constat, vtrum à leuioribus instrumentis validiores morbi tolli possint: quis autem dubitet, quin validissimis validissimi morbi curari nequeāt.*

Cæterùm hoc thema rationibus egere non videtur, cùm vnicuique medicinæ etiam legum ignaro consonum censeatur, vt magnis, fortibusque morbis magna, fortiaque medicamenta conueniant, leuibus verò, ac debilibus leuia, atq; debilia. Habent nimirum morbi suos gradus, quibus remedia ęquari debent; vnde est, quòd Galeno arbitro omnium difficillima indicatio existit, *quantum agendum*, quam si quis adipiscatur, calleatque, erit alter Æsculapius. Porrò imprudens nimiùm audire posset, qui vehementissimis morbis leuioribus pharmacis præstò esse studeret; vt contrà impudens, & nequam, qui in leuibus quibuscunque affectibus fortia, summèque generosa medicamenta vsurparet. Paria itaque, & æqualia saltem cum præminentia quadam teste Galeno medicamenta esse debent; cùm enim omnis actio maioris cuiusdam inæqualitatis proportionem requirat, vis quædam superior ex medicamentis exigitur, vnde Aretæus secundo diuturnarum passionum cap. 13. *morbis, quò dissoluantur, maiora esse remedia, opus est.*

ANTITHESIS.

EOdem ipso de locis in homine num. 46 discors à se ipso Pręceptor fieri videtur; en verba: *Si quis in morbis quid permutaturus est, forti quidem ægroto, debili autem morbo, tunc quidem confidenter fortiore, quàm morbus est, medicamento vtendum est; nam etiam si quid de sano abducat vnà, nullum detrimentum est. Si verò morbum fortiorem, ægrotum autem debilem acceperis, debilibus pharmacis curabis, quæ ipsum morbum superent, & abducant, verùm ægrotum nihilò debiliorem reddant.*

Sed ante quàm progrediamur vltrà, placeat, lector, hìc mecum perfunctoriè verba illa expendere: *Si quis in morbis quid permutaturus est*. Porrò morborum curatio nihil est aliud, quàm permutatio quædam, vt libro ipso de locis in homine affabrè Magister hoc sermone exarauit: *Medicamenta sunt omnia, quæ præsentem statum transmouent: Omnia autem fortiora transmouent: licet autem, si velis medicamento transmouere, & rursus si velis alimento, & cibo. Omnia autem ex præsenti statu transmouere, ægrotanti opitulatur: si enim id, quod morbum facit, non transmoueris, augescit*. Doctrinam

hanc venatus Galenus 5. simplicium medicamentorum cap. primo pleniùs his verbis explicauit: *Medicamentum alterare natum est, aut vna quapiam qualitate, nempe aut calefaciendo, aut refrigerando, aut humectando, aut siccando aut dictorum coniugatione quapiam, aut tota sua substantia, sicuti complura deleteriorum, seu letalium medicamentorum, nec pauca alexiteriorum, seu amuletorum, tum purgantia omnia, & pleraque eorum, quæ epispastica, hoc est attrahentia nuncupant.* Sed ad rem. Commendat itaque Hippocrates in debili etiam morbo fortius medicamentum & in forti morbo medicamentum debile, si non suppetant vires.

Quòd fortiori medicamento morbus debilis euincatur, iuxta rationem censeri debet; id enim, quod potest qualitatem vt duo infringere, multò faciliùs eandem euincet vt vnum. Cæterùm, quòd debili præsidio fortis quoque morbus edomari queat, si sit ægrotus viribus imbecillis, neque ἄλογον, seu dissonum existimari deberet; quippe medicamentum licet debile respectiuè ad fortius dicatur, erit nihilominus tale, vt *ipsum morbum superet, & abducat*, quemadmodum inquit in eo textu Hippocrates.

SYNCATATHESIS.

CVm omnis actio fiat ab excessu agentis supra passum, vt loquebatur Auerrhoes, sequitur, quòd omnia medicamenta, quæ *præsentem statum transmouent*, vt inquit Hippocrates, morbis fortiora esse debeant: Fortiorum autem, debiliumve medicamentorum vsum non aliunde, quàm à viribus ægrotantis Hippocrates determinat; quippe virtutis robore vigente fas putat medicamentum morbo longè fortius adhibere, quod licet aliquid etiam vtile detrahat, *nullum detrimentum est*, vt ipse ait. Cæterùm debili existente ægroto, si fortis sit morbus, debilibus medicamentis agendum iubet, non tamen ita debilibus, quin morbo sint superiora, quod patet liquidò ex illis verbis: *Si verò morbum fortiorem, ægrotum autem debilem acceperis, debilibus pharmacis curabis, quæ ipsum morbum superent, & abducant*; Sed vltrà non agant, ne scilicet quid etiam vtile detrahant, atque imbecillitatem adaugeant; vnde subiungit Præceptor: *verùm ægrotum nihilò debiliorem reddant*. Idipsum significauerat altera illa sententia iam relata: *Nihilò autem minùs oportet etiam, debiles fortia medicamenta potare, sed similiter*; hoc est seruata proportione inter medicamentum, & ægri vires, adeò vt inter fortia minùs forte eligatur, ita tamē, vt mor-

bum

bum ipsum superet, viribus autem nihil detrahat; quare nullibi dissonat sibi Præceptor, sed vbique medicamentum, quod sit morbo superius commendat, ea conditione tamen, vt magis, minùsve forte eligatur pro vt debile, vel forte magis ægri constabit robur.

Si dicas, improbasse in Aphorismis Hippocratem in sanis corporibus purgantia medicamenta, vt quæ vtiles deducant succos, corpusq; in σύνθεσιν adducant (dixerat enim lib. 2. Aphorismor. 36. *Sana habentes corpora dum medicamentis purgantur, celeriter exoluuntur*, quod aphorismo 17. confirmat) ideòque non esse in debili morbo, viribus constantibus, forte medicamentum vsurpandum, quod vtilem etiam euocabit succum non sine pernicie. Respondeam, aliud esse medicamentum in ijs propinare, qui integra fruuntur valetudine, atque adeò nullis impuris scatent humoribus; aliud verò morbosis corporibus fortius exhibere medicamentum, quod aliquid etiam vtilis abducat. In sanis corporibus, cùm non nisi nutricij, optimique succi exhauriantur, corpus in σύνθεσιν, & inde in σπάσμον etiam delabetur: At verò in morbosis, cùm longè plus impuri, quàm puri deturbetur, huiusmodi non imminet calamitas.

Demum fuere corollide. Eiusdem energiæ erit in corpore imbecilli medicamentum vt vnum, atque in corpore valido medicamentum vt duo; quantum enim fortius medicamentum per se magis aptum est agere, tantum robustum corpus est quoque magis aptum resistere, vnde diminutior sequetur actio; & contrà medicamentum debile, quantum ex sui natura minùs pote est ad agendum, tantum debile corpus, quia parum resistit, est ad patiendum promptius, vnde & promptior succederet actio. Non est doctrina, hæc mea, sed Hippocratis libro de locis in homine, vbi medicamentum in febribus reprobat, quandocunque corpus est floridum, & validum ob id, quòd ægrè purgatio consequatur, ideòque monet, expectandum esse, vt priùs debile reddatur. Hæc sunt verba num. 38. vbi febrium curationem proponit: *Medicamentum tamen, donec corpus floridum est, ne propinato, non enim vacuantur nisi parum, vtpote corpore turgente: quum autem gracile, ac macilentum fuerit, tunc bibendum exhibe, & euacuabitur.*

ANTI-

ANTIPHΩNIA IV.

An purgare liceat vsque ad animi deliquium.

THESIS.

PRimo Aphorismorum tertio de Athletarum habitu statim solvendo præceptum tradens Hippocrates extremas interdicit euacuationes sic: *Neque verò inanitiones ad extremum ducere oportet, periculosum enim est, sed qualis natura est eius, qui perferre debet, adhoc ducere conuenit; similiter antem euacuationes ad extremum ducentes periculosæ sunt.* Confirmat paulò infra, vbi tradit: *Vniuersum, & repentè euacuare malum: quod paulatim fit, tutò fit &c.*

Suadet ratio, quoniam natura, quæ in mediocribus constituitur, extrema nequaquam tolerat, neque fert impunè violentos motus, sicuti ad extrema sine medio progredi arduum est. Quid multa? Sanitas est moderantia, immoderantia morbus, ergo ab immoderatis euacuationibus, aut etiam alterationibus nefas erit expectare salutem.

ANTITHESIS.

SEd in eodem libro aphorismo 23. contrariam registrat sententiam; audiamus amabo: *Et vbi opus est vsque ad animi deliquium ducere oportet, & hoc facere, si sufficiat æger:* Confirmat altero illo celeberrimo aphorismo, quo dicitur: *Extremis morbis extremæ medicationes optimæ sunt.* Dogma idem ad praxin aliquando Hippocrates redegit, nempe quinto Epidemiorum num 6. vbi tabido cuidam viro sanguinem ex vtraque manu vsque dum exanguis fieret, mittendum iussit. Hęc est historia: *In Oeniadis vir morbo tenebatur, cùm sine cibo esset, fortiter sugebat in ipsius ventre, & dolebat, & cùm comedisset, & cibi contriti essent, & tempus superueniret post esum cibi, non valde postea hoc idem patiebatur, & tabescebat corpus, & consumebatur, & non accedebat ei alimentum à cibis cùm comedisset, & subducebatur cibus prauus, & combustus. Cùm verò recens*

cens cibatus esset, hoc ipso tempore minimè sugebat, neque dolor tenebat ipsum. Hic pharmaca bibens omnigena sursum, & deorsum, nihil iuuabatur; secta autem vena in vtraque manu vsque dum exanguis redderetur, deinde iuuatus est, & à malo liberatus est. Confirmat non vno in loco Galenus, sed in eius aphorismi commentario expressis verbis, quæ hic describere operæpretium censeo; sunt autem hęc: *Ea igitur, quæ fit animi defectio ratione euacuationis, nunc ab Hippocrate dicta est esse mensura euacuationis, & in maximis inflammationibus, & in ardentissimis febribus, & vehementissimis doloribus; oportet autem (sicuti, & ipse inquit) viribus integris, atque valentibus tantam moliri euacuationem, & nos sepiùs huiuscemodi euacuationes prodesse plurimùm, experientia didicimus. Nam in ardentissimis febribus si vsque ad animi defectionem sanguis mittatur, statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur, plurimis etiam aluus citatur, & sudores emanant, ac quidam eorum ex his sanitati prorsus sunt restituti, alij valde adiuti vehementiam ægritudinis absciderunt. In maximis etiam inflammationibus, vt vehementissimis doloribus nullum maius noui remedium, quàm vsque ad animi defectionem euacuare, adhibita distinctione, an mittere sanguinem, an purgare oporteat vsque ad animi defectionem, quemadmodum in libro de venæ sectione monstrauimus.*

Nec ratione destituitur antithesis, quippe ni remedium æquiualeat morbo, in morbum ipsum degenerat; necesse est enim, vt actio sequatur ab excessu agentis supra passum, & vbi erit virtutis præstantia, ibi victoria in promptu erit. Sed hæc alibi pluribus explicauimus.

SYNCATATHESIS.

Animaduerte, lector, quòd ad animi vsque deliquium vt possis educere, metiri in primis, ac sedulò debebis vires, quarum tam Hippocrates, quàm Galenus meminerunt semper quandocunque extremam istam euacuationem commendarunt. In trigemino ergo illo morborum genere, nempe ardentissimis febribus, maximis inflammationibus, ac vehementissimis doloribus, quòd non dent inducias, nefas est à leuioribus auxilijs curationem auspicari; sed statim ad lypothymiam vsque purgare, aut phlebotomare par erit. Atque de his locutum dicas Hippocratem 23. primi libri; in reliquis verò affectionibus, licet validis, & acutis, quòd non ita vrgeant, temerarium foret extremum

hoc

hoc tentare auxilium; atque de his verba fecisse credas eodem libro aphorismorum tertio, & infra, vbi vniuersum, & repentè vacuare malum esse, indixit.

Ad historiam vero ex quinto Epidemiorum deductam, quæ magni momenti esse videtur, respondendum erit, quòd vir ille in Oeniadis ob maximum viscerum ardorem, totiusque corporis eximiam caliditatem tabescebat, ac doloribus lancinabatur, præsertim ieiuno corpore, quo tempore suctionem illam acrem experiebatur succedentibus inde prauis, & combustis excrementis. An non hæc omnia extranei, vrentisque caloris argumenta? Non mirum igitur, si omnigenis pharmacis sursum, ac deorsum purgatus, nihil, vt inquit Hippocrates, iuuabatur; scitum est enim, quòd calidis huiusmodi corporibus infensa valde sunt cathartica omnia, vt quę caliditatem exaugere valeant eodem Hippocrate non vno in loco magistro; mirificè autem subleuatus est à sanguinis vberrima ex vtroq, bracchio eductione, vnde temperari viscera, ventilari sanguinem, & humores, ac totius habitus caliditatem, ac siccitatem infrænari contigit, vnde atrophia, ac tabescentia ducebat originem.

∴

ANTI-

ANTIPHΩNIA V.

Purgatio an per loca, ad quæ natura vergit, sit celebranda.

THESIS.

PRimo Aphoriſmorum 21. Præceptor per loca illa artificioſam euacuationem celebrandam eſſe, monet, ad quæ natura procliuis eſt. *Quò natura vergit, eò ducere per loca conuenientia*. Confirmat libro de humoribus in principio, vbi ſic: *Impetus, & ferocitas humorum, vbi non reciprocatio humorum eſt velut florum ducendus eſt quà repit per conuenientes, ac commodas regiones, exceptis his, quorum maturitas tempore contingit*; quod & infra repetit. Sexto quoque Epidemior. ſect. 2. 21. *Reuellere, ſi quò non oportet, vergant, ſi autem quò oportet, non oportet aperire, vt quæcunque repant*.

Huiuſce dogmatis rationes planæ ſunt; ſiquidem natura ipſa *ſine doctore magiſtra*, vt Hippocrates ait, benè vias nouit, per quas peccantes humores faciliùs excludere valeat; & quòd natura huc magis, quàm illuc determinetur, ſignum eſt, faciliorem illic habere conatum, & minorem obſidem; non debet ergo inde auerti, alioquin infauſta erit purgatio, quòd eodem tempore contrarij motus fiant, hinc natura, illinc medicamento trahentibus: debet autem ſemper medicus naturæ imitator fieri. Cæterùm iſthæc naturæ procliuitas tum ab ipſis humoribus, tum ab anni tempore, tum à corporis conſtitutione pendet: ab humoribus quidem, quoniam ſemper bilis, exempli gratia, ob ſui tenuitatem ad ſuperiora viam affectat; quo conſilio monebat 4. Aphoriſmorum Hippocrates, in æſtate per ſuperiora purgandum, quòd eo tempore bilioſi prædominentur ſucci, contrà in hyeme per inferiora purgationes agendas eſſe, quòd pituitoſi humores, qui tunc vigent, κάτω inclinent: A tempore propenſio eadem pendere poteſt, quandoquidem licet bilis ex ſui natura per ſuperiora expurgari deſideret, in hyeme tamen id non fœliciter conſequimur; hyberno namque tempore ſucci omnes denſeſcunt, & quodammodo congelantur, vnde deorſum ſuo pondere propelluntur; & id ſanè ſignificare

nobis

nobis voluit Hippocrates, dum quarto Aphorismorum 6. aiebat: *graciles, & ex facili vomentes per superiora sunt euacuandi, cauendo hyemem*; quibus verbis ostendit, humores omnes hybernos esse κατάρροπους, plusque tempori esse tribuendum, quàm temperamento, atque humorum ἔγκλισι; ita pariter subiungit: *contrà qui ægrè vomunt, & paulò habitiores sunt, per inferiora sunt purgandi, cauendo æstatem*, quasi in æstate succi omnes reddantur ἀνάρροποι. A corporis constitutione similiter natura aliam, aut aliam procliuitatem obtinet; siquidem qui sunt picrocholi ἄνω, idest quibus ductus ille cholidocus non in cæcum intestinum, sed in vẽtriculum inseritur, faciliùs per superiora purgantur; qui poros habent patulos, & reseratos, per sudores; qui venas narium raras, & amplas, per hemorrhagiam; qui renes magnos, & vreteres latos, per vrinam. Addit autem Hippocrates: *per loca conuenientia*; quoniam tametsi aliquando natura ad locum aliquem vergat, qui quantum est ex se conueniens videatur, si ex euentu tamẽ inconueniens fiat, auertenda prorsus natura erit; vt laborat quis rheumate à capite, per nares commodè materia euacuatur, at si fortè polypo nasus detineatur, inconuenientes ductus nares redduntur.

Sed fortè hic sciscitabitur aliquis, num præcepta huiusmodi sint verè obseruanda, cùm videamus, Neotericos omnes practicos rarò per superiora purgationes moliri, sed tam in æstate, quàm in hyeme per infernas partes purgare. Respondeam, purgationem per vomitum Hippocratis tempore fuisse valdẽ consuetam; vtebantur enim frequenrissimè elleboro, fortè quia placidioribus pharmacis carebant; nostra verò tempestate cùm humores etiam biliosos æquè bene per infernas partes deturbare valeamus, tutius erit hinc educere; etenim Mesuei consilium arrisit semper asserentis, ventriculum à natura coctionis, non purgationis gratia fabrefactum fuisse.

ANTITHESIS.

Sexto Epidemiorum sect. 2. aphorismo septimo antilogos fit Hippocrates; ait enim sic: *Alium succum, non qui exeat, agere, exeuntem verò simul effundere facere, simile, vt dolor dolorem sedat, dissimilia verò, si repant sursum elata, deorsum soluere, & contraria eodem modo*; quibus verbis apparet, quòd medicus non solùm simili facere debet, hoc est humorem per partem illam educere, per quam natura emittere studet, sed contraria etiam, hoc

est per diuersam partem ab ea, per quam natura tentat euacuare: *si repant sursum elata, deorsum soluere*. His addi debet, quòd cùm natura interdum per plures partes humorum excretionem moliatur, vt per sudorem, hæmorrhagiam, vrinam, ac diarrhæam, illam ita multiuagam imitari arduum, & absonum esset. Huius rei exempla primo Epidemior. tum pluribus in locis exarantur, tum præcipuè sectione tertia, ægroto 8. vbi Metonem Præceptor describit, apud quem Natura eodem tempore varias aggressa est vias, per quas morbificam educeret materiam: si placet, en ipsa historiæ verba: *Metonem ignis arripuit; lumborum grauitas cum dolore. Secundo multum aquæ bibenti, aluus benè reddidit. Tertio capitis grauitas; deiectiones tenues, biliosæ, subrubræ. Quarto omnia exacerbata sunt: fluxit à dextra nare sanguis paululum, bis. Noctem difficulter: deiectiones quales tertio die: vrinas subnigras habebat, in quibus pendebant subnigra sparsa. Quinto largiter fluxit ex sinistra sincerum, sudauit, iudicatus est &c.*

SYNCATATHESIS.

BReuibus audi symphωniam. Imitari debemus naturam κειτικῶς operantem, criticè verò dum agit, vnam aggreditur viam, perquam plenè, & affatim, quæ in vitio est, materiam excludit. At συμπτωματικῶς agentem imitari nefas est; & quidem in Metone motus omnes symptωmatici ab erethismo erant, qui tamen demum in crisim desierunt.

ANTIPHΩNIA VI.

Per proximam, an per remotam partem euacuatio celebrari debeat.

THESIS.

SExto illo Epidemiorum opulentissimo sect. 2. num. 7. docet apertè Hippocrates, purgationem per partes remotas celebrandam esse; audiamus: *Simile, vt dolor dolorem sedat, dissimilia verò, si repant sursum elata, deorsum soluere, & contraria eodem*

dem

dem modo. Ratam facit sententiam lib. de humoribus num. 1. vbi habet: *Aut reuulsio in supernis deorsum, in infernis sursum*. Sed luculentiùs adhuc libro de natura hominis num. 22. rem declarat his verbis: *Enitendum est autem, vt sectiones quàm longissimè à locis faciamus, vbi dolores fieri, & sanguis colligi solet*; Et st. tim suæ sententiæ rationes appingit Magister, aitque: *Sic enim mutatio minimè magna de repentè fiet, & consuetudinem remouebit, vt non ampliùs in eundem locum colligatur*.

Profectò si per affectam, ac proximam partem euacuationes moliamur, noxam proculdubio, atque dolorem augebimus, atque vt est vulgaris parœmia, addemus afflictionem afflictis, & insuper humores, qui alioquin lentè ad illam deuoluebantur, irruent præcipiti cursu. An quæso prudenter ageret, qui in dolore, magnave imbecillitate ventriculi vomitum celebraret? Num eum, qui asthmate, vel phtysi laboret, emeticis repurgare audebis?

ANTITHESIS.

SEcus verò sentit quasi δίψυχος Hippocrates libro de locis in homine, num. 55. vbi hæc registrantur: *Cæterùm morbi ea parte, qua proximi sunt, educendi sunt, & qua parte singulis exitus quàm proximus est, extrahendi*: Confirmat palam 6. Epidemiωn sic: *In doloribus proximum ventrem secato*. Et est prorsus illud idem quod quarto Aphorismor. 18. sancitũ legitur: *Dolores, seu affectiones, quæ partibus supra diaphragma oboriuntur, quæcunque purgationis sunt indigentes, superiore pharmacia opus esse, significant: quæ vero infra, purgationem infernam requirunt*.

Videtur autem & rationi apprimè consonum, vt noxios, impurosque succos inde, vbi morbum pariunt, euacuemus. Nimirum haud ita facile erit ex affecta parte, vbi sunt impacti, succos educere, si per contrariam regionem catharsin celebremus; nam longè maiori conatu ad contrarios ductus, eosque longiores deferri continget.

SYNCATATHESIS.

AVdi, lector, symphωniam. Morbi qui à iugi humorum affluxu pendent, ac fouentur, nequeunt alia ratione curari, quàm fluxionem reuellendo; quare lib. de locis in homine Hippocrates num. 42. edixerat: *Morbos à principio curare*

SYNCATATHESIS.

HAud multum laboris impendam, vt pugnantes conciliem aphorismos; Nam secundo illo aphorismorum non de humore, qui morbi coniuncta causa existit, Hippocrates verba facit, sed de primarum viarum à crudis, ac fæculentis excrementis expiatione, quæ naturam onerant, & à pepasmo distrahunt, nec medicamentis permittunt liberum aditum. Rursus dum humor natura sua malignus existit, habetque cum cacoithia orgasmum, expedit, vt statim educatur, alioquin ferocior euadens in alta viscera irrepere posset, & mortem ocyùs inferre, eo magis, quòd prauus, & à se ipso totus alienus mitescere ampliùs nequit omnis coctionis expers. At primo aphorismorum de humoribus illis loquitur, qui febres acutas pariunt, adeò vt putridi quidam, at non corrupti existant, atque adeò à natura non omnino alienati fuerint, sed coctione mitescere valeant, & ad benignum reduci; quamobrem donec facta sit vtilis ab inutili secretio, expurgari non debent, sed ante expurgationem pepasmi signa præstolari debemus. Quare 2. Aphorismorum Dictator conditionaliter loquitur: *Si quid tibi mouendum videtur*, quasi dicat, si cætera concurrant, vt nimirũ corpus neq; admodum plenum, ac turgens sit, neq; ex propria natura morbi phlebotomiam primò exigat. Rursus verbum, *mouendum*, non est duntaxat ad catharsin referendum, verùm ad sanguinis etiam detractionem, ideòque præceptum, vt vtrunq; inculcans est recipiendum, ea lege tamen, vt præcedant, quæ præcedere debent, atque corpore florido existente, prius phlebotomo, quàm pharmaco demus operã.

Atqui in libro de locis in homine de purgante medicamento decernit, cui semper præire debet sanguinis missio ob rationes adductas paulò supra, corpore existente florido, ac turgente; alioquin vniuersale foret medicorum erratum, qui frequenter eccoproticis, atque hypellatis medicamentis corpora exonerant: nimirum lenitiua hæc clysterium vice vsurpantur. Porrò tanti fecit Ipse morbi curationem à sanguinis missione in his casibus auspicari, vt vel ipsi clysmo præmittat, quemadmodum ex eo textu de locis in homine palàm fit, ait enim: *nam venè sectio in talibus principalis est, deinde infusa per clysteres*; quod fortè Neotericis quibusdã sacrilegũ videri poterit, qui, nisi priùs enemate abluatur aluus, absurdum rentur sanguinem haurire. Ego sanè Hippocratis do-

ctrina fretus in internis omnibus inflammationibus, ac maximè in angina, ac pleuritide, seu peripneumonia, vel clysteris inducias suspectas admodum habeo, ideòque sanguinem actutum hauriri, iubeo, etiamsi stiptica diu fuerit aluus, cui deinceps consulo.

Cæterùm neque alto silentio præteriri debet, Hippocratem libro de vict. ratione in acut. purgationem vel à principio ita basilicè determinare: *Quibus in principio vrinæ nebulosæ, aut etiam crassæ sunt, tales depurgare oportet, si etiam alia contulerint: quibus verò in principio vrinæ tenues, tales ne purgato, sed si visum fuerit, infusa per clysterem adhibeto*. Hìc ad calcem non omnino παρέργον, ad celebrem illum Aphorismum: *Concocta medicari &c.* qui tantum expositoribus negocij facessit, Capiuaccei præclaram, ac præ oculis semper habendam doctrinam liceat afferre ex libro sexto Medicinæ practicæ in appendice de tempore exhibendorum soluentium: *Vt autem breuiter totum comprehendamus negocium, sic statuendum. Materia morbosa alia à sanguine vel est cocta, vel cruda. Si cocta, purganda. Si cruda, vel non admittit coctionem, vel admittit. Si non admittit, ea cruditas non prohibet purgans, vt in ascite aquam liceat ex abdomine euacuare etiam non coctam, quia coctionem omnem respuit. Si materia cruda coctionem admittit, vel venenata est, vel veneni expers. Si venenata illico purganda. Si materia cruda est expers veneni, vel quiescit, vel mouetur. Si quiescit primò concoquenda est, deinde purganda. Si mouetur, tunc terminus ad quem, vel latet, vel patet. Si latet, vt in materia furiosa, illico ante coctionem materia hæc purganda. Si patet, tunc impetus fit ad loca, vel conuenientia, vel non conuenientia. Si ad conuenientia, tunc iuuandus est, & primùm materia coquenda, deinde purganda. Si ad non conuenientia loca fiat impetus, idest partem vel principem, vel consentientem principi, cohibendus est impetus, idest materia illicò purganda est neglecta concoctione, nisi purgantis vi impetus augeatur, vt dum materia iecur petit, vbi à purgante desistendum.*

ANTI-

ANTIPHΩNIA VIII.

In hyeme per vomitum, an per secessum purgandum.

THESIS.

QVarto Aphorismorum 4 hyeme per superiora purgandum esse, docuit Hippocrates his verbis: *Medicari æstate superiores magis ventres, hyeme verò inferiores*, quod sexto eiusdem libri confirmat, cùm ait: *Graciles, & facilè vomentes purgare per superiora conuenit, cauendo hyemem.*

Suadet ratio; quoniam humor pituitosus, qui hyberno tempore prædominium habet, cùm grauis, ac ponderosus naturaliter existat, deorsum inclinat; ergo per infernam regionem purgare eundem expedit iuxta alium illum aphorismum: *Quò natura vergit, eò ducere.*

ANTITHESIS.

OPpositum autem exarauit Præceptor tertio de diæta num. 3. ibi enim diætam, aliamq; normam viuendi, quæ in hyeme competit, describens, hæc habet: *Vtendum & vomitibus, si humidiores sint, ter in mense; sin sicciores, bis à cibis omnis generis &c.* Confirmat libello de salubri diæta num. 5. vbi hæc leguntur: *Sex mensibus hybernis vomere vtile est, per id enim tempus pituita magis, quàm æstate abundat, & morbi circa caput fiunt, & regionem eam, quæ est supra septum transuersum; quum verò æstas, atque calor fuerit, aluum subtus eluere oportet, namque tempus æstiuum est, & corpus redditum biliosius, lumbique, & genua tum grauitate, tum calore magis diuexantur, & venter torminibus torquetur; quare corpus refrigerare opus est, & quæ circa supernas partes corporis fluitant, ab ijs locis per infernas subducere licet.* Subcripsit Celsus lib. 1. cap. 3. inquiens: *vomitus vtilior est hyeme, quàm æstate, nam tum & pituitæ plus, & capitis grauitas maior subest.*

Neque hìc desideratur ratio, quandoquidem pituita vel de

cerebro delapsa, vel in ventriculo congesta fœliciter vomitu reijcitur; nam breuiorem viam per os inuenit, quàm si per intestina deducatur, quorum amphractibus adhærescens, ægrè excernitur. Rem euentus comprobat; nam non paucos videmus, qui singulis ferè diebus in hyeme pituitæ ingentem copiam per os magna cum facilitate, & vtilitate excernunt.

SYNCATATHESIS.

Dici primò potest, quòd Hippocrates sententiam illam in aphorismis haud simpliciter protulit, sed addita particula, μᾶλλον, quæ, *potius*, sonat; quasi neutiquam inficietur, in æstate etiam per inferna, & hyeme per superna purgari posse; quod communi etiam Auctorum praxi confirmatur. At melior fortè παραγωγὴ desideratur. Si de vniuersali purgatione agatur, qualis est illa, quæ per elleborum celebrari solet, Hippocrati apprimè consueta, vtique in æstate per superiora, in hyeme per inferiora cieri debet. Si verò de peculiari catharsi sermo sit, ab re non erit illam in hyeme per vomitum, in æstate per secessum promouere; audiamus Galenum, si placet, in commentario appositè loquentem: *Quoniam igitur hyeme pituita in ventre gignitur, nobis consulit, vt eam vomitibus euacuemus, & bilem æstate supra innatantem deorsum reuellamus. Et tamen si vniuersum purgare corpus velis, æstate per ventrem superiorem, hyeme per inferiorem purgabis, vt in aphorismis scriptum est. Etenim, quæ iam redundant, ea curat purgatio, quæ per ea loca, quò vergunt, adhibeatur; ducenda enim illa sunt quò tendunt per loca accomodata: quæ autem prohibere velis, ne augeantur, ea per loca contraria retrahere conuenit.*

ANTI-

ANTIPHΩNIA IX.

Ante vomitum ex elleboro inedia, & motus, an potius cibus, & quies conueniant.

THESIS.

QVarto Aphorismorum 13. Medicorum Tribunus hoc sancitum edidit: *Ad elleboros, qui non facilè supra purgantur, eorum corpora ante potionem pluri cibo, atque quiete humectanda sunt.* Confirmauit sexto Epidemiωn sectione 5. vbi ad faciliorem purgationem ab elleboro superedendum præcipit: sunt hæc verba: *Eum, qui veratrum bibit, si citius purgare volueris, lauare oportet, aut comedere.*

Sententia hæc sodalem habet rationem; nam largiori cibo, & quiete naturæ vis roboratur, humoris infringitur contumacia, & quod magis est, ab hypercatharsi æger eximitur, & conuulsio, quę elleboro superuenire posset, facilè præcauetur. Adde his, quòd vomere cupientibus Hippocrates libro de salubri diæta num. 7. vinum acidum simul & austerum, ac dulce, & ciborum omnigenam varietatem præscribebat; eo quia pleno ventre vomitus fœliciùs cedunt.

ANTITHESIS.

CVr igitur libello de salubri diæta eodem numero septimo motum potius, & ieiunium ante vomitum præcipit? Percipiamus edictum: *Vomitus autem hoc modo prouocandi sunt; Quicunque enim crassi, minùsque graciles sunt, ieiuni cursu, concitatioreque ambulatione praexercitati medio die vomant.*

Confirmat luculentiùs quarto Aphorismorum 14. vbi hæc: *Eum, qui veratrum biberit, ad corporis motus magis, ad somnos verò, & quietem minùs ducere oportet: corpora autem motu turbari, nauigatio indicio est.*

Neque ratione destituuntur hæ sententiæ; quippe motu attenuãtur humores, fluxilioresque redduntur, vnde ἄνω faciliùs mouentur, vt contrà quiete stagnant, segnesque redduntur, vnde magis κάτω inclinant suo pondere.

SYN-

SYNCATATHESIS.

Dicas, aliam esse obæsorum, aliam gracilium conditionem in vomitu ciendo; siquidem pingues, quòd segnes habeant humores, & ad motum pigros, non nisi ieiuni, & post insignem ambulationem, atque motum vomere debent; ita enim pituita natura sua lenta, ac tenax incalescens, exercitio funditur, atque ad exclusionem redditur aptior. Graciles contrà, vt qui humoribus nequicquam abundant, si vomere debeant, à cibis, ijsque varijs, & omnigenis id efficere expedit iuxta Hippocratis præceptum præcitato textu de salubri diæta, vbi subiungit: *Qui verò graciliores sunt, ac debiliores, à cibis vomitum faciant hoc modo. Lotus calida præbibat meri heminam, deinde cibos omnigenos edat*; & quæ sequuntur. Quod 3. de dieta num. 4. scripserat his verbis: *Vtendum & vomitibus, si humidiores sint, ter in mense; sin sicciores, bis à cibis omnis generis; à vomitibus sensim perueniendum est ad consuetum cibum per tres dies, eoque tempore laboribus leuioribus, ac paucioribus vtendum: à bubulis autem, & porcinis carnibus, aut alijs, quicquid tandem modum excesserit, repletus vomat; & à caseosis, & dulcibus, ac pinguibus eum, qui non est adsuetus repleri, vomere conducit, & ab ebrietate, ac ciborum mutatione, & regionum alteratione vomendum est.*

ANTIPHΩNIA X.

In dolore capitis purgatione, an sanguinis missione agendum.

THESIS.

Capitis dolores libro de affectionibus circa initium curaturus Hippocrates, hoc preceptum tulit: *Si in caput dolores inciderint, huius caput calefacere conducit, ita vt multa calida lauemus, & sternutatione facta pituitam, ac mucos subducemus, & si quidem ex his à dolore liberetur, sufficiunt hæc; si verò non liberetur, purgandam est caput à pituita*, & paulò infrà: *Si verò diutur-*

nus, & fortis in capite fiat morbus, & purgato capite non decedat &c. Confirmatur lib. de morb. 3. num. 2. vbi hæc: *quum doluerit caput præ cerebri repletione, vitiosorum humorum non factam purgationem significat, & dolores totum caput tenent, & delirat, & moritur septima die, si verò supernam, ac infernam aluum purgare voles, seorsim vtranque soluito.*

Idipsum suadet ratio, quoniam dolor plerunque ab humorum vel vitio, vel copia excitatur; igitur ex eorundem detractione, ac purgatione euanescet. Hinc præcitato libro de affectionibus cùm Præceptor dixisset, omnes morbos à bile, ac pituita exoriri, capitis dolorem mox enarrans, hunc à pituita in capite augescente, & agitata fieri, statuit; igitur phlegmagogo expugnabitur dolor educta causa.

Cæterùm non desunt apud Hippocratem alia dolorum capitis exempla, in quibus purgatio adhibetur.

ANTITHESIS.

VErùm longè alius à se ipso prodit magnus Dictator lib. de locis in homine num. 49. vbi hæc registratur sententia: *Doloris in capite gratia sanguinem de venis detrahito; si verò non sedetur, & diuturnus sit, perure uenas, & sanus euadit; si verò caput purgaueris, magis affliges.* Rursus lib. de ration. vict. in acut. num. 64. eas omnes affectiones recensens, quibus purgatio officit, eos adducit, quibus caput dolet ab exercitationibus, aut cursibus, aut profectionibus, aut venationibus, aut ex alio quopiam intempestiuo labore, aut ex re venerea.

Probatur verò assertio Galeniano primum, & communi dogmate, quo definitur, in omnibus magnis doloribus plurimum opis præstare sanguinis missionem, vt quæ humorum, ac spirituum reuellit affluxum, sensum obtundit, dolorisque causam vel euacuat, vel deriuat, & quod est adhuc optabilius, inflammationem prohibet, quæ doloribus quantumuis à frigido humore oriundis semper imminet. Hanc insuper suffulcit antithesin id, quod legitur primo prædictionum num. 21. nempe. *Quibus capitis dolores, & totius corporis impotentia quædam, sanguinis eruptiones soluunt.*

Suadetur secũdò; quoniã, cùm præferuida sint purgantia pharmaca, ipso docente Hippocrate, si adhibeantur, calore, ac turbatione dolorem exaugent; quippe catharticis omnibus vis quædam inest elateria, quæ tamen à sanguinis missione est prorsus aliena;

na; quin potius hæc humores ab orgasmo vendicat, & primeuæ quieti, ac tranquillitati restituit. Cæterùm à purgatione capitis exacerbatum iri dolorem, contendet nemo, qui vel mediocriter versatus fuerit in Hippocrate, qui non vno in loco, sed potissimùm libro de locis in homine palàm testatur à purgantibus, pharmacis caput vel vsque ad insaniam excalefieri.

SYNCATATHESIS.

Conciliabis lector φιλαλήθες pugnantes hic, illic textus, hoc habito diorismo. Capitis dolor vel per idiopathiam, vel per sympathiam excitari potest: qui partium infernarum, ac subiectorum viscerum, humorumque consensu contingit, vtpotè phlogosi, ebullitione, æstu, atque euaporatione, sanguinis missione curatur meliùs; qui verò in capite est per essentiam, cumulata in cerebro cacochymia, frigidave colluuie, purgationem postulat. De hoc lib. de affectionibus, ac tertio de morbis Hippocrates verba fecit; de illo verò libro de locis in homine; ideòque statim ibi sanguinem præcipit reuulsionis gratia, pharmacum verò detrectat, quòd ex eo caput ampliùs incalescens à subiectis visceribus magis attraheret, ac inde deteriùs afficeretur. Ita mulier illa in Pheris apud Hippocratem 5. Epidemiorum num. 12. *cui caput circumcirca dolebat multo tempore, & nullus poterat quicquã opis ferre, neque cùm caput purgaretur; meliùs autem habebat, cùm menses illi facilè prodibant; Hæc cum caput circumdolebat, subdititijs bene olentibus ad vterum appositis iuuabatur.* En dolor per consensum ab vtero, qui solo sanguinis effluuio, & subditis odoribus mitescebat. Sic pariter 2. de morbis in doloribus capitis, qui fiunt cùm venæ superuomunt in caput sanguinẽ, nullam purgationis mentionem habet, sed solius sanguinis beneficium recenset. Et sanè quòd libro de locis in homine dolor per consensum à subiectis visceribus describatur, palàm fit à subsequentibus illis verbis: *Si verò non sedetur, & diuturnus sit, perure venas, & sanus euadet*; nam in quem finem venarum vstionem præciperet, nisi vt vaporum, humorumque intercipiatur ascensus, inhibeaturque affluxus ab inferis partibus ad cerebrum? Quòd verò libro de affectionibus de dolore per idiopathiam loquatur, apertè colligitur ex ijs, quæ paulò infrà ascribit; ait enim: *dolores incidunt à pituita, quum in capite mota cumulata fuerit*: quibus verbis luculenter declarat doloris caussam per essentiam in capite; ideòque, si dolor fugari debeat, purgandam fore pituitam; cuius metropolis est cerebrum, quem-

admo-

tatis languore, tantum abest, vt purgationem exigat, vt potius restaurantia, atque roborantia postulet; Huius census est vertigo illa, quæ neonymphos, aliosque ludi venerei apprimè studiosos corripere solet, in qua ob spiritus fatiscentes vinum, aromata, oua contusa, & extracta carnium pro pharmacis vsurpamus.

ANTIPHΩNIA XII.

Conuulsioni conferat, an officiat frigida.

THESIS.

Libro de humidorum vsu num. 3. hæc ab Hippocrate scripta leguntur: *Frigida verò conuulsiones, tensiones, nigrores, rigores febriles;* & num. 11. *Vlceribus quidem frigida mordax, cutem obdurat, dolorosa, non suppurare facit, liquefacit, nigrefacit, rigores febriles facit, conuulsiones, ante, & retrò distensiones.* At quid ex libris Hippocratis minus famigeratis auctoritates aucupor? Quinto Aphorismor. 18. hæc dictantur: *frigidum verò conuulsiones affert, tetanos, liuores, quasique partium denigrationes, & rigores febriles.*

Huius theorematis sunt satellites rationes; & est quidem prima, quoniam frigida neruosas partes contrahit, corrugatque (vt est frigoris natura densare, & constipare) hæ verò cõstipatæ, ac tensæ ad suum principium retrahuntur cordarum instar; hinc ergo tetanos vel morsu, vel plenitudine excitari potest; nam conulsio non solùm à plenitudine, quam constipatio meatuum efficere potest, excitatur, verùm etiam ab obiecto mordicante, acremque sensationem inducente, vnde congenerum, siue antagonistarum musculorum oritur spasmus.

Rursus frigidæ vsus fixum partium calorem extinguit, influentemque à corde vitalem spiritum intercipit, ac repellit; quare in parte ipsa conuulsio, necrosis, siue morticinium inducitur. Ita videre est hyemali tempore, quotquot per alpes, aquilone flante, iter habent, summæ narium cartilaginis, extremorumque digitorum incurrere morticinium, quod nomine gelu vulgo dictitatur. Quid multa? Vita partium in insito calore consistit; calor ab ho-

ſte ſuo, nempe frigore, ſuperatur, & extinguitur; frigus autem mortis eſt typus, ideòque paſſim frigida mors dictitatur,

Et cùm frigida mors animam ſeduxerit artus.

item:

O genus attonitum gelidæ formidine mortis. rurſus:

Stulte quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?

vt Virgilius 4. Aeneidos, & Ouid. 15. Metamorph. & 2. Elegiarum accinerant.

Inſuper gelidę aquæ affuſio rigores parit, tum quia influentem calorem repellit, vnde deſtitutæ calore partes rigent, tum quia diapneuſtiam inhibet, quare ſuppreſſis fuliginibus, quæ per halitum educebantur morbos parit, atque in primis febres à principio rigoriferas. Et id nimirum quotidianum experimentum palàm facit; ſiquidem, qui gelidi fluminis vadum tranſmeant, quiq; flante ſæuiore borea, longum peragrant iter, facilè febre corripiuntur; & mirum quidem, quòd nulla alia intercepta ἔκρυσις, ſiue euacuatio ſic, vt pororum obſtructio, febres excitat; nam ſunt, qui ſeptem, octoue dierum ſpatio nihil per aluum egerunt, nec tamen inde in febrem incidunt: Braſauola æui ſui coriphæus Ferraria Lauretum verſus diſceſſit, Laureto Ferrariam rediјt, ſemel tantùm alui depoſito onere. Præſul eiuſdem ciuitatis doctrina, & moribus in Vrbe eximius, cui ego medicinam facio, ſingulis decem, vel duodecim diebus fæces, eaſque paucas deijcit, nec vnquam inde febricitat. Sed omnem ferè fidem ſuperant hiſtoriæ aliæ à fide digniſſimis relatæ. Nicolaus Florentinus mulierem recenſet, quæ à primo conceptionis die vſque ad quadrageſimum quintum nihil prorſus per aluum excreuit. Foreſtus lib. 2. de febribus, obſeruat. 35. narrat, Theodorum quemdam de Vuael Toparcham quartana defunctum tribus menſibus, ac tribus diebus nec tantillum quidem per ventrem emiſiſſe; & addit ab Haghano Medico accepiſſe viro alioquin intemeratę fidei, virum quendam ſex menſium ſpatio nihil prorſus egeſſiſſe. Pari quoque pacto per tres, vel quatuor dies impunè, & abſque febre retinetur & vrina; Referam & hìc admirandas hiſtorias. Paucos ante menſes mulier quædam Senenſis non ſine ſanctitatis fama apud Sancti Iacobi Incurabilium Noſocomium viginti ſeptem dierum ſpatio nihil prorſus minxit, teſte oculato D. Angelo Colio Medico olim in Vrbe ſapientiſſimo; nec tamen vel in febrem, vel in hydropem vrinarium funeſtiſſimum incidit; Virgo alia Romana, quæ Epilepticis accidentibus erat obnoxia, idem ferè dierum ſpatium tranſegit abſque vri-

na,

na; sed violento pharmaco ex elaterio, scammonio, & gallia moscata à me præscripto, tandem minxit post magnum animi deliquium.

Contrà verò solo gelidæ aquæ balneo vel etiam breuissimo tempore adhibito rigorificæ inuadunt febres. Magnus ille Alexander, vt Quintus Curtius narrat, quòd in algidissimum flumen exilijsset, in totius corporis rigorem, ac penè funestam distentionem incidit. Heurnius 5. Aphorismor. pari ratione scribit, vidisse Parisijs celebrem natatorem, qui cùm bis flumen tranasset, tertiò perijt in medijs aquis. Ita est profectò: frigus est interitus, calor est vita; frigidum vitali auræ insidiatur semper, calore spiritus resouentur, reficiuntur. Hinc apud Priscos Romanos Vestales Virgines religiosè ignem custodiebant, quem Persæ adorabant insuper.

ANTITHESIS.

SEd quinto Aphorismorum 25. toto cælo dissidentem sententiam ἀδιάσκαλος ipse Cous proponit his verbis: *Verùm articulorum dolores vlceris expertes, & podagrica, & conuulsiones, horum sanè plurima frigida copiosè affusa mitigat, leuat, & adæquat, atque ita dolorem sedat*. Porrò tam difficilis visa est antiquis huiusmodi sententia, vt plurimi à Præceptore desciuerint, & maximè Paulus Aeginas, Cælius Aurelianus, Cornelius Celsus, & reliqui omnes, qui nō benè intelligunt, qua ratione conuulsio quæ à frigida pendet causa, frigidis curari valeat. Omnes quippe Auctores in eius curatione ad calidissima confugiunt, vel etiam ad piper, castoreum, & similia; quin ipsemet Hippocrates in conuulsionibus curandis, vt alibi ostendimus, vel febrem excitari, iubebat ijs verbis: *Ignem fac*; eo scilicet consilio, vt à febrili calore humor frigidus coquatur, attenuetur, ac dissipetur. Addatur, quòd in eodem quinto aphorismorum de calida verba faciens, *cutem*, aiebat, *emollit, ac crassam extenuat, dolorem sedat, tremores, itemque rigorem, spasmum, tetanum, seu distensionem mitificat*. Neque à se ipso discrepat 2. Epidemior. sect. 5. circa finem, vbi in digitorum manus conuulsione aqua vtitur calida, non frigida; hæc sunt verba: *In conuulsione digitorum manus citra febrem venam secato, si non caput doleat; sin minus, aquam calidam affundito*. Hem qualis contradictionum implexus.

Nec tamen absque valida ratione dictatum hoc prodit; fulcitur

enim cum primis fundamentis ab antiparistasi exantlatis. Natura quippe comparatum est, vt vnum contrariorum ab alterius præsentia quandoque intendatur, indeque postmodum suas operationes edat fortiores. Sic ergo dum conuulsa membra frigida multa affunduntur, natiuus illorum calor à contrario dum refugit, congregatur, vnitur, & ex vnione fortior euadit, adeò vt conuulsificam causam mox coquere, & edomare potis sit, deque toto affectu triumphare. Porrò caloris hanc intensionem ab affusa frigida per antiparistasin luculentissimis verbis insinuauit Hippocrates tum libro de humidorum vsu, tum eodem quinto aphorismorum 21. vbi hæc habet: *Quandoque verò in hac distentione sine vlcere, iuueni carnoso, media æstate multa frigidæ aquæ affusio caloris reuocationem facit*. Quid clarius? Ita ergo non raro calor frigus, frigus calorem parit, per accidens tamen; inde illud Poetæ.

Vrit montana gelu,

& primo Georgicorum.

penetrabile frigus adurit.

Mutuatus est Vates hanc doctrinam ab Aristot. tertia sectione problematum 25 vbi sic; *At nihil prohibet, rem eandem à contrarijs effici, dummodo non agatur modo eodem, sed diuerso; exempli gratia: vritur & à gelu, & à calore, vbi gelu calorem cöegit vniuersum, itaq; modo quodam à contrarijs effectus proficiscitur idem, & modo quodam non nisi idem producitur.*

SYNCATATHESIS.

PVgnantium textuum conciliatio ex his, quæ proximè diximus, eliciatur. Etenim in libello de humidorum vsu de frigida loquitur, vt per se immediatè agit, vtque frigoris aptus est producere effectus, vtpote partis, in quam agit, calorem superare, & extinguere. In aphorismis verò de frigida intelligit, vt potest antiparistasim producere, atque adeò caliditatem natiuam cogere, & adaugere, coacta verò, & adaucta, conuulsionis materiam coquere, ac dissipare; hinc meritò Hippocrates post ea verba: *Iuueni carnoso media æstate, multa frigidæ aquæ affusio &c.* statim subiungit: *huiusmodi autem hæc calor facit*: quare conuulsionis curationem calori acceptam refert à frigida per accidens cumulato; vt enim supra ex Aristotele dicebatur: *vritur & à gelu, & à calore, vbi gelu calorem cöegit vniuersum*. Atque idipsum significasse, arbitror Hippocratem 6. Epidemiorum sect. 5. cùm scripsit. *Frigidum*

gidum & auxiliatur, & tollit quacunque à calido; auxiliatur nimirum dum caloris vim haud vincit, sed per antiparistasim potius auget, eo quia qualitatis intensione par est, aut paulò virtute inferius: tollit autem cùm adeò viribus, actione præpollet, vt de calido triumphet; quamobrem frigidæ aquæ affusio in conuulsione in ea esse debet mensura, eaque ad conuulsi membri caliditatem proportione, vt illam non extinguere, sed cogere, & intendere debeat.

ANTIPHΩNIA XIII.

In aurium dolore emetica, an deiectoria conferant.

THESIS.

Libro de affectionibus num. 3. in aurium dolore vomitum commendat his verbis: *Si in aures inciderit dolor, conducit multa calida lauare, & auribus fomentum adhibere, & si quidem ad hæc cesserit pituita de capite attenuata, & dolor cessauerit, sufficiunt hæc; sin minùs, optimum omnium pharmacum fuerit, quod potu exhibitum sursum pituitam purgat.*

Suaderi autem potest catholico illo dogmate ex quarto Aphorismor. 18. *Dolores supra septum transuersum, qui purgatione opus habent, sursum versus purgationem exigunt.* Quod præceptum libro de locis in homine num. 55. repetit ijs verbis: *Caterùm morbi ea parte, qua proximi sunt, educendi sunt, & qua parte singulis exitus quàm proximus est, extrahendi.* Insuper cùm auris in capite collocetur, & à cerebro fluxionem patiatur, ex eo vomitus apprimè conducit, cùm eodem libro de locis in homine 47. legatur: *Fluxione ex capite fluente, vomitus conducit.*

ANTITHESIS.

Libro de locis in homine num. 20. in auris dolore, vt purgationem per infernas partes commendat, ita & vomitum damnat; sunt hæc verba: *Si verò per hoc dolor non sedetur, frigefacientia à natura frigida infundantur, & medicamentum potan-*

dum præbeatur, quod secessum deorsum faciat, sursum autem non; quandoquidem vomitus non auxiliatur. Comprobatur ex septimo Epidemiorum 6. in Cydij filij historia, cui dextram aurem dolenti Hippocrates non semel, sed bis etiam mercurialis succum propinauit ad infernam purgationem. Historiam non affero, quoniam nimium est prolixa, tute ipse apud Hippocratem perlege.

Neque sanè præceptum ab re erit; nam per loca magis distantia noxius humor faciens dolorem reuocabitur, & educetur simul; in doloribus enim reuulsionem, quæ per distantes partes celebratur, primum locum obtinere, vnicuique in confesso est. Hinc prænuncupato textu de locis in homine ad ipsum auris dolorem cucurbitam oppositæ parti affigendam probabat: *Et retrò cucurbita medica affigenda, si sinistra auris doluerit, ad dextram, sin dextra, ad sinistram.*

SYNCATATHESIS.

SEntentiarum sic discrepantium proxenetam agat primò Prosper Martianus Hippocratis æquus interpres: Sic ergo in annotationibus libri de affectionibus, vbi de aurium dolore: *Huius autem curationis diuersitas à natura humoris morbum efficientis omnino dependet. Si enim calidus, & tenuis fuerit, vomitus non conducit, quia cùm huiusmodi humor in partibus inferioribus sedem habeat, vbi generatur; verbi gratia in hepate, à quo ad caput ascendit, vomitu inducto, eiusdem ascensus facilitatur, vnde ad partes superiores maiori impetu fertur; his accedit eiusdem leuitas, cuius natura est sursum ferri magis, quàm deorsum. E contrà verò materia frigida existente; quia hæc in partibus superioribus sedem habet, purgationi per inferiora non facilè cedit; nimis enim remota est via, per quam expurgatur, qua ratione sect. 4. aphor. 18. statutum est, dolores supra septum transuersum existentes, qui purgatione egent, per superiorem purgandum, significare, qui verò infra, deorsum. Materia igitur frigida, & pituita in cerebro peccante, vomitus præferendus est, nec timenda est ex vomitus violentia capitis repletio, quia cùm materia sit crassa, non facilè ad superiora eleuatur. Hæc igitur considerans Hippocrates lib. de locis in homine, facto de humoris peccantis natura periculo per medicamenta calida auribus imposita, materiamque calidam esse, certior factus, damnauit vomitum, purgationemque per inferiora faciendam, iussit. Hoc autem in loco, quia pituitam peccare, supponit, vomitum magis probat; vt non satis admiranda veniat Hip-*

pocratis diligentia, qui omnia necessaria adeò ingeniosè distinxit contra recentiorum incuriam, qui nec humoris peccantis, nec læse partis rationem habentes, purgationes perpetuò per inferiora moliuntur.

Præclara nimirum doctrina hæc, & Martiano digna, sed breuiorem, ac magis genuinam conciliationem ipse adducam. Libro de affectionibus in aurium dolore Hippocrates vomitum probat, vt qui plerunque, ac ferè semper capitis rheumatismo, vt libro de locis in homine scripserat, opitulatur. Cæterùm infernam deiectionem in otalgia libro de locis in homine tunc solùm commendat, cùm vomitus nequicquam profecit. Etenim eo loci Hippocrates monet, oportere non sanantem semper variare modum, ac periculum de contrarijs facere; cùm ergo vomitum adhibuerit, & nihil inde emolumenti accesserit, iubet, nos deorsum purgantia periclitari: perpendantur amabo verba illa: *& medicamentum potandum præbeatur, quod secessum deorsum faciat; sursum autem non; quandoquidem vomitus non auxiliatur*: quibus nimirum verbis non damnat in otalgia vomitum absolutè, sed causaliter, aut ex euentu, quòd scilicet adhibitus non profuit; quod autem in morborum curatione haud prodest, vel potius officit, immutandum esse consulit: *& si quidem peius reddiderit malum, ad contrarium te conuerte*; quod Hippocrati fœliciter cessit, qui cùm frustra calida omnia auribus indidisset, frigida non infaustè expertus fuit; vnde fortassis 2. Epidemior. sect. 5. præceptum illud edidit: *Si auris doleat, lacte vtatur.*

ANTIPHΩNIA XIV.

In Ophtalmia pharmacum an conueniat.

THESIS.

SExto aphorismorum trigesimo primo legislator noster hæc habet: *Dolores oculorum vini potus, vel balneum, aut fotus, vel phlebotomia, vel pharmacia soluit*. Pro causarum nimirum diuersitate hoc, vel illo potius vti debemus præsidio, modò videlicet pharmacia, modò phlebotomia, aliàs fotu tantum, vino aliàs, ac balneo.

Eandem Sententiam quoad purgationẽ eodem sexto aphorismorum confirmat his verbis: *Ophtalmia laborantem alui fluxu corripi, bonum*. Quòd si spontè aluina hæc fluxio non superueniat, fas erit artificiosè moliri: Galenus enim in hius aphorismi commentario analogismo vsus aiebat, quòd si spontanea prodest purgatio, vbi hæc deficit, licebit artificiosè moliri: ipsum audias loquentem: *est autem & hoc exemplum vnum eorum, quæ spontè, & vtiliter euacuantur, quod medicum imitari oportet, & proculdubio sic etiam omnes faciunt in lippitudinibus aluum, & clysteribus, & purgationibus subducentes*. Id quod apertis verbis libello de visu ab Hippocrate ita præcipitur. *Ad lippitudinem annuam, ac popularem conducit purgatio capitis, & ventris inferni*.

Cæterùm dictata hæc ratione, & experimento non carent. Ratione quidem, quoniam oculorum dolores, & inflammationes ab acerrimis succis, & salsis cùm proueniant, opportunum, & analogum pharmacum si propinetur, illi non modò reuelluntur ab oculis, verùm educuntur etiam, quo consilio specifica quædam fuerunt à veteribus descripta medicamenta cathartica, vtpote pillulæ lucis maiores, lucis minores, aggregatiuæ, & similia. Atqui reuulsis, & euacuatis, qui in vitio sunt humoribus, affluxus, indeque dolor, & inflammatio discedent.

Pro experimento verò est communis Practicantium consuetudo, qui in ophtalmicis affectibus purgans aliquod medicamentum statim, nec inauspicatò propinant.

AN-

ANTITHESIS.

SI hæc ita se habent, cur longè aliam doctrinam exarauit primò Prædictionum num. 9. verba sunt illa: *qui oculum ferocem, aut clausum habent, eos medicamentis purgare non oportet.* Clausi oculi nomine intelligit Hippocrates chimosim, in qua ob phlegmonem ingentem intra palpebram suam oculus occulitur, ferocis verò titulo taraxim indigitat, hoc est oculum vndiq; sanguine respersum, & inflammatum, qualis in vera, & legitima ophtalmia apparet, vtque solent eorum deprehendi, qui magna animi ferocitate, ingentique ira citantur, vt enim in metamorphosi Ouidius.

Feruens oculis dabat ira ruborem.

Quippe hi truculenter nictant, vel obtutu defixi hærent, aut etiam turgentes è proprijs orbibus exilire videntur; & quoniam instar cruentatæ feræ, atque trucis anguis intuitus micant, ferox propterea, nec immeritò, inflammatus oculus nuncupatur; hinc 3. de Arte amandi Sulmonensis idem.

Lumina Gorgoneo sæuiùs angue micant.

Ferocem hunc eundem oculum sexto epidem. sect. 2. vocat Hippocrates audacem, & solet in febribus apparere; inquit enim:

Oculi audacia delirium portendit.

quandocunque enim putridi, biliosique succi in febribus fit ad caput anadrome, oculi priùs id representant; hi enim tanquam specula peccantium humorum idola referunt, vt verum sit omnino, quod ab eodem Hippocr. præcitato epidemiωn lib. traditur: *Oculi prout validi fuerint, ita & totum corpus.* Nō ergo mirum, si phrenesim imminentem oculus rubro, obscuro fixo, & inconniuente intuitu, qui audax non impropriè dicitur, præsagiat. Cæterùm libello de visu in oculorum affectionibus Præceptor phlebotomiam improbat, & purgationem commendat; ait enim num. 1. *confert autem huic capitis purgatio, & capitis vstio; sanguinem verò his detrahere non conducit.*

Antithesi huic nec sua fundamenta desunt; Primum esto; quoniam in ophthalmia sanguis, non cacochymia peccare videtur; quod satis liquidò precrebescit ex rubore, inflammatione, & oculorum cruentatione. Igitur sanguis potius mittendus erit, quàm purgandum. Et huc recta collimat illud 21. libri de morbis popularibus sect. 6. *Anginam, & lippitudinem soluit venæ sectio.* Præ-

terea

terea purgantia quæque medicamenta humores turbant, fundunt, agitant; quare si pars aliqua imbecillis, & vel phlegmone, vel dolore occupata fuerit, humorum alluuiem protinus excipiet, vnde morbus exasperabitur. Enimuerò, quòd medicamenta purgantia humores exagitẽt, tam certum est, quàm quod certissimum; siquidem ob hanc rationem Hippocrates passim purgationem turbationis nomine vocitare solet; quòd verò pars læsa, & imbecillis facilè excrementa admittat, docet non vno in loco Hippocrates, & iuge experimentum suadet; & est omnibus decantatum, in humani corporis partium œconomia id contingere, quod in olygarchia solet, in qua nimirum primates minus potentes opprimunt: diuites pauperibus imponunt: dynastæ plebeios conculcant. Demum, quòd à medicamentis catharticis humorum fluxiones & accersantur, & irritentur, docet melior auctorum schola, qui propterea in arthritidis initio purgantia medicamenta exhiberi, detrectant, vt quæ fluxionem augere, dolores acuere, artusque ampliùs, & veluti compedibus vincire soleant. Cùm illustrissimo cuidam viro Ferrariensi articulorum doloribus vexari consueto, ac plurimum instanti medicamentum catharticum olim inuitò propinassem, vsque adeò cruciatus inualuit, adeò exagitatus est fluens humor, vt omnes artus, membraque omnia occupauerit, & podagra in contumacem arthritidem abierit, nec nisi multo labore, plurimisque auxilijs pristino statui ipsum restituere valuerim.

SYNCATATHESIS.

PRo pugnantium sententiarum omonia hoc vnum præludendum erit, quòd nimirum ophtalmia, taraxis, dolor, aliave oculorũpassio vel est à rheumatismo, vel à synathrismo, hoc est aut ab affluxu, aut à congestione: quandocunq; à rheumatismo contingit, quoniam aliunde, vel scilicet à capite, vel à subiectis visceribus, ac toto corpore humores affluunt, & caput, & vniuersum corpus ab ea colluuie purgare fas erit; & sic intelligendus erit contextus ille in libello de visu: *Ad lippitudinem annuam, & popularem conducit purgatio capitis, & ventris inferni*. Nempe lippitudo annua perennem indicat fomitem vel ab humorum impuritate, vel à capitis, & corporis vniuersi cacochymia, quare purgationis vndique emergunt scopi; sanguis autem non nisi cùm plethoria viget, mittendus erit, iuxta eiusdem Hippocratis consilium eodem in loco, vbi subdit: *Ad quosdam etiam huiusmodi dolores sanguinis*

guinis detractio confert, si corpus sanguine redundet. Quando verò per synathrismum existit, tantum abest, vt medicamenta purgantia quicquid prosint, vt potius manifestè lædant, eo quod oculos debiliores præstent; præ imbecillitate verò vel proprium alimentum deinceps in malum succum illi conuertant.

Rursus neque erit ab re, si dicamus, quòd oculorum passio à sola capitis intemperie, ac plenitudine oriunda, medicamento purgante irritetur magis, quòd fluentis inde humoris maior pars in oculos irruat: cerebrum namque oculis etiam tanquam emunctorijs ad sui repurgationem non rarò vtitur, qui si malè affecti fuerint, colluuiem promptiùs excipient. At vbi malum à subiectis visceribus, & ventris impuritate exoritur, tutum erit pharmacia vti.

Insuper nec malè quis opinabitur, si dicat, Hippocratem in aphorismis de hypellatis, leuioribusq; medicamentis verba fecisse, nec non de spontanea potius diarrhœa, quam artefacta; in prædictionibus verò de fortibus, atque elaterijs, quæ cùm acria sint, & apprimè calida, oculis magnopere infensant.

Dabo tandem auctarium. Hippocrates in Prædictionibus de oculi ferocitate loquitur, quæ in acutis febribus ob sanguinis biliosi anadromen contingit, nec non mentis emotionem præsagit iuxta prænotionem illam: *oculi rubri delirium portendunt*; in his autem purgans medicamentum reprobatur palàm primo de locis in homine, cùm dicitur: *Febricitanti caput ne purgato, ne furiosus fiat; calefaciunt enim caput pharmaca purgatiua, & sanè ad caliditatem febrilem accedens ea, quæ in medicamento est, insaniam facit*. Quoad auctoritatem illam ex libro de visu excerptam, respondeas, ibi Hippocratem de quadam oculorum affectione loqui longè diuersa à lippitudine, nempe de corruptione, in qua oculi ipsi cærulei illico euadunt; audiamus ipsum: *Oculorum acies corrumpuntur, quæ spontè quidem, & de repentè cæruleæ existunt, quod cùm euenerit, eiusmodi non curantur*.

ANTI-

ANTIPHΩNIA XV.

Tabidi per superiora, an per inferiora purgari debeant.

THESIS.

QVarto Aphorismorum 8. Magister tabidos nulla ratione per superiora purgandos esse, monet; verba sunt. *Sed tabidorum ratio est habenda, ne purgationem ijs per superiora vnquam moliendam, putes.*

Thesim hanc suadet & ratio; nam indicatio, quæ à peculiari affectione exantlatur, præualet ei, quæ ab humorum conditione sumitur: hinc hystericæ mulieri, quamuis asthmate diuexetur, oximel, quod hystericis apprimè est infensum, nequaquam est præscribendum: quemadmodum neque & lientericis, si pariter asthmatici fuerint, oximel idem offerri fas erit, quoniam eo coeliaca passio plurimùm exasperatur. Adde his, quòd à vomitu pulmones dilaniantur, eorumque propterea vlcus refricari, ac dilatari, contingit; quare & Cornelius Celsus lib. 3. cap. 22. dixerat, vomitum in tabe perniciosum esse.

ANTITHESIS.

AT 2. de morbis num. 46. in tabe veratrum ad vomitum commendat; audiamus ipsum: *Si verò à principio morbus obtigerit, lenticulæ decoctum bibendum dato. Deinde, interposita vna die, veratrum dato temperatum, vt ne aluum infernam moueat.* Quinimò adeò solum vomitum in tabidis probare videtur Hippocrates, vt statim subiungat: *Pharmacum autem nullum deorsum purgans dato.* Et si tertio de morbis (liceat vti analogismo) num. 17. Hippocrates in pleuritide album commendat veratrum ad vomitum, non videtur maior ratio, cur etiam in phtysi idem ad vomitum exhiberi non debeat; audiamus ipsum: *Oportet igitur, & infernam aluum neque valdè suppressam esse, vt ne febres sint acutæ, neque valde egerere, quò saliua sursum educi valeat, & æger viribus valeat. At medicamenta sursum educentia sexta, & septima, ac*

nona

nona die, & morbo adhuc vlteriùs progreßo, magis exhibeto. Sit autem medicamentum veratrum album. Ita pariter libro de internis affectionibus num. 7. in peripneumonia vomitum excitandum, suadet melle, lacte, aceto, & aqua in olla mixtis, ac tepefactis: si placet audiatis: *Huic cùm sic habuerit, & tempestiuum esse visum fuerit, curationem sic adhibeto. Mel, & lac, & acetum, & aquam mixta in ollam infusa tepefacito, & origani capitati ramulis agitato: vbi verò tepida facta fuerint, bibenda dato, aut apprehensa lingua, sensim per fistulam infundito. Deinde conuolutum quietem habere, iubeto. Postea si vomitus succedat, promptè vomat; si verò non succedat, irritatione per pennam facta, vomat: & si quid pituitæ vomuerit, per dies quinque idem facito, hinc enim leuior euadet.*

Confirmat adhuc libro de internis affectionibus, vbi post quàm tabem à capitis rheumatismo oriundam descripsit, hæc habet: *Et primùm quidem veratrum bibendum dare, infra autem subpurgare epithymo, aut peplio, aut grano cnidio, aut tithimalide;* inde subiunxit: *Hæc quatuor in anno dare oportet sursum bis, deorsum bis.* Quo in loco geminata contradictio obseruanda erit, quandoquidem supra libro de morbis purgationem per aluum omnino reprobat, quemadmodum & in aphorismis tabidos alui fluxu corripi, malum esse, pronunciauit.

Diocles apud Cælium Aurelianum in his Hippocrati subscribit, siquidem phthisicis vomitum præscribit. Nec sanè rationes desunt, quippe eodem Hippocrate arbitro libro de locis in homine, vomitus destillationibus à capite prodest; & libro de vict. ration. in acut. 56. luculentiùs: *Veratrum dare his oportet, quibus à capite fluxio fertur:* Iam phthisis, de qua hic Hippocrates verba facit, est à ferina destilatione oriunda, vt ab eius verbis palàm elucescit. Adde, quòd materia à capite fluens siue sursum, siue deorsum deturbetur, ne ad pulmones ruat reuelletur.

SYNCATATHESIS.

SI vlla vnquam in Hippocratis verbis antiphasis mihi negotium facessit, hæc vtique maximè (fateor) ingenium præstrinxit. Dicam igitur, Hippocratem in aphorismis de consummata tabe verba facere, in qua cùm vlcus sit conspicuum, pulmones languidi, totumque pectus imbecille, ac virtutum omnium lapsus, vomitus his omnibus infensus erit, summamque augebit calamitatem. In libro verò de internis affectionibus de tabe

tabe vel imminente, vel incipiente effari, in qua præsentaneum est auxilium reuellere, ac deriuare à pulmonibus; quod vomitu consequimur, qui, vt sæpius dictum ex Hippocrate, capiti, vnde serina destillatio ad pulmones, consulit.

Quòd autem Præceptor purgationem duntaxat in inchoante phthisi admittat, ex ipsiusmet verbis libro de morbis colligere fas est, vbi habet: *Si verò à principio morbus obtigerit*; quasi vltrà principium purgationem moliri sacrilegum sit. Quin lib. eodem de morbis è contrario consummatæ phthiseos curationem prorsus abiurat; inquit enim: *Hunc, vbi ita habuerit, ne curato; si verò à principio &c.*

Probat præterea icircò veratrum ad vomendum Hippocrates, quoniam, teste Plinio, tussi veteri medetur, quæ tabis est comes inseparabilis, & sæpè etiam causa, primumque principium. Si fortè quæras, cur vno in loco purgationem infernam Præceptor damnet, in alio verò admittat, respondeam, tabis speciem multiplicem esse, indeque accidere, vt pro varia eiusdem natura medicamenta nunc emetica, nunc deiectoria, nunc vtraque locum habeant; & his Hippocrates vtitur in tabe chronica, quæ nimirum tres annos, vel nouem, vt ipse habet, perdurat: est autem tabes chronica, vt Vallesius 1. Epidemior. 3. scribit, quæ non fit ex morbo acuto, vtpote pleuritide, peripneumonia, aliave viscerum inflammatione, quæ quatuor mensium spatio interimit, sed quæ à principio fit, & ad minus annum integrum perdurat.

ANTI-

ANTIPHΩNIA XVI.

Melancholici per vomitum, an per secessum sint purgandi.

THESIS.

QVarto Aphorismorum nono Asclepias noster melancholicos per infernas regiones purgandos esse, monet; verba sunt: *Etenim melancholicos liberaliùs, pleniùsque per inferiora purgabis, eadem ratione contraria adhibebis.*

Est autem id non sine ratione dictatum; siquidem cùm sit melancholia humor grauis, ac terreus, κάτω magis viam affectat proprio depressa pondere; si ergo quò natura vergit, eò ducere expedit, per deiectoria promptiùs, aptiùsque, quàm per emetica, melancholici succi deturbandi erunt. Addam & aliam nihil minùs plausibilem rationem, & est nimirum, quòd melancholico temperamento præditi ægrè vomunt; nam acidus ille, ponticusque humor ventriculum plerunque astringit, roboratque, facitque, vt alimentum vsque ad exactam coctionem retineatur; quin etiam fibræ obliquæ in melancholicis fortiores existunt, atque adeo suo retinendi munere validiùs funguntur: Atqui ægrè vomentes quarto eodem aphorismorum palàm ab emeticis reuocat.

ANTITHESIS.

INterim libro de affectionibus numero 19. eos, qui detinentur quartana (quæ soboles est melancholiæ) vomitu purgandos esse, iubet; sunt hæc verba: *Si verò quartana apprehenderit, si quidem impurgatus fuerit, primum caput purgato, & interpositis tribus, aut quatuor diebus, pharmacum sursum versus purgans dato.*

Porrò quòd caput priùs purgari debeat, vt quod apud Hippocratem omnium morborum aut causa, aut fomes existit, nihil mirum; cur verò emetico pharmaco sit purgandum, illa videtur ratio, quòd in melancholicis, & ijs, qui correpti sunt quartana, pituitæ, crudorumque humorum in ventriculo stabulantium alluuies ingens reperiatur, in diesque augeatur: Expianda itaque il-

la

la erit per proximum ventrem, vt loquitur Hippocrates. Profectò in melancholicis omnibus morbis, quòd naturalis facultas langueat, calorque functionum promus reddatur effoetus, non pituita solum, verùm & serum, ichoresque affluenter aggenerantur, qui à melancholico succo nimis videntur alieni; vnde fit etiam quòd vberrimi sudores in quartana erumpunt, quibus insuper aliquando eandem iudicari, probat historia Hippostrati vxoris 2. Epidemior. sect. 3. vbi sic: *quod Hippostrati vxori ex annua quartana tumebat, cùm subfrigida palàm esse videretur, impetus in totum corpus, & sudor; ita iudicata est.*

SYNCATATHESIS.

QVarto aphorismorum Medicorum Tribunus per infernas partes melancholicos expurgandos esse, iure statuit, si nimirum melancholia ipsa debeat expurgari, quæ natura sua deorsum, vt diximus, viam affectat. At in libro de affectionibus quartana detentos haud statim purgat eo consilio, vt humor immediatè faciens quartanam educatur; sed pituitæ colluuiem in capite stabulantis, & cruditatum sarcinam, quæ ventriculo infensat, priùs deturbare intendit, quod manifestè ex verbis ipsis colligitur; nam vbi priùs caput, & inde ventriculum per vomitum expiauit, tunc purgationem deorsum admittit, quod ex illis verbis fit palàm: *& interpositis diebus, rursum aliud deorsum purgans dato in ipsa apprehensione.* Nimirum cùm humor melancholicus non, ita citò coquatur, ideò est, quòd nec ita citò repurgari potest, iuxta decantatum Hippocratis oraculum; quamobrem purgationes, quas primis diebus Hippocrates molitur, nō ad melancholiam, sed ad alios comitantes humores diriguntur; vnde fit quòd primæ illæ purgationes diebus certis definiuntur, ac limitantur; ait enim: *primùm caput purgato, & interpositis tribus, aut quatuor diebus, pharmacum sursum versus purgans dato in ipsa apprehensione.* At cùm pharmacum deorsum purgans, quod melancholiam ipsam respicit, proponit, dies nequaquam præscribit, sed solum ait: *& interpositis diebus*; quasi id medici arbitrio committat pepasmi signa percepturi. Vis adhuc auctarium? Hippocrates quarto illo aphorismorum haudquaquam scribit, melancholicos absolutè purgandos non esse per superiora, sed liberaliùs, pleniùsq; per inferiora expiandos, quod græca voce ἁδροτέρως significatur; si ergo pleniùs per inferna purgare expedit, minùs plenè licebit per superna.

ANTI-

ANTIPHΩNIA XVII.

Splenicis an conducat lac, & serum.

THESIS.

Libro secundo de morbis num. quinquagesimotertio magnus medicinæ Dictator & sero, & lacti lienosos interdicit his verbis: *Splenicum ne purges neque succis, neque lacte, neque sero, sed eo, quod modicum ingestum multum educet, purgabis.* Confirmat 2. de morbis muliebribus num. 12. vbi de mulieris quodam fluxu veluti ex ouo crudo luteo verba faciens, post multa hæc habet: *Si verò natura fuerit lienosa, aut flatuosa, & exanguis, neque lac bibat, sed purgantibus infernè purgato.* Rursus eodem 2. de morbis mulierum num. 17. vteri descensum curaturus, hæc scribit: *Cùm verò deorsum tracti fuerint, abominanda subter suffito; sub nares autem odorata. Si verò dolores quieuerint, pharmacum deorsum purgans bibendum dato, & postea lac asininum, aut serum bibendum præbeto, si non lienosa fuerit à natiuitate, aut exanguis, aut decolor, aut aurium sonitus habuerit &c.*

Suadet idipsum & ratio; nam nil magis & parit, & auget lienis obstructionem, quàm lac caseosa præsertim portione. Quod in historia Apollinis 3. Epidemior. sect. 3. expressè ratum habemus; ille enim, *cùm magnis esset visceribus, lacticinijs vsus coctis, & crudis multis, caprinis, & ouinis, & victu prauo, omnium læsiones magnæ.*

ANTITHESIS.

Libro de internis affectionibus num. 35. Præceptor idem de splenis morbis loquens, hæc tradidit: *Et postera die etiam lactis equini cocti octo heminas dato melle affuso; si verò hoc non adsit, bubuli, aut caprini cocti duos congios præbeto, ita vt alternatiuè mel in poculum immisceatur, & vicissim bibantur;* & paulò infra: *reliquis autem diebus ieiuno lactis bubuli quatuor heminas datò, tertia muriæ parte admixta.* Rursus 2. de morbis num. 35. vbi nigri icteri curationem adducit, hæc habet: *Deinde pharmacum deorsum purgans bibendum dato, & si splenicus fuerit, asininum lac, aut serum postea exhibeto.*

Neque rationes desunt, quæ præceptum hoc suadere possint; siquidem lac huiusmodi vberrimo poculo propinatum viscera, lienemque maximè abluere valet, atros humores non minùs temperare, quàm deturbare, excrementa quoque omnia sero deducere, atq; adeò splenem vel abstergendo, vel diluendo imminuere.

SYNCATATHESIS.

IN libro de morb. muliebribus de ijs, quæ sunt à natura lienosæ, verba facit, quod ex verbis illis palàm colligitur: ἦσιν ἐθάδες ἀπὸ νεότητος αἱ νοῦσοι; hoc est: quibus familiaritate quadam à iuuentute morbi consueti facti fuerint; & in alio textu: *si verò natura fuerit lienosa*; quemadmodum etiam 2. illo de morbis de lienosis à natiuitate loquitur; quod palàm fit verbis illis: *Huic pharmacum deorsum purgans bibendum dato, & lac asininum insuper bibendum, si non natura fuerit splenicus*. Etenim propter genuinam lienis imbecillitatem nequeunt lienosi lactis, & seri eximiam illam copiam admittere, quæ purgationis gratia ad multas heminas hauriri solet. In libro verò de internis affectionibus lienosos intelligit, quibus vel ex malo victu, vel alia quapiam extrinseca occasione viscus intumuit, adeò vt primigenium suum robur maiori ex parte seruet adhuc, ideòque repurgari potius, quàm attolli ex lacte poterit.

Cæterùm in libro de internis affectionibus Hippocrates lac non in omni splenico affectu probat (recenset enim ibi quinque splenis morbos), sed in illo præcipuè, qui fit à sanguine, splenem replente, ac dolorem, caliditatem, atque vlcuscula, nec non dysenteriam in corpore parit; quare ad hunc debellandum & sanguinis missionem, & lactis vberem haustum commendat; expendantur amabo verba: *Alius splenis morbus fit in anno veris maximè tempore, verùm à sanguine; quum enim repletus fuerit splen sanguine, erumpit in ventrem, & dolores acuti in splenem incidunt, & in mammam, & in clauiculam, & in humerum, & sub scapulam. Color autem corporis est plumbiformis, & parua vlcuscula velut lancinata in tibijs exurgunt, ex quibus vlcera magna fiunt, & quæ primùm infra secedunt, sanguinolenta sunt, & æruginosa, & venter durus subit, & splen velut lapis est. Hic morbus magis letalis est, quàm priores, & ex ipso pauci effugiunt. Hunc quum sic habuerit, iisdem purgato, quibus & priorem; verumtamen pharmacum sursum purgans ne dederis; deorsum verò granum cnidium exhibeto, & postera die etiam lactis*

equini

equini cocti octo heminas dato, melle affuso; si verò hoc non adsit, bubuli, aut caprini cocti duos congios præbeto. Sed interim obseruandum, non simplex exhiberi equinum lac ab Hippocrate, sed melle affuso, quomodo cùm longè magis deiectorium reddatur, nequaquam in ventre morabitur tandiu, vt queat à liene trahi, vnde mox intumescat. Ita & alibi vel muria admixtum propinat, *quæ salis effectus præbet, abstergitque*, vt Dioscorides lib. 5. edocet, vel post pharmacum exhibet, quo præuio exit liberiùs, effluitque, nec moram faciens tumefacto lieni addere potest.

Adde his pro corollide, laudari in lienosis lac equinum, quòd nulla sit imbutum crassitie, sed tenuissimum existat; illud enim in arcanis Naturæ repositum est, animalia scilicet vtrinque dentata tenuius, & minùs caseosum lac producere, vt mulierem, equam, camelam, asinam; quæ verò in vna duntaxat maxilla dentes ferunt, lac gignere crassius, vt bouem, capram, & similia; & hinc est quod 2. de Diæta num. 6. lac equinum, aut asininum magis secedere, Præceptor idem docuerat.

ANTIPHΩNIA XVIII.

Lienosis vomitus an vtilis.

THESIS.

LIbro de affectionibus num. 21. Præceptor in lienis affectibus vomitum probat his verbis: *Si verò purgatione non egeant, victus ratio constituenda est, ita vt pituitosis corpus resiccemus, & attenuemus cibis, & potibus, & vomitibus, & exercitijs plurimis, & deambulationibus: & in vere sursum per veratrum purgentur.*

Huic thesi ancillatur ratio; nam vomitus corpus resiccat, neque sinit, crudos, ac pituitosos succos à splene prolectari, qui natura sua humores aqueos, & fluxiles è ventriculo auidè exugit, & inflatur, vt alibi, ac præcipuè libro de morbis mulierum, & quarto de morbis edisserit Hippocrates. Enimverò verissimum est, humorum fontem esse ventriculum, qui visceribus, reliquisque corporis partibus distribuit, cùm affluit, at si ipse egeat, repetit à singulis, & *corpore fruitur colliquescente*, vt Hippocrates ait libro quarto de morbis: exinanitus ergo per vomitum è liene deducet, & eo gracilescente fruetur, & sic obstructioni detrahetur. Cæterùm lien ipse non ægrè per vomitum repurgari potest, quando eius humores per vas illud splenicum satis insigne, breue nuncupatum, commodè, & facilè ad ventriculum excurrere valent.

ANTITHESIS.

ATqui aliter sentit quarto de morbis num. 9. vbi hæc expressè exarata leguntur: *Assero autem, vbi homo bibit ampliùs, & corpus, & splenem aquam in se ipsa trahere ex ventriculo, & si plus traxerint, quàm oportet, statim hominem affligi: atque hoc ita fieri, intelligunt quicunque homines splenici existunt. Postquàm autem traxit splen, optimum est, si vetus aqua, quæ in splene inerat, ad vesicam, aut ventriculum excoletur, & per hæc expellatur: nam per supernas regiones non purgatur aqua de splene.* Confirmat libro de affectionibus num. 33. vbi purgationem per infernam regionem tantùm in lienosis commendat his verbis: *Huic, cùm sic habuerit, veratrum purgans deorsum bibendum dato, & cni-*

dio cocco subpurgato; & num. 35. eiusdem libri luculentiùs adhuc inquit: *Hunc, cùm sic habuerit, iisdem purgato, quibus & priorem; verumtamen pharmacum sursum purgans ne dederis, deorsum verò granum cnidium exhibeto*. Addit sententiæ robur Anaxenoris in Abderis historia apud Hippocratem 7. Epidemiorum num. centesimotertio; ibi enim, cùm lienosus ille esset, per inferna purgationem probat, nam ita habet ad calcem: *subpurgatus autem est priùs*: super quæ verba, ita Vallesius: *Rectè sanè, quandoquidem lien nulli euacuationi magis cedit, quàm alui subductioni*.

Astipulatur quoque ratio; siquidem lienis affectus ab atro succo, terreo, & melancholico sobolescit; is autem inauspicatò per superiora purgatur iuxta extritam quarti aphorismorum doctrinam aphorismo nono: *Etenim melancholicos liberaliùs, pleniùsque per inferiora purgabis*.

SYNCATATHESIS.

IN libro de affectionibus obstructi lienis antecedentem causam, nempe totius corporis habitum pituitosum Hippocrates respexit; quod verbis illis manifestissimè ostenditur: *victus ratio constituenda est, ita vt pituitosis corpus resiccemus, & attenuemus cibis, & potibus, & vomitibus*. Vomitus autem non intelligit eos, qui emeticis pharmacis ad vniuersi corporis expurgationem celebrari solent, verùm illos, qui à cibo, nullo assumpto medicamento, fieri consueuere: hi namque exiccant, tum quia crudam, ac pituitosam ventriculi colluuiem eximunt, cùm etiam, quia suo alimento defraudatus calor, pabuloque illo, quo iucundè fruitur, ad superuacaneos humores excoquendos se conuertit. Et quoniam verno tempore plurimùm solent pituitosa excrementa exuberare, quòd tunc temporis soluantur, atque defluant (hyeme namque velut glaciata consistunt) vult iccircò, veratrum in vere propinari, vt vniuersalis totius corporis expiatio fiat, atque adeò ne ad lienem crudi, & impuri succi præcipites ruant, valida reuulsione praecaueatur. Idque eò rationabilius fit, quò lienosi crudo semper ventriculo laborare consueuerunt, magnaque semper aquei succi copia associari solet melancholiæ, quam propterea Hippocrates lib. de morbis aquam appellat.

At quarto de morbis, & lib. de internis affectionibus de coniuncta causa malè affecti lienis intelligit, quæ cùm patentiores, ac faciliores vias, quàm infernas non habeat, iccircò per aluum

commodiùs eam repurgari, decernit: & quidem ſucci omnes, qui in liene continentur, vt melancholici, ac terreſtres, ad infernam regionem viam promptiùs affectant. Et licet Hippocrates dixerit, aquam per ſupernas regiones non repurgari, memoria tibi, lector, reuocandum erit, quòd aquæ nomine apud Hippocratem, vt iam iam te monitum volui, frequentiſſimè intelligitur melancholia, quam & quarto illo de morbis pariter intelligere, ſentiendum; ſiquidem melancholia, non aqua apta eſt obſtructionem efficere.

Dabo ingẽnioſis auctarium: Obſtructus lien vel ſublimè eleuari, vel deorſum inclinare, extendique poteſt; quando ſublimis fit, calor circa ſupernas partes maior percipitur, acciditque reſpirandi difficultas adhuc maior, quoniam ſeptum tranſuerſum ampliùs comprimit. At quandò fit decliuis, pedes, manus, ac genua incaleſcunt magis, naſo, & auribus frigidioribus exiſtentibus; id quod 6. Epidemior. ſect. ſecunda docuit his verbis Magiſter: *quibus ſplen eſt decliuis, pedes, & manus, & genua calida, naſus, & aures frigidæ ſemper: num propter hoc, quòd tenuis ſanguis? num & natura talem hi habent?* Iam in liene ſublimi fortè expediet magis vomitu purgare, in decliui verò deiectorio pharmaco, vt locum habeat illud Hiippocraticum dogma: *In morbis proximum ventrem purgato.*

AN-

ANTIPHΩNIA XIX.

Purgatio ictericis an conueniat.

THESIS.

IN libro de locis in homine num. quarto apertis fidibus enunciat senex, in ictero, quibusdam seruatis conditionibus, corpus purgandum esse; audiamus verba: *Icterum, siue regium morbum sic curare oportet, cùm susceperis. Nutrito & balneis, & pinguefacientibus, potibusque, ac cibis humectato per tres, aut quatuor dies: post quàm autem humectatum fuerit corpus purgato, ac resiccato ipsum &c.* Confirmat in libro de affectionibus num. 33. vbi hæc leguntur: *Morbum autem regium sic curare oportet: extrinsecùs quidem corpus molliendum est balneis calidis: aluus verò, & vesica humectanda, & vrinam cientia danda, quæ sunt præscripta.* Si verò *fortis fuerit, purgato capite, pharmacum quoddam potandum dato, quod bilem deorsum purgat.* Rursus libro de internis affectionibus, quatuor icteritiæ enumerans species, in duabus primis veratrum bibendum proponit, aliamque ventris purgationem: in tertia etiam elaterium, & alia pharmaca admittit: in quarta demum cnidium granum bibendum commendat. Ratum idipsum facit Hippocrates in Epidemijs, & alibi, vbi icterum auspicatò etiam ante septimam ijs accessisse, scribit, quibus alui turbatio superuenit, vt & nos pleniùs supra lib. 2. enarrauimus.

Probari autem thema non vnica ratione potest, & quidem primò; quoniam, cùm icterus ab effræni, & vaga bile oriatur, par est, vt cholagogo medicamento illam deturbare conemur, & ab orgasmo illo, quem ad corporis peripheriam habet, reuocare: quòd si à copia eiusdem fiat, cathartico medicamento commodè imminuetur.

Præterea, si ab obstructione icterus ortum ducat, purgans pharmacum deobstruere non ægrè poterit, humores nimirum, qui emphraxin producunt, deducendo. Quid multa? omnis cacochymia catharsi eximitur; igitur & icteritia, quæ biliosæ cacochymiæ soboles est, pharmacum postulabit. Id totum firmatur practicantium catholica pragmatia; nam ictericis rhabarbari frequentissimum vsum præscribunt omnes.

ANTITHESIS.

AT libro de victus ratione in morbis acutis aliter sentit Præceptor, longèque oppositam tradit medentibus legem; numero enim 64. eas affectiones, in quibus purgatio non conuenit enumerans, post multa hæc habet: *Et morbo regio laborantes, & quorum alui cruda eijciunt, & quibus ex naribus, aut per sedem sanguis vehementer erumpit &c. ex talibus nullum medicamento purgandum esse*. Sententiam confirmare videtur 3. de morbis 12. vbi regium quendam morbum vehementem, ac perniciosum describens, purgantis medicamenti in curatione nec verbum quidem edidit.

Rursus 5. Epidemiorum ictericorum curationem proponens textu 68. purgationis nihil meminit; sic enim ille: *Icterico laborare, sudare, panem comedere, bibere non multum, lauari caput multo, & calido, aut potius tepido, vinum album, somno non multo vti*.

Quinimò in præcitato libro, & numero de locis in homine paulò infra hæc habet; *Cæterùm medicamenta bilem ducentia ne propinato, ne corpus magis conturbes &c.* Adhuc libello de veratri vsu idem inculcat; morbos enim ibi recensens, quibus purgatio non conuenit, subdit: *Neque item morbo regio laborantibus*.

Probatur autem primò; quoniam iccircò morbus hic regius nuncupatur, quòd scilicet regijs sit curandus, non autem insuauibus medicamentis, pharmacisque perturbantibus: hinc Quintus Serenus

Regius est verò signatus nomine morbus,
Molliter hic quoniam celsa curatur in aula.

Rursus in hoc morbo maximè appetentia deijcitur, at nil magis orexiæ infensat, quàm medicamentorum purgantium vsus, quæ nauseam, vomitum, atque summam anorexiam excitant.

Preterea purgantia medicamenta, calida cùm sint iuxta id, quod scribitur quarto de morbis: *quæcunq; medicamenta purgatoria sunt aut supernè, aut infernè, aut etiam vtrunque præstant, ea hæc faciunt: omnia valde vrunt*, bilem ipsam fortè magis exaugebunt, vel saltem irritabunt, impellentque magis, tantum abest, vt effusam ad cutem bilem reuocare valeant. Sæpe enim naturæ, siue peccantis humoris impetus longè est validior, quàm cuiusque medicamenti vis aliò auocare nitentis: ita in mulieribus sanguinis ab vte-

ro ad supernas partes metastasis nullis interdum reuulsionibus, fortibusque præsidijs reuocari potest, vt scilicet fiat palindrome, vnde fuit anadome.

Quid si dicatur insuper, pharmacum in ictero bilem à cutaneis partibus ad viscera non sine detrimento reuocare posse? Etenim præstat semper, humores ab internis ad externas demandari, quàm contrà, quod pluribus dictatis Præceptor decreuit, sed potissimùm aphorismo illo 25. sexti libri, vbi ait: *Erysipelas foris intrò verti, malum; intus verò foras, bonum*; atqui icterus erysipelatis quoddam genus esse videtur.

SYNCATATHESIS.

IN libro de locis in homine purgationem admittit Hippocrates ad biliosam illam colluuiem exturbandam, quæ plurima in venis reperitur, ne scilicet fiat eiusdem ad cutem perennis effusio; ibi ergo antecedentem, non autem coniunctam causam respexit; quare ne à venarum cacochymia cutis illa defædatio iugiter foueatur, chologogum admittit. Adde, quòd ibidem Præceptor de ictero critico fortassis verba facit, in quo proculdubio locum non habet medicamentum purgans; quoniam vniuersa bilis ad cutem translata est.

In eodem verò libro, eodemque numero infra, itemque libro de victus ratione in acutis purgationi interdicit ictericos, quoniam iam ad corporis ambitum vniuersa bilis effusa est, & actu cutem inficit; quam bilem nequaquam educere possunt chologoga medicamenta; vt enim 6. Epidemior. commentario 2. textu 30. Galenus aiebat: *quæ in cute sunt, fieri non potest, vt per aluum expurgentur, sed fotibus, & calidis medicamentis discutiuntur*. Quare expiato semel corpore ad bilis effusionem compescendam, à catharticis abstinendum erit, quoniam hæc, vt calida, & elateria, poterunt ampliùs humores & calefacere, & conturbare, atque adeò cutem magis magisque afficere, ac fædare. Et hanc esse genuinam Hippocratis mentem in textu illo de locis in homine, intelliget facilè quisquis attentè, atque exactè eius sermonem expendet; siquidem priùs ibi monet, purgandum, siccandum, & attenuandum esse corpus, mox verò, balnea adhibenda esse ad bilis per cutem effusæ digestionem, ac discussionem, & hoc tempore nouam prohibet purgationem: verba sunt: *Quum verò attenuatum fuerit, purgato, & contusa cucumeris siluestris radice, eaque in aquam coniecta,*

inde lauato; & statim subiungit: *Cæterùm medicamenta bilem ducentia ne propinato, ne corpus magis conturbes*. Adde tandem, Hippocratem in forti duntaxat, ac vehementi icteritia purgans medicamentum admittere, vt verbis eius ex libro de affectionibus palàm constat, tunc enim, quoniam symptωmaticῶs effusio illa rebellis contingit, indicatque venarum colluuiem biliosam enormem, nisi cholagogo medicamento tantæ cacochymiæ detraheretur, frustra balnea, fotus, & alia huiusmodi regio morbo consona vsurparentur.

ANTIPHΩNIA XX.

Vomitus in dysenteria an bonus.

THESIS.

IN Coacis Prænotionibus Pythios noster vomitum biliosum in dysentericis vndique reprobat: sunt hæc verba: *Dysentericis vomitio biliosa initio graue malum*. Sed cur ita sit, rationibus vestigandum. Enimverò vomitus iccircò magnam arguit in dysenteria calamitatem, quòd significatio, fiat duci in συντιμωρίαν etiam ventriculum; & bilem ἄνω, & κάτω præceps rapi, atque adeò ventriculi os mordendo, cardiogmum, vel syncopen inducere facilè posse. Nimirum ventriculi cum intestinis officij communi societate licet ingens reperiatur sympathia, vt facilè his ille compatiatur; cùm tamen in alui fluxu vomitus quoque citatur, ingens humorum copia in primis, magna intestinorum affectio, & ventriculi imbecillitas arguitur, quæ omnia graue malum portendunt. Omnino illud in arte medica compertum esse debet, quòd quantò in morbis plures afficiuntur partes, tantò grauior erit affectio censenda. Quid multa? Epigenesis in morbis graue malum ostendit semper.

ANTITHESIS.

SEd cur, qui σύμψηφος est semper, antinomiam recinit libro de affectionibus num. 2. vbi vomitum celebrat in dysenteria his penè verbis: *Huius vbi purgaueris caput, pharmaco in potu exhibito, quod sursum pituitam purgat &c.* Sanè, cùm vomitus reuellat, qui præcipites ad intestina delabuntur humores, non parum in dysenteria opitulari poterit; quo consilio in aphorismis etiam decantauerat: *Diarrhœæ si vomitus superueniat, bonum;* quod primo de morbis indicit adhuc liquidiùs: *à profluuio alui valido correpto vomitus superueniens, bonum.* Rursus libro de affectionibus num. 26. diarrhœę curationem afferens, aiebat. *Hunc sursum versus resiccato, veratro in potu dato.* Adhuc eodem libro de affectionibus num. 28. de cholerica passione verba faciens, hæc habet: *Si verò non cesset* (bilis videlicet supernè, & infernè fluxus) *velis autem sedare, vomitum à cibo, aut lenticulæ decocto facito.* Neque dicat quis, aliam esse dysenteriam, aliam verò diarrhœam; quandoquidem in eodem proximè nuncupato libro de affectionibus Pręceptor consimiles esse morbos hosce, decernit, eandemque curationem requirere, tradit; sic enim ille. *Hi morbi dysenteria inquam, & lienteria, ac diarrhœa, siue profluuium ventris consimiles sunt, & oportet ipsos sic sanare, ita vt defluxum à capite, & superiore ventre intercipias, aut auertas: morbi enim natura hinc est; & nemo sententiam tuam reprehendet.*

Porrò hæc omnia præstat vomitus in dysenteria, aliove quocunque aluino fluxu, quod cuiusdam Atheniensis viri historia tandem probatum volo ex 5. Epidemiωn num. 4. vbi hæc leguntur: *Athenis virum cholera corripuit, vomebatque, & deorsum egerebat, & dolebat, & neque vomitus, neque per aluum secessus sisti poterat;* mox post aliqua subdit: *Verùm secessus multò copiosior erat, quàm vomitus. Hic veratrum in lentium succo bibit, & alterum lentium succum insuper bibit quantum potuit, & postea vomuit; & coacta sunt, ac astricta ipsi ambo.*

SYN-

SYNCATATHESIS.

IN Coacis vomitum damnat triplici nomine, primò scilicet, quòd sit biliosus, secundò, quòd fiat ab initio, addam tertiò quòd sit spontaneus. Vt biliosus, malus vtique est, quoniam bilis ipsius copiam, & furorem arguit, quando sursum, ac deorsum, affluit vtrobique praua symptωmata excitans. Vt fit ab initio, humorem symptωmaticῶs tantùm ferri, arguit, quæ enim ad salutem fiunt, non statim apparent, nihilque criticum in principio fieri assolet. Vt spontaneus, deterior existit, quoniam naturę erethismum arguit, & morbi imperium à maligna humoris qualitate. Ita in aphorismo 21. quarti libri dicebatur: *Deiectiones nigræ, cuiusmodi est sanguis niger, quæ vltrò diffluunt, tum si cum febre, tum si sine febre calamitosæ: sed si vi epoti medicamenti ferantur, præclarius ad salutem apparent: & faciunt*. Indicatur enim à spontaneo symptωmatico effluuio indomiti species humoris, visceris alicuius insigne vitium, naturæ fatiscens virtus, nec non retentricis facultatis imbecillitas.

At libro de affectionibus vomitum Magister admittit, qui medicamenti vi cientur, vt pituita è ventriculo educatur, atque simul humores, qui erant κατάρροποι, ἀνάρροποι reddantur. Nec statim ab initio illum fieri decernit, sed vbi caput primùm repurgatum fuerit. Næc apage mireris, quod senex pituitam repurgari, iubeat è ventriculo, cùm non ipsa, sed bilis dysenteriæ sit causa; nam fuit Hippocrati mos verè laudabilis, in omnibus morbis etiam in febribus à bile oriundis capiti, & ventriculo primò consulere, ne scilicet socij malorum fierent cum patientis interitu; est nempe verùm illud in primis, aut omnes morbos à capite originem ducere, aut saltem incrementum capere, quoad ventriculum verò, hunc salubre semper est expiare à cruda colluuie, cuius per vomitum excretio in dysentericis reuulsionis vim summam obtinet, bilisque per intestina furentis infręnat impetum, in quem finem solùm ab Hippocrate in lienteria, diarrhœa, ac dysenteria alibi probatur vomitus.

ANTI-

ANTIPHΩNIA XXI.

Lac biliosis excretionibus, & flatulentis visceribus an conueniat.

THESIS.

IIs omnibus, quibus biliosæ sunt excretiones, quibusque hypochondria flatibus distenta murmurant, lac interdicit Hippocrates quinto aphorismorum 64. his verbis: *Lac dare febricitantibus malum, & quibus suspensa quasi pendula hypochondria murmurant, & quibus biliosæ deiectiones.*

Febre, de qua infra, cæterisque omissis affectionibus, de lactis vsu, quatenus ecrysi biliosæ, ac flatulentiæ aduersatur, hic thesis probabitur. Sanè in biliosa maximè aluo lac facilè corrumpitur, inque bilem degenerat, augetque fluorem; quinimò ex incendio, quo cum visceribus aluina regio, ac naturalis tota œconomia conflagrat, in putrilaginem totum abit. Id non ægrè sibi quisque persuadebit, si lactis trigeminam portionem expendet, butyrosam videlicet, caseosam, serosam; & primùm quidem quoad butyrum, hoc vt pingue facilè in bilem conuertitur, ignescit, ac flammat; ideòque dum lac concrescit, instar olei supernatat, multisque gentibus in lucernis adhibetur vt oleum; est enim facilis inter symbula transmutatio; atqui bilis, eodem Hippocrate auctore in libro de morbis, est sanguinis pinguedo. Quoad verò caseosam partem, abit & in nidorem ocyùs, indeque æstui, & acrimoniæ addit humorum. Serum tandem in quo nitrosa, ac salmacida quædam reperitur qualitas citatæ aluo, cui non est opus calcare γαργαλισμόν, auget; atque adeò vbi diarrhœa biliosa præsens est, lac nullo capite arridet.

Cæterùm eadem ratione flatuosis hypochondrijs tota substantia lactis infensa est, quòd hinc flatus exaugeantur, ventriculus refrigeretur, & cruditates producantur, vt ideò non pauci ex eodem in colicam inciderint.

ANTITHESIS.

VErùm si sic est, cur antiphωnos factus est Hippocrates libro de victus ratione in morb. acut. num. 61. vbi in cholera, cui venter inflatus est, strepitumq; facit, lac exhibet? audiamus illum: *Et oleum dato, vt & quiescat, & aluus subeat, & soluatur morbus: à cibis verò, & alijs abstineat. Si verò non remiserit dolor, asininum lac bibendum dato, donec purgatus fuerit*. Etenim eò videri potest sententia hæc absona magis, quòd oleum, & lac vomitum excitent, à quo tamen eo in morbo cauere ægrotantes debere, ipse præcipit. Ita etiã libro de affectionibus num. 24. lac in dysentericis cõmendat his verbis: *Huius vbi purgaueris caput pharmaco in potu exhibito, quod sursum pituitam purgat, & aluum lacte cocto elueris, reliquum corpus curato*. Astipulantur ferè Græci omnes, Trallianus, Galenus, Aetius, qui in dysentericis fluxionibus lac admittunt potatum non minùs, quàm per clysmum iniectum.

Neque rationes desunt, quibus hæc fulciatur sententia: Nam lac in primis bilis feruorem, & acrimoniam, ventrisque morsum, ac viscerum æstum temperare, mulcere, ac sedare potest. Rursus quoniam deorsum purgat, biliosam colluuiem, cuius cholerica passio soboles est, faustè deturbat. Cæterùm quod ad flatus, quibus hypochondria distenta borborygmo perstrepunt, neq; lac reprobari debet, in huiusmodi namque affectione flatus à nimio feruore, ac siccitate oriuntur: quare lac refrigerando, & humectando efficientem saltem causam compescet, ac moderabitur. Noui non paucos, qui ex hac ipsa causa flatuum generationem gelidæ potu inhibent.

SYNCATATHESIS.

VT symphωnos reddatur Hippocrates, dicas, illum in aphorismis lac prohibere, vbi excretiones biliosæ affatim fiunt, quales contingere solent in diarrhœa à biliosa colluuie. In libro autem de victus ratione in acutis non de quacunque cholera, verùm de sicca duntaxat verba facere; inquit enim, *in cholera sicca venter inflatur*: in sicca verò nihil egeritur prorsus, ne dum biliosæ reddantur excretiones, quod Hippocrates apertè fatetur ijs verbis: *Secedit autem nihil deorsum, sed aluus adstricta est*. In hac igitur meritò & oleum, & lac propinat, vt quamprimùm

mùm subeat aluus, vnde tota salutis spes affulget. Hinc ille: *Talem adseruato, vt ne vomat, sed aluus subeat. Infusum itaque calidum, ac pinguissimum quàm citissimè per clysterem immittito, & oleo illitum in aquam plurimam calidam demittito in solium reclinans, & paulatim affundens. Et si calescenti ipsi aluus subierit, morbus solutus est.* Et infra: *Et oleum dato, vt & quiescat, & aluus subeat, & soluatur morbus.*

ANTIPHΩNIA XXII.

Lac febricitantibus an conferat.

THESIS.

Omnium insonat auribus illud Hippocratis 5. Aphoris. 64. *Lac dare febricitantibus malum.* Quod nimirum abundè suadet ratio; nam lac putrescit facilè, acoremque asciscit ocyùs; non ergo in febribus, quarum idea calor præter naturam, & causa putrilago vt plurimum est, conuenire potest. Rursus lac apprimè siticulosum est, quo cōsilio in præfato Aphorismo polydipsijs interdicitur; igitur in febribus, quibus præ feruore, & arescentia comes fit perpetuò sitis, ab illo abstinere consentaneum erit. Adhuc lac in febribus præsertim acutis, si propinetur, periculum est, ne ab ipso febrili calore non sine magno vitæ periculo in ventriculo coaguletur, quippe teste Philosopho 3. de histor. animal. cap. 20. *Nullum lac coit frigore, sed serum potius trahit, igne nimirum omne spissatur, & crassescit.* Sed quid multa? Cum ex triplici substantia lac omne coalescat, caseosa, butyrosa, & serosa, nulla ex his prorsus febribus arridere, immò potius insidiari valebit. Constat id nimirum liquidò, quoniam caseosa portio in nidorem abit, sitim acuit, caput vaporibus opplet, feruorem auget, obstructionem efficit, aliaque parit symptωmata, quorum vel apud sanos est caseus fæcundus auctor: Butyrosa inflammatur leui negocio, cùm enim pinguissima illa sit, flammam à febrili calore continuò concipit, ipsamque adauget febrem. Nimirum eo consilio pinguia, & oleosa quæque in febribus declinantur, quoniam in bilem facilè degenerant, vt facilis est inter omnia symbola conuersio

uersio; Etenim bilis est humorum pinguissima, vt 4. de morb. num.23. præcipuè his verbis Præceptor habet. *Calescente sanguine exhalat maximè per hunc humor aquosus, qui febri est infestissimus, relinquitur autem pinguis, ac leuis, qui est biliosus, & febri maximè nutrimentum est*. Et hoc insuper consilio ab Hippocrate dictum arbitror, quòd febris omnis à bile oriatur; cùm enim hæc inter humores omnes leuissima, atque pinguissima sit, ante alios in flammam abit, deinde verò cæteris communicat æstum. Eò pariter collimat illud eiusdem 4. de morbis: *Quibuscunque hominibus febris incidit, si nihil aliud malè habeat homo, à pinguiore, quàm oportet existente humore incidit*. Confirmat 6. Epidem. sect. 6. in principio vbi sic. *Et quibus quidem pingue, bilis flaua*; & in eodem libro sectione 5. textu 14 cũ dixisset. *Linguæ chloræ biliosæ*, subdit *biliosũ autem à pingui*. Enimverò dum sanguis æstuat, & efferuescit, indeque exuritur, tenuior eius pars in bilem vertitur, quæ pinguedini assimilatur, innatatque cæteris in humoribus tanquam oleum.

Denique neque serosa lactis portio febri arridet, siquidem serum nitrosæ cuiusdam qualitatis est cõsors: atqui salsa, & nitrosa febribus omnino reclamant; quamobrem lib. de vict. ratione in acutis de febribus loquens Hippocrates aiebat: *Et nihil salsum exhibendum*.

ANTITHESIS.

Libro interim de victus ratione in acutis num. 34. prædictorum senex oblitus, vel in ipsa ardente febre lac præscribit; illa sunt verba: *Et ventrem clysteri soluere, si verò ad hæc non soluatur, lacte asinino cocto purgato*. Id quod eò magis absonum videri potest, quò lac huiusmodi aluum turbat; vt autem in Coac. prænotionibus testatum reliquit Hippocrates: *In febre ardente si aluus eruperit, mortale*.

Nec tamen ratione sua destituitur præsens hoc theorema; siquidem lac asinæ, quod vbere serositate diffluit, in magna præsertim copia sumptum, bilem, quæ causi causa est, abundè deturbare valet. Neque interim detrimenti quicquam afferet vel butyrosa, vel caseosa eiusdem portio, quoniam parum in ventriculo immoratur; quin eius substantiæ valde modicum multo sero dilutum statim effluit; quamobrem nec nidorem, nec acorem concipere valet; immò ea, qua præditum est serum, deiectoria facultate succos, ichoresque biliosos, ac salsos educet. Nec quia nitri aliquid redolet

dolet, febri iccircò infestat, quoniam & Rhabarbarum, scammoniumque alioquin apprimè calida febrem oppugnant, quia nimirum illius ablegant caussam, bilemque deturbant.

Præterea lac in ardente febre opiparè sumptum efficere potest, ne in peripnemoniam vel metastasi, vel epigenesi illa degeneret, quippe facilis est à causo in pulmonem inflammationum transitus, vt 2. de morb. num. 61. nec non in Coac. prænotion b. testatur Hippocrates; quin primo de morbis hæc palàm leguntur. *Et ob hoc etiam ex febre ardente, & ex pleuritide maximè morbi mutantur, vbi enim supernus ventriculus supercalefactus fuerit trahit in se ipsum. & suscipit pulmo, & fit peripneumonia.* Adde insuper, quod synthesis, idest colliquatio, quæ etiam præ vredine in ardentibus febribus frequentissimè accidit, lactis asinæ vberrimo haustu inhiberi potest.

Denique ex hoc eodem lacte periculo defunguntur, qui ardente febre correpti sunt, in hecticam intemperiem, vt solent, degenerandi. Nam præ nimia siccitate solidæ partes arescunt, ac tandem squallent iuxta illud Hippocratis in libro de morbis; *Quicunque ex febre ardente moriuntur, omnes præ siccitate moriuntur.* Ita aliquando viri cuiuspiam à febre ardente perempti secto cadauere inuentum est cor crematum, & veluti in carbonem conuersum.

SYNCATATHESIS.

NVsquam, & nunquam discrepat à se ipso Hippocrates, nullibi est antiphωnos, quare, vt sententiarum ostendatur omonia, præludendum primò erit, lactis pro diuersa animalium specie, multiplicem esse differentiam, quippe humanum inter omnia primas obtinet; nam quemadmodum inter animatorum omnium eucrasias humana est præstantior, ita & sanguis, ac tres reliqui humores, succique omnes in sano homine meliores existunt. Post humanum ouillum commendatur, huic proximè accedit caprillum, mox bubulum, inde equinum, & asininum succedunt.

His ita prælibatis, aio insuper, lac omne vel vt alimentum, vel vt medicamentum vsurpari posse. Vt alimentum damnauit Hippocrates in Aphorismis, vbi lacti febricitantes interdicit, cùm enim in minori copia nutritionis gratia hauriatur, & ouillum plerunque, aut bubulum, in quibus casei, butyrique præualent, partes assu-

mantur, omnia illa enarrata incommoda parere potest, eòque promptiùs, si arte fuerit elaboratum, vt solet frequentiùs in mensis vsurpari, nempe recocta, caput lactis, vel quæ iuncata dicitur. At verò vt medicamentum, dapsileque sumptum, quomodo in antithesi comprobat, asininum præsertim, quod longè est dilutius, vel in ipsa ardente febre hauriri potest tum refrigerationis causa, tum euacuationis per aluum. Nempe lac vt alimentum sistit, ac diu in ventriculo moratur, atque adeo, si febris aderit, in nidorem facilè abire poterit, halitus ad cerebrum mittere, putredinem ab extraneo calore subire, nec non etiam in bilem conuerti; etenim vt alimentum coqui, ac transmutari debet. Vt medicamentum verò ocyùs descendit, parum immoratur, nec coquitur, nec assimilatur, abluit, bilem deturbat, intestinorum colluuiem expurgat, humectat, refrigeratque affatim.

Cæterùm quòd Hippocrates in magna copia, ideoque vt merum medicamentum lac propinari, iubeat, patet ex eo liquidò, quòd non minori quàm sex, vel septem librarum pondere exhiberi, statuit; ita quarto Epidemior. Eratolai filio nouem cotylas propinauit, quæ vnam supra octuaginta vncias pendent; En verba: *Bibenti lactis asinini excocti quasi nouem attilas cotylas duobus diebus biliosa purgatio vehemens oborta est, & dolores cessauerunt, & ciborum accessit appetentia.* Quin in sideratis, & comitialibus, vt lib. de ratione victus in acutis legitur, ad duodecim, vel etiam ad sexdecim heminas proponit; pendet autem hemina attica nouem vncias, quare vltra duodecim libras exhibetur.

Præterea arbitari fas est, aphorismum illum quintæ sectionis ita esse intelligendum, vt nimirum lac euitetur, vbi simul omnia illa symptomata conuenerint, non autem cùm eorum quodpiam reperitur; alioquin ni ita foret, vix vnquam lacti locus esset; Quo circa lac malum erit in febre, cui tota illa accidentium syndrome iungetur; quod nimirum ex eiusdem aphorismi postremis verbis colligitur, vbi dicitur: *Sed conuenienter etiam ad diuturnas febres, & lentas præscribitur, si nihil eorum, quæ dicta sunt, adsint*; hoc est quòd nec sitim habeant, nec borborygmum, nec biliosas excretiones.

Nec Baricelli opinio in suo de lacte opusculo mihi plausibilis accedit existimantis, non in quocunque causo lac Hippocrati probari, sed in eo duntaxat, quæ à salsa pituita ortum ducit; siquidem in lib. illo de vict. ratione in acut. de causo à bile potius oriundo sermonem habere videtur, inquit enim: *febris ardens fit, quum*

resicca-

resiccatæ venulæ hora æstiua acres, ac biliosos serosos humores in se ipsas traxerint.

Parergon. Placet Hippocrati, lac huiusmodi excoqui, vt malitia omnis corrigatur, excrementitia humiditas abeat, ventriculo minus negocium facessat, ac genuinam ad putredinem deponat aptitudinem; quo consilio tulit etiam apud Hippocratem consuetudo lacti vinum admiscendi, vt 6. Epidem. & 7. in relata Eratolai historia palàm fit: perlege, si lubet.

ANTIPHΩNIA XXIII.

In tertiana qua die sit exhibendum pharmacum.

THESIS.

Libro de affectionibus num. 18. Hippocrates pharmacum exhibendum esse, docet in quarta die: sunt hæc verba: *Tertiana febris cùm apprehenderit, si quidem videbitur tibi non purgatus esse, quarta die pharmacum dato.* Sententia ratione fulcitur; quandoquidem cùm die impari humor biliosus tertianæ febris auctor moueatur, cùmque medicamentum, qua die humor mouetur, exhibere sit nefas Hippocrate libro de morbis auctore, iccircò quarta die pharmacum iure præscribitur. Adde, quòd quarta dies in tertiana, quæ quatuordecim dierum spatio absolui plerunque solet, est principium; iam in principio, si quid mouendum erit, mouere expedit, vt in aphorismis sancitur, quo loco videat, qui vult Galeni hypomnema, rem enim basilicè explicat.

ANTITHESIS.

SEcundo autem de morbis num. 38. non in quarta die, verùm in nona, post quartam scilicet inuasionem pharmacum propinandum esse decernit hoc sermone: *si tertiana febris tenuerit, si quidem non omissis tribus inuasionibus, quarta corripiat, pharmacum deorsum purgans bibendum dato*. Confirmat eandem pragmatiam eodem 2. de morbis num. 36. vbi febres à bile describens, post multa sic ait: *Quum sic habuerit, & ad nonum diem deuenerit, pharmacum dato. Nam si statim à febris initio dederis, postquàm purgatus est, febris repetit, & rursus medicamento opus habet*. Adhuc num. 37. eiusdem libri aliam febrem à bile proponens, monet, vt pharmacum exhibeamus post quàm febris cessauerit; verba sunt: *Vbi verò sedata fuerit, pharmacum deorsum purgæns bibat*. At omnium luculentissimus est locus apud Hippocratem libello de medicamentis purgantibus quarto, vbi hæc registrantur: *quicunque igitur à febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta purgantia dare non oportet, donec remiserit febris; sin minus saltem non intra quatuordecim dies; carnes enim ipsorum, & ventres quum calidi sint, medicamentum assumunt, & nihil depurgantur, & febris maior fit, & color euertitur, & morbi regij speciem præ se ferunt &c.*

Probatur insuper rationibus, & quidem primò: pharmacum ab initio nulla ratione conuenit, quoniam ab initio materia haud est coctione edomita; est autem decantatum axioma: *concocta medicari, & cruda non mouere*.

Secunda ratio est illamet, quam adducit Hippocrates, quòd nimirum à principio si detur medicamentum purgans, nequaquam sperare possumus, quòd febris non reditura sit: at post quartam accessionem id contingere non difficilè potest; siquidem post quartam accessionem est in promptu status, ac vigor ipsius morbi; in vigore autem est iam facta in maiori parte coctio, atque adeò boni succi à malo separatio, vnde purgatio fæliciter cedere potest.

SYNCATATHESIS.

IN libro de affectionibus pharmacum in quarta die præscribit ob ingentem cacochymiam, quæ appareat; quod significatur ijs verbis: *si quidem videbitur tibi, non purgatus esse;* quippe receptum est illud apud scholas, etiam in principio, vbi plurimum impura premit humorum sarcina, minorans dictum medicamentum tutò vsurpari posse. Vel si mauis, dicas, intelligere eo loci Hippocratem de primarum viarum expiatione, de qua verè intelligit in illo aphorismo, quo ait: *si quid tibi mouendum videtur, in principio moue*. In libro verò de morbis loqui de pharmaco eradicatiuo, quod, nisi materia turgeat, in febrium, atque morborum declinatione duntaxat conuenit; hoc enim tempore pepasmi conspicua fiunt signa.

ANTIPHΩNIA XXIV.

In quartana qua die purgandum.

THESIS.

PRimo aphorismorum II. sancitum illud inuiolabili lege à medicis seruandum inscribitur: *In accessionibus subtrahere conuenit;* id quod non magis de victu, quam de medicamentis intelligendum, siquidem ecquis pharmacum in principio paroxismi impunè assumeret? aut quis in eodem præscribere non temerè auderet? In hunc nimirum caderet Hippocratis maledictum illud: *turpis est calamitas purgante medicamento dato hominem occidere*. Nempe id si fieret, ægrotantis natura geminata premeretur afflictione, à paroxismo videlicet, & à pharmaco; quare succumberet necessario à duplici hoste deuicta, ac bicipiti gladio transfossa: quod si nefas est eos, qui continua febre detinētur, in imparibus diebus purgare, quòd in illis humor natura sua moueatur, quantò deterius erit catharticum in ipsa febrium accessione propinare, in qua non solùm sunt humores ad venrres refluі, verùm etiam natura vndiq; premitur, ac vexatur? Nempe

magnum inde in primis hypercatharsis immineret periculum, quemadmodum 4. de morbis num. 21. ijs verbis monemur. *Quicunque iam à febre continua correpti pharmaco vsi sunt in diebus paribus, hi nimiùm purgati nunquam sunt; qui verò in diebus imparibus medicamento forti vsi sunt, nimiùm purgati sunt:* & paulò infra: *humor enim in corpore ægroti magis turbatur in diebus imparibus, nimirum corpore humorem ad ventriculum transmittente, & si quis iam turbatum adhuc magis perturbet medicamento immisso, nihil miri est, hominem inde perire.*

ANTITHESIS.

AT si vera sunt hæc, cur in quartana pharmacum sursum versus purgans iubet, in ipsa accessione propinari. Edictum perlegamus in lib. de affectionibus num. 19. *Si verò quartana apprehenderit, si quidem impurgatus fuerit, primum caput purgato, & interpositis tribus, vel quatuor diebus, pharmacum sursum versus purgans dato in ipsa accessione.* Et ne quis putaret, in ipsa apprehensione, seu paroxismo præscribi duntaxat vomitum, quem etiam in tertiana molimur interdum, dum ex bilis ad os ventriculi anadrome syncope, aut cardiogmos imminet, subiungit Præceptor: *Et interpositis diebus rursus aliud deorsum purgans dato in ipsa apprehensione.* Comprobat hoc idem dictatum quinto Epidemior. 60. vbi cùm dixisset: *subpurgare ventres oportet in morbis, cùm concocti fuerint &c.* subdit: *alios autem sursum in paroxismis tunc enim sua spontè subleuantur, cùm anxij, & capite grauati fuerint, & se iactarint;* quod idem penè ad verbum repetit septimo Epidemiων 61. nec registrare ab re existimo: *subpurgare ventres in morbis, postquàm cocta fuerint, quæ mittenda sunt, infernas quidem cùm consedisse videris. Signum si iam non anxij, nec capite grauati sint, & cùm cessauerint post paroxismos. Supernas autem in paroxismis, tunc enim etiam ipsi superferuntur postquam anxij, & supernis partibus grauati sunt.* Eadem præcepta 2. de morbis exarauit, vbi quartanæ curationem proposuit; siquidem veratrum album in ipsa accessione exhibendum præcipit: hæc sunt verba: *Altera verò exacerbatione, vbi multa calida laueris, & stragula ipsi intexeris donec excedet, statim veratri albi radices trium digitorum longitudine, & trifolij drachmam, & succi silphij duarum fabarum magnitudinem in vino mero bibat;* & in fine: *quum verò exacerbatio ipsum inuaserit, ieiunus medicamentum imbibat;* quasi ad faciliorem

vomi-

vomitionem cibus ante pharmacum adhiberi debeat.

Legem hanc promulgauit Magister hac ratione impulsus; quòd rebelles humores, quales sunt melancholici, tunc expurgari auxilio pharmaci debeant, cùm illi à natura turbantur, & impelluntur, sic enim ad ἔκρυσιν promptiùs inclinabunt, cùm alioquin vi solius medicamenti, vt sunt valde restibiles, naturæ expellenti minùs obediant. Rursus iccircò in paroxismis sursum purgans conuenit, quoniam, vt Hippocrates ipse ait, humores tunc sponte sua sunt ἀνάῤῥοποι, leuique impulsu efferuntur.

SYNCATATHESIS.

SYmphonos reddemus dissonantes hosce textus, si dicamus primò, Hippocratem libro aphorismorum de acutis morbis, quià bile oriundi sunt, præceptum tradidisse; bilis enim, quæ facilè orgasmum concipit, medicamento cieri non debet, quo tempore spontè impellitur: Libro verò de affectionibus de chronicis affectibus, maximèque de ijs, qui ab humore melancholico pendent, cuiusmodi est quartana, dictasse; hic enim succus natura contumax, ac terrestris vix medicamento obedit, nisi quo tempore propulsatur à natura.

Secundò haud ab re dixerimus, libro de affectionibus Præceptorem nequaquam locutum esse de pharmaco vniuersali totum respiciente corpus, verùm de peculiari duntaxat ventriculum expiante; hic enim cùm in quartana cruditate plurima scateat, vt ex iugi pthyelismo fit palàm, cùmque cruditas in ipso paroxismo fluctuet, ac turbetur, opportunum iccircò tunc tempus censetur emeticum aliquod pharmacum propinandi, eo prorsus modo, quo in simplici tertiana, in qua bilis ad os vētriculi fit anadrome, ad cardialgiam euitandam, ac syncopen præcauendam vomitum in ipso paroxismo præscribimus; tunc enim, quia humor est in motu, excitata in ephodon suam natura medicamento cienti, & naturæ expellenti obedit promptiùs, fitque absoluta magis expurgatio.

Cæterùm etiam pharmacum vniuersale deorsum purgans iubet Hippocrates, vt in ipsa accessione propinetur ea ratione ductus, vt melancholicus humor terreus natura, atque adeò medicamento attrahenti haud facilè obtemperans liberaliùs deducatur geminato impulsu, naturæ scilicet, & pharmaci. Neque sanè his in humoribus, qui natura sunt segnes, ac pertinaces, hypercatharseos periculum imminet, vt in biliosis, qui

vt facilè turgent, ita quoque effrenes effluunt.

At non est hìc silentio prætereundum, quòd Hippocrates vomitum probat in quartana non in accessione, vt Caluus legit, sed κατ ἀυτὴν τὴν λῆψειν, idest sub ipsam accessionem, vt Foesius, vel circa ipsam accessionem, vt alij; medicamentum verò purgans ἐν αυτῇ τῇ λῆψει, idest in ipsa accessione, eo consilio, vt emeticum electiuum, vtpotè veratrum, cuius in curatione quartanæ meminit secundo de morbis, in vigore accessionis viribus suis ad vomitum cum natura coincideret: deorsum purgans in declinatione ipsius apprehensionis vim suam exereret; & est illud idem, quod ex septimo Epidemiωn 61. superiùs afferebamus: *infernas quidem cùm consedisse videris. Signum si iam non anxij, neque capite grauati sint, & cùm cessauerint post paroxismos; supernas autem in paroxismis; tunc enim etiam ipsi superferuntur post quam anxij, & supernis partibus grauati sunt.*

ANTIPHΩNIA XXV.

In articulorum doloribus quando purgans medicamentum propinari debeat.

THESIS.

Libro de affectionibus num. 30. de coxendice Magister agens, eius curationem ita instituit, vt anodyna priùs, & emollientia vsurpentur, mox verò vbi dolor quieuerit, pharmacum propinetur: verba sunt illa: *Huic confert, quando dolor tenuerit, mollire in quacunque tandem corporis parte dolor hæserit per balnea, ac tepefactoria, ac fomenta, & aluum subducere. Vbi verò quieuerit dolor, pharmacum dandum est infra purgans.* Confirmat libro de internis affectionibus num. 54. vbi pariter de ischiade agit; ipsum audiamus: *Cæterùm eum, qui à sole hoc morbo correptus est, sic curare oportet: Corpus ipsius fomento humectetur, & cibi, ac potus, & alia, quæ exhibentur, tepida, ac humida præbeantur, atque hæc omnia cocta. Cibo vtatur maza molli, vino dulci non subacta. Vinum bibat album, aquosum, & corpore quietem habeat, & quamuis impotens fuerit, vt exurgat, tamen modicè singulis diebus deambulet: & ne frigeat, & non multa aqua lauetur, & quum tibi benè habere visus fuerit, & corpore humidus esse, leni fomento vehementer foueto, magis enim remittit, & curationem, & condensationem ex articulis humectat, ac relaxat. Deinde postera die cnidium granum bibendum dato.* Constat adhuc sibi libro de victus ratione in acutis num. 64. vbi eos omnes recensens, qui à purgante medicamento excludi debent, hæc addit: *Et quibus vehemens dolor incurrit, & non superauerint.*

Interim nec ratio deest; nam præsente dolore, qui semper attrahit, si humores pharmaco commoueantur, faciliùs ad ipsas partes dolentes affluent; vnde mox augebitur dolor, & inflammatio. Insuper cùm dolor spiritus apprimè dissipet, ac vires resoluat, non licet καθάρσι imbecilliores eosdem reddere.

AN-

ANTITHESIS.

AT in eodem libro περὶ παθῶν, quod magis est mirandum, & in subsequenti textu, vbi de arthritide, oppositam è diametro protulit sententiam: sunt hæc verba: *Quum verò dolor intus fuerit* (legit Foesius, *cùm verò dolor adfuerit*) *pharmacum infra purgans bibendum dato*. Confirmatur antitheton sexcentum eiusdem Hippocratis auctoritatibus, qui in doloribus etiã principum partium, iisque valde vigentibus pharmacum deorsum purgans propinat. Selectiores quasdam afferamus. In libro de victus ratione in acutis textu 52. in magno pleuritidis dolore, qui ad hypochondria declinet, deorsum purgante pleuritico pharmaco vtitur. Rursus 3. de morbis num. 3. de sideratis, & ictis verba faciens, aiebat sic: *Si verò dolor tenuerit, infernam aluum purgare oportet*. Ibidem textu secundo in cerebri dolorosa repletione infernam, & supernam aluum expurgat. Adhuc secundo de morbis textu 52. in pulmonis erysipelate, in quo dolor dorsum tenet, deiectorium pariter pharmacum præscribit. Præterea libro de internis affectionibus num. 19. in morbo illo venarum cauarum magno nuncupato, in quo caput præ dolore quasi diffringitur, elaterium bibendum præcipit. Et in libro eodem textu 51. in morbo crasso appellato, vrgente dolore, nigrum veratrum exhibet. Item sexto Epidemiωn in graui renum dolore à calculo elleboro purgat, iuniores præsertim. Et quinto Epidemiorum, quod magis ad rem facit, Eupolemo coxendicum morbo laboranti pharmacum, idque validum κάτω expurgans propinauit. Quid multa? Libro de Iudicationibus 11. *In doloribus*, inquit, *qui graues spuriam costam afficiunt, iis solutio fit venæ sectio, & purgatio deorsum*. Ita libello de veteri medicina textu 34. in illis, *quos acuta, acrisque, ac æruginosa bilis affligit, quales mox rabies, & morsus viscerum, ac pectoris, & desperatio? Non sedantur autem hæc priùs quàm eadem expurgetur, & prosternatur, & aliis permisceatur*. Demum lib. 2. Prædiction. textu 15. podagricos dolores dysenteria sanari, scribit Magister idem, quo fortè consilio libro de internis affectionibus acerrimum clysterem incijciendum, iubet, vrgente dolore. Enimverò Natura est Medicus, ars verò medica Naturæ imitatrix.

Nec sanè insuper deest suadela ratio; quippe in omni dolore exhibitum pharmacum infernè purgans doloris causam & reuellit, & euacuat. Adhuc frustra conamur mulcere dolorem, nisi antece-

recedentem, & coniunctam causam deturbemus, quod purgante medicamento consequimur. Corollidem appingam. Superuacaneum quodcunque pharmacum, & auxilium omne intempestiuum, & ἀχρήστιμον censeri posse videtur, dum iam sedatus est dolor; quorsum enim remedia?

SYNCATATHESIS.

QVoniam in commentarijs nostris in librum de affectionibus oretenus in Vrbis Athenæo trieterico labore dictatis hæc difficultas examinatur, hic haud multum prolixus fiam. An fortè Hippocrates verbis illis: *cùm dolor intus fuerit*, intelligat, quando iam fixus, & confirmatus fuerit, ita vt non amplius ab affluente, sed ab impacto duntaxat humore excitetur; hoc enim purgationi opportunum tempus communiter censetur? Atqui non integrè ex his conciliatur sententia; siquidem Præceptor pharmacum admittit, cùm sedatus est dolor: Iam tametsi rheumatismus quieuit, dolor tamen lacerare potest, præsente coniuncta causa.

Dicamus ergo, quòd cùm extremis morbis extrema remedia commodent, arthritis, vt extrema affectio, pharmacum, quod est inter medicamenta extremum, postulabit. Iam enim vniuersi laborant artus; iam dolor susque, deque lancinat; iam patiens tanquam clauis transfixus immobilis iacet; igitur vel cum periculo opus habet attrectare remedia iuxta illud Hippocraticum dogma: *aliquid agere, & periclitari*. Nec periculum tamen erit, ne mota, & exagitata à pharmaco materia non modo inuexatos repat articulos, sed & in alios, qui non laborant, irruat; siquidem iam artus patiuntur omnes. At in ischiade, & podagra non ita continget, turbati namque à pharmaco humores & ipsos coxendices, pedesque vehementiùs inuadere possunt, & superiores, qui nihil patiuntur, afficere ac malè torquere, quod est longè deterius.

Quid si dicamus insuper, verbum illud, *ad fuerit*, vt transfertur à Foesio, tẽpus præteritum, non autẽ præsens significare, ita vt sensus sit, purgandum esse, quando iam fuerit dolor, quod idem est, ac dum sedatus fuerit, seu quieuerit, vt alij exponunt. Et sanè si præcedentia verba perpendantur, verbum ἐνῇ præteritum tempus illic indicat, nam in superioribus præsenti vtitur tempore, ac præsentem dolorem designat; ait enim: *Huic, qua parte dolor detinet, refrigerantia admouere confert, & quæ in ventre sunt per infusa, &*

glandem subducere, & quicquid tibi profuturum videbitur sorbendum, & bibendum exhibere; inde statim addit: *cùm verò dolor adfuerit* Sanè dolor iam aderat; ergo dum dicitur, adfuerit, manifestè indicatur, quòd præterierit. Præterquam quòd verbum ἐνῆ, est Aoristus, siue tempus indeterminatum, quod tam præsens, quàm præteritum significare potest.

Profectò nullo conciliabitur labore antithesis, si hoc modo verbum ἐνῆ interpretemur, neque erit acuendum ingenium, vt Præceptorem ab antilogia vindicemus, à qua vt eximeret Martianus (parcant emeriti manes) nihil protulit Hippocrate dignum; inquit enim, dolores intus esse, nil aliud fortè significare apud Hippocratem, quàm quòd licet sedati fuerint, eorum tamen causa adhuc in corpore superest. At non capit ingenium, qua ratione, adhuc superstite dolorifica causa, dolor sedetur, & quiescat, & si quiesceret, male diceretur, *cùm dolor intus fuerit*; siquidem neque intus, neque foris dolor vrgeret. Sic pariter minùs plausibilis accedit eorum opinio, qui vt Hippocratem tuerentur, dixere, dolorem intus esse à principio, quando scilicet materia intra articulum latet, nec dum foras expulsus est, ita ut membrum tumore nihil adhuc extuberet, ac tum licere purgans exhibere medicamentum; etenim eo tempore, quo humor totus in articulis cubat, ferociùs dolor vrget, & angit, soletque mulieri, ac remotti, dum externa pars intumescit, quare pharmacum eo tempore haud opportunum erit; iuxta Hippocratis illud præceptum libro de victus ratione in acutis, abstinendum videlicet à catharticis, dum vehementes dolores lancinant; quo consilio libro de internis affectionibus pluribus in locis dolores priùs leniendos esse monet in arthriticis, & mox pharmacum propinandum.

Atqui maius quid à nobis vos præstolari, arbitror. Esto; Expectationem non defraudabo. Cornarius ex Græco vertit, *dolor* ἔνη, quæ vox absque accentu circumflexo in postrema littera sonat, vetus, cuius vocis neque Caluus, neque Foesius meminere. Iam Hippocrates dum ait, purgandum esse, cùm dolor fuerit vetus, idem est, ac dicere, cùm sedatus fuerit, nam dolores, cùm senescunt, remittuntur, & quiescunt; nam intensissimi dolores diu non perdurant. Confirmabo tanquam ex auctario huiusmodi Cornarij paraphrasin sententia quadam 6. Epidemior. registrata, sectione prima, numero 5. (quamuis nullius momenti Vallesio visa fuerit) vbi legitur: *In Cranone veteres dolores frigidi, recentes calidi*. Porrò luce clarius est, recentes dolores calidos plerunque esse,

vel

vel per se, vel per accidens, affluentibus videlicet ad partem dolentem sanguine, & bile, quibus mox resolutis superstites sunt frigidi humores, qui non acutum, sed obtusum infligunt dolorem; quod palàm fit in podragra, in qua ab initio sæuissimi cruciatus vrgent, transactis verò diebus leniuntur, ac sedantur; ideòque dolores, (idest dolorificæ causæ) veteres frigidi sunt; Quamobrem idem erit dicere dolores veteres, ac dolores non sæuos, non acutos, in quibus purgare fas erit. Et sic dum Hippocrates habet libro de affectionibus num. 30. *quando dolor tenuerit*, perinde est, ac dixisset: quando fortis, & intensus erit (tenere enim est dominari, ac possidere) atque tum à pharmaco abstinendum erit. Dum verò ait: *dum quieuerit*, seu *dum adsuerit*, non omnimodam vacationem significat, sed mulcedinem, atque insignem remissionem, ita vt neque cogatur eger eiulare, neque vigilijs angatur, & alijs discrucietur angustijs, ac tum pharmaco purgare licebit.

Cæterùm ad plurimas illas ex Hippocrate auctoritates, quibus in sæuissimis alijs viscerum etiam doloribus purgari præcipitur, respondeas, in doloribus, qui cùm inflammatione sunt, ac febre, quoniam non dant inducias, statim purgandum esse, at in alijs, qui nullo vitæ periculo iunguntur, satius est dolorum remissionem præstolari; quod Eupolemum quoq; fecisse, verisimile est, nec non Lyconem in Oeniadis, qui, vt Hippocrates ait, ischiade cum laboraret, pharmaca bibebat. Neque vllum facessit negotium ex quinto Epidemiorum Scamandri historia, qui coxæ dolore vexatus, pharmacum bibit, & superbibit, & conuulsus mortuus est; nam ille non simplici coxæ dolore, sed sphacelo cum pure maligno detinebatur, vnde irrita fuerunt præsidia quæque, & intempestiuum etiam, ac violentum pharmacum vespere sumptum occidit; vt meritò propterea subiungat Hippocrates: *Videbatur autem plus temporis sustinere potuisse, nisi ob vim pharmaci.*

AN-

ANTIPHΩNIA XXVI.

Frigida quibus partibus inimica.

THESIS.

FRigidorum vſus commoda, & incommoda edicturus Hippocrates quinto Aphoriſmorum 22. ea protulit verba: *Sedi, pudendo, vtero, veſicæ, his calidum amicum eſt, & ſecundi iudicij; frigidum verò his contrarium, & interimens.* Idipſum penè libro de humidorum vſu repetit num. 11. de frigida verba faciens: *Verùm podici, & vtero non valdè commoda eſt.*

Hanc Theſim ſuadet in primis ratio; quoniam cùm vterus, veſica, & inteſtina neruoſæ compaginis exiſtant (pendent enim ex illa meſenterij parte, quæ meſocolon dicitur; meſocolon autem ex neruis de ſpina ſub ventrem originatur, vt in libro de oſſibus tradit Hippocrates) neruis nimirum ex eodem Hippocrate in aphoriſmis inſenſiſſimum eſt frigus. Neque amabo obmurmuret aliquis, quòd ſimilia ſimilibus conſeruentur, atque adeò nerui, qui frigidioris texturæ exiſtunt, à frigidorum vſu recreentur; nam axioma illud in ijs duntaxat veritatem habet, quæ exceſſu qualitatis non præualent: intelligi debet, vt vno verbo dicam, de temperaturis, in quibus qualitates non admodum excellunt, ſed menſura quadam ad æquilibrium ferè commoderata ſunt; alioquin quis vnquam affirmare impunè auſit, iuuenem biliofiſſimum, ſuſque, deque feruidiſſimum ſeruari meliùs ab æſtuante aere, ſyrioque latratu, à feruidiſſimis exculentis, nec non cæpis, allijs, aromatibus, generoſo mero, & congeneis, cùm quibus vltrà lineam ſimilitudinem obtinet? Enimverò ab his breui temporis curriculo ad internecionem vſque oblæderetur. Ecquis mediusfidius abſque crimine affirmare è contrario contendat, ſenem, aut alium quempiam natura frigidiſſimum oportere, vt conſeruetur, in aere degere frigidiſſimo, piſcibus, oleribuſque frequentiùs veſci, gelidamque tantummodo potare?

Præterea partes, quæ neruoſum redolent genus ab intenſo rigeſcunt frigore, vbi verò rigiditatem nactæ ſunt, ſuo defunguntur officio. Adde inſuper, inteſtina, & reliquas recenſitas partes exangues

gues esse; atque sensu præpollere exquisito, ideòque frigore quàm maximè lædi, id quod præter alios expertus est Vespasianus Imperator, qui, Suetonio teste, *creberrimo frigida aqua vsu vitiauit intestina*.

Rem ipsam nil minùs comprobat experimentum; quandoquidem à summa vel aeris, vel aquæ frigiditate multos in conuulsionem abijsse, constat, resolutis neruis. A gelido potu, & niue maximè perfrigerato tormina, colicos, iliacosque excitari dolores, nemo est, qui ignoret. Mulieres, refrigerato ob intemperantiam vtero, totas conuelli, nemo vnquam inficiabitur. Tandem à gelido potu vel mortem aliquando repentinam superuenisse, scriptorum testantur monumenta. Liquet ergo frigidum sedi, & intestinis apprimè infensum esse; quod inde etiam confirmatur, quòd scilicet non pauci ex sola insessione super lapides in alui cruciatum, atque tormina inciderunt. Et propterea non immeritò malè audijt olim Brasauola, vir alioquin sui sæculi præstantissimus, quòd Serenissimum Ducem Ferrariæ, qui nulla ratione egerere, fortibus etiam enematibus, atque catapotijs quoq; assumptis, poterat, iussisset, ambulare nudis pebibus per marmoreum pauimentum; inde enim ob manifestũ pedum cũ intestinis consensum potuisset frigus extremam aluo inducere calamitatem; sed vir sagax periculum subodoratus, statim depositis fæcibus ex generosissimo vino pedibus, vt noxam præcaueret, fotus adhibuit.

ANTITHESIS.

AT libro de affectionibus num. 11. magnus Præceptor in febre ardente clysterem ex frigidissimo infuso immitti, præcipit: illa penè sunt verba: *Et si quidem non subeant, quæ insunt, frigidissima per clysterem immittantur aut quotidie, aut alternis diebus*. Rursus 4. de morbis popularibus num. 8. in ventris acutissimo dolore fotum ex frigidissima aqua vsurpat; hæc sunt verba: *neque vomitu facto ab aqua frigida laxabatur, superfusæ verò sunt ipsi aquæ frigidæ amphoræ circiter triginta super corpus; & sanè hoc solum dolori ventris à catapotio accepto prodesse videbatur*. Huc etiam facit quod 3. de morbis num. 14. aiebat: *aquam frigidam plurimam in opisthotono superfundito*. Sed omnium maximè vrget, quòd 2. Epidemiorum sect. 6. Præceptor in voluulo vinum multum, idque frigidum probat, in voluulo autem illon teterrimè afficitur; verba sunt: *In voluulo tenui frigidum vinum multum*

secundum

secundum rationem dare vsque dum somnus sit, aut crurum dolor fiat.

Porrò nec desunt rationes, quæ dictatum illud tueantur; siquidem, cùm in febre ardente viscera feruore torreantur, exarescant incendio præcordia, humorum fontes exhauriantur, intus forisque exurantur omnia, venter præcipuè exæstuet bile, atq; vt Seneca in Thieste.

Flagrat incensum siti

Cor, & exustis flamma visceribus micat. ab re non erit, imò valde operæpretium succum aliquem vel actu frigidum immittere, quò intestina maximè in excludendis fæcibus suo fungantur officio, temperato fibrarum æstu, atque inducto refrigerio nam non rarò contingit, vt præ intenso calore exarescentia intestina fatiscant, & quasi resoluantur, ideòque si frigida infundantur, ad sua munia reuocabuntur. Ita experimento didicimus, aquam frigidam ieiuno ventriculo sumptam aluum absque læsione mouere: & licet intestina ipsa per se frigido temperamento inauctorentur, quia tamen intra abdomen fouentur, & vndique circumuallantur, & quia calidos ichores, & biliosos humores excipiunt, fæcumque putredinem iugiter seruant, semper feruent ex euentu; ideòque à frigido infuso haud ita facilè lædentur. Cæterùm quòd ferueant magnopere in febribus intestina, palàm fit in primis ex insigni retrimentorum siccitate, nec non ex eo, quòd etiam lapides intra ipsa geniti sunt aliquando vel citra febrem, lapides verò non à frigore intra corpus viuens, verùm à calore coagmentatur, vt est iam recepta neotericorum omnium opinio. Si verò cuidam placeat Auctores perlegere, qui lapides ab intestinis excretos, inque ijs genitos viderint, adeat Galenum sexto de locis affectis, Auicennam, Rhasin, Isaach, Antonium Guainerium, Beniuenium, Brasauolam, Fernelium, Duretum in scholijs Hollerij, Matthæum de grado, Trincauellium, Sauonarolam, & alios apud Marcellum Donatum.

Intestinorum insuper feruor in ardentibus febribus redarguitur ex colliquatione, quæ illarum sæpè fit comes, vnde de victus ratione in acutis Hippocrates aiebat: *Qui ventrem infernum calidum habent, subeuntque acres deiectiones, & inæquales, hi à colliquatione id patiuntur.* Neque ad calcem reticendum erit, quòd intestina calorem extraneum vbi conceperint, fortiùs retinent; quodlibet enim contrariorum si contrariam asciscat qualitatem, diutius est fortiùs retinet, quemadmodum corruptio optimi, vt est vuulgata parœmia, omnium est teterrima.

SYN-

SYNCATATHESIS.

VEritatem in vtraq; sententia profert nobis Magnus Hippocrates; neque vsquam ἀσύστατος, aut vnquam διάφωρος inuenietur; frigidum enim inimicum tunc dicitur intestinis, dum cum eucrasia suo fouentur calore naturali, at si extranea caliditate præferueant, inde temperari, ac maximè recreari, nemo ambiget. Ventriculus etiam de neruoso genere existit, eique pariter infensum est frigus; in causo tamen gelidissimam aquam vsque ad satietatem propinamus, & in alijs naturalium partium feruidioribus dyscrasijs frigidas aquas per multos diem affatim, & abūdè propinamus ipsius Hippocratis sexcentum in locis exemplo ducti. Noui non paucos, qui ad Nucerinos fontes digressi singulis diebus triginta, & vltrà aquæ pondo breui horæ spatio assumerent. In vno ergo textu de statu neruosarum partium secundum naturam Præceptor intelligit, in alio verò recessum à naturali statu respexit.

Dici fortè quoque potest, quod frigidissima infusa apud Hippocratem intelligantur potentia, non actu, qualia essent decocta herbarum apprimè frigidarum, calefacta tamen, vel saltem tepida adhibita.

ANTIPHΩNIA XXVI.

Gurgulionem tumentem, seu inflammatum an secare liceat.

THESIS.

LIbro Prænotionum num. 14. gurgulionis inflammati incisionem his verbis abiurant. *Gurguliones periculosi sunt, vt & resecentur, & scarificentur, quandiu rubicundi fuerint, & magni.*

Præceptionis rationes statim ipsemet apponit inquit enim: *Nã inflammationes ad os succedant, & sanguis eruptiones*, vel ratione inflãmationis, vel quia vt placet Auicennæ 9. fen. 3. multæ tũ venæ, tũ arte-

arteriæ ad gurgulionem pertingunt. Et est nimirum Chirurgicum dogma, inflammatam partem nunquam aut vrere, aut incidere, aut secare. Addamus insuper, quòd cùm sit gurgulio articulatæ vocis, & concinnæ loquelæ instrumentum, absque huius læsione, atque deformitate incidi, ac secari non potest; Ita passim videmus, eos omnes, quibus ab vlcere gallico exesa est vua, naribus turpiter obloqui, vt vix percipiatur sermo, vnde meritò vocis plectrum gurgulio dicitur, & Galenus vndecimo de vsu partium ad vocis etiam magnitudinem conferre, tradit; vt mirum propterea videri possit, quod Nicolaus Florentinus monumentis tradidit sermone 7. summ. 2. tract. 1. cap. 24. nempe cantores quosdam, vt vocem ederent grossiorem, particulam hanc sibi abscindendam curasse.

ANTITHESIS.

At verò 2. de morbis num. 26. manifesta legitur ἀντίρρησις; percipe lector: *Si vua morbus in faucibus fiat, summa gurgulionis pars aqua impletur, & rotunda fit, ac pellucida, & spirationem intercipit: & si maxillæ ab vtraque parte inflammatæ fuerint, suffocatur; si verò ipse morbus per se consistat maxillis non inflammatis, minùs moritur. Cùm sic habuerit, gurgulionem digito apprehensum sursum ad palatum apprimito, & summam ipsius partem præsecato.*

Nec citra rationem columellæ sectio præcipitur; nam præterquàmquòd molestissima est passio, ad eam molem interdum excrescit, vt & comestionem, & respirationem intercipiat, sic referente Marcello Donato 3. de medica historia mirabili ex Leonardo Batallo, fuit, cui hæc particula adeò laxata intumuit, ac producta est, vt ad anteriores vsque dentes perueniret, adeò vt illam digitis apprehenderet. Vt hoc ergo periculum euitetur, ad sectionem tutò accedere fas erit, quod Galenus 14. methodi admittit, cùm caudæ muris instar gurgulio elongatus fuerit, si nimirum iam liuescat, & ad albedinem vergat, nec non leuioribus alijs adhibitis præsidijs nequaquam cesset.

SYNCATATHESIS.

NVlla prorsus erit in sententijs discrepantia, si verba medullitus penetrentur; nam in Prognosticis damnat gurgulionis sectionem quandiu rubidus, ac magnus fuerit, quod idem est, ac dicere, quandiu fuerit inflammatus. Libro verò de morbis vuę sectionem commendat, dummodo maxillę ab vtraque parte inflammatæ non fuerint; ait enim: *Si verò ipse morbus per se consistat, maxillis non inflammatis, minùs moritur*, & statim subdit: *cùm sic habuerit* (idest quando per se consisti, maxillis non inflammatis) *gurgulionem digito apprehensum sursum ad palatum apprimito, & summam ipsius partem præsecato*. Vt obique ergo Hippocrates vuæ inflammatę sectionem interdicit:

ANTIPHΩNIA XXVII.

In pleuritide an sit mittendus sanguis.

THESIS.

LIbro de victus ratione in morb. acut. num. 12. sanguinis missionem in pleuritide pluribus præscribit, atque extollit Musageta noster; audiamus: *At si quidem dolor ad clauiculam de se significationem præbeat, aut grauitas ad brachium, aut circa mammam, aut supra septum transuersum, venam secare prodest in cubiti flexuram internam, & non cunctari copiosum sanguinem detrahere, donec multò rubicondior fluxerit, aut pro puro, & rubicundo liuidus, vtrunque enim contingit*.

Thesis vix vlla eget probatione, quando sancitum apud omnes Iatrophysicos est, nullũ esse in internis affectionibus auxilium præsentaneum magis, quàm sanguinis missionem; quibus si accedat communis antiquorum, ac neotericorum omnium consuetudo sanguinem in pleuritide statim educendi, nihil est, quod ad sententiæ probationem vltrà afferri debeat.

ANTITHESIS.

L Ibro de humoribus, qui, Galeno arbitro, Hippocratis est genuinus, sanguinis missio in pleuritide palàm detrectatur his caracteribus: *Hæc verò missionem prohibent in ijs qui sanguinem expuunt, anni tempus, pleuritis, bilis*; quod sexto Epidemion section. 3. textu vltimo repetit his verbis: *Impedimentum in cruenta spuentibus anni tempus, pleuritis, bilis*: Et vt sententiæ veritati maius adderet precium in Coacis prænotionibus iterum inculcauit ijs vocibus: *Dolores, qui latus inuadunt in febribus, æqualiterque ibi absque signis subsistunt, phlebotomia offendit.*

Id autem verum esse quoad pleuritidem, ratio dictat, quoniam in internis omnibus inflammationibus, Galeno, & experimento magistris, vna salus in virium robore consistit; quare cùm sanguinis missione viribus plurimũ detrahatur, vnde insuper anacatharsis cohibetur, quæ in morbis pectoris salutem pollicetur, vtique phlebotomia vix locum habere poterit.

Rursus pleuritis à sanguine oriunda, & in qua iam cruentum apparet sputum, omnium vtique est mitissima, breuique tempore absoluitur, quamobrem non est opus magno remedio, cuiusmodi est phlebotomia.

Astipulatur Auicennas, qui 10. 3. tract. 3. cap. 6. dicebat: *cùm accidit sputum sanguinis ex catarrho, & non est catarrhus acutus valde, & cholericus, non phlebotometur homo.*

SYNCATATHESIS.

L Eonardus Fuksius vir alioquin sagax, ac macte ingenio antithesis huius mysterium soli Hippocrati perspectum esse, tradidit, neque vltrà suæ perspicaciæ vires explicare contendit, atque adeò se ipsum gloria, Hippocratem lumine defraudauit. Nos dicamus, non esse in omni pleuritide sanguinem detrahendum ex Hippocrate, sed in illa duntaxat cuius dolor ad claviculam pertingit; in illa verò, quæ inferiores costas premit, vergitque, vt ille dit, ad hypocondria, medicamento potius purgante agendum, vt in aphorismis, & libro de victus ratione in acutis apertè declarat. Hinc igitur fit, vt libro de locis in homine, tertio de morbis, nec non libro de affectionibus Præceptor ipse

se

se varias pleuritidum ideas, atque curationes percurrens, sanguinis missionem alto silentio prætereat; quin etiam in Coacis prænotionibus in pleuritide, quam exigua febris comitetur, perniciosum esse, dicat sanguinem mittere, vt infra dicetur.

At meliùs, pleniùsque conciliabitur sententia, si verba illa tum libro de humoribus, tum sexto Epidemiorum intimè perpendantur: *hæc verò missionem prohibent in ijs, qui sanguinem expuunt &c.* quasi ille sentiat, à sanguinis missione in pleuritide abstinendum, cùm iam cruentum expuitur, quòd tunc breuior, ac securior sit morbus iuxta illud 1. aphorismor. 12. *vt si ineunte pleuritide expectoratum illicò appareat, breuis est morbus*; etenim quæ à sanguine pleuritis fit, mitior existit, ideòque sanguinis missionem, quæ magnum est remedium, haud exigere videtur: & licet 3. de morb. num. 19. sanguinea pleuritis fortis, dolorosa, & letalis dicatur ab Hippocrate, intelligit tamen cùm sanguinea pleuritis ruptiones habet, vt ille ait.

Porrò haud ignoro, prolixam fieri ne dum strepitosam apud Authores quæstionem, an in pleuritide, vbi sanguineum expectoratum redditur, sanguinem elicere conueniat; & licet in varias opiniones Neoterici distrahantur (quas expendere non est nostri instituti) vno tamen Galeni arbitrio satis definitam existimo; is enim sexto Epidemiorum sectione 3. in commentario illius textus adducti: *Impedimentum incruenta spuentibus anni tempus, pleuritis, bilis*, aperto sermone tradit, abstinendum fore à sanguinis missione in pleuritide, quandocunque cruenta anacatharsis adest. Verba, licet paulò fusiùs, registrare lubet, vt quæ apprimè sanam doctrinam continet, & litem non leuis momenti dirimere valent: sunt autem hæc: *Solùm verò videtur repugnare, quod de lateris dolore subiungit; propterea quòd affectus sanguinis missioni non aduersatur, sed eam postulat, nisi vires, aut anni tempus, aut ætas vetent; quo circa videtur id, quod ait, habere hanc sententiam: Iis, qui cruenta expuunt, secanda omnino vena est quantum ad hoc pertinet, nisi propter lateris dolorem huiusmodi expuant: His enim non iam omnino venam secabis, quasi sanguinem excreantibus: sed proprijs distinctionibus morbo lateris aptis; quæ hominibus ita affectis aut mittendum, aut non mittendum sanguinem, docent. Id autem mihi tum in mentem venit, cùm librum de humoribus explanarem: Interim enim quendam ægrotum vidi, qui cùm sanguinem ex dolore lateris screaret, me, quasi sputo sanguinis laboraret, accersiuit. Ego verò cùm sputum conspexis-*

ſem, ab eo quæſiui, ſenſum ne vllum doloris in coſta ſentiret, nec ne; illeparuum quendam ſubeſſe, faſſus eſt: Erat autem eo habitu, iiſque viribus, vt ſi ſanguinis ſputo laboraſſet, quando res vrgeret, ad venæ ſectionem aggredi auſus eſſem; ſed cùm dolor lateris mitis eſſet, neceſſe non habui; itaque hoc remedio vſus non ſum. Planè autem apparuit, ipſum hominem morbo lateris obſideri; & alijs auxilijs hunc ad morbum accomodatis, omiſſa venæ ſectione, conualuit: nam cùm cruenta excreantur, mitiſſimi eſſe hi morbi ſolent. Confirmat Galenus hanc eandem ſententiam tertio commentario in librũ de humoribus in explanatione textus ſupra in Antitheſi relati. Videat, qui cupit, ne ſi referam, prolixior audiam. Nec ſanè video, cur Valleſius in commentario eiuſdem ſententiæ Galenum redarguat aliam in medium afferens expoſitionem, quæ tamen mihi parum arridet.

Porrò tanti fecit Hippocrates hanc veritatem, vt non contentus libro de humoribus, & ſexto Epidemiorum illam promulgare, etiam in Coacis Prænotionibus repetat ijs verbis iam ſupra relatis: *Dolores, qui latus inuadunt in febribus, æqualiterque ibi abſque ſignis ſubſiſtunt, phlebotomia offendit*; vbi Duretus alter Hippocratis genius poſt multa, eaque prudenter, ac ſcitè dictata hæc appoſuit digna, vt regiſtrentur: *Sed reuertor ad ſuperam* (ideſt pleuritidem, quæ ad clauiculam aſcendit) *cui quidem ſic comparata eſt ratio, vt ſi tum ex facili, tum cito, & liberaliter expurgetur, ac ſputo flauum exactè permixtum ſit, tum careat omni excurſu, quem ciet febris, omnique coriza, & vrinarum bella ſit coloratio, phlebotomiam non exigat, ſed reſpuat potius, & auerſetur: quoniam detrahendo ſanguinem, ſputum, quod omni arte ciendum erat, retrahitur, ipſaque ſiſtitur anacatharſis, quæ liberalis erat, & libera, quæque ipſa per ſe facit, vt nihil opis requirat pleuritis à medico, quia tum ſua ſpontè quieſcit.* Statuatur ergo, in pleuritide, ſi ſputum ſtatim cruentum cum mitioribus ſignis κριτικῶς appareat, ſanguinem nullatenus ex Hippocrate detrahendum eſſe. Si verò ſputum aut nullum appareat, aut ſi cruentum etiam explendeſcat συμπτωματικῶς tamen reijciatur comitantibus ferocioribus ſignis, atque ſanguinis plenitudine, ſemper hauriendum eſſe. Et hæc ſatis pro ſimplici conciliatione pugnantium apud Hippocratem ſententiarum: Alioquin qui hanc quæſtionem pleniſſimè, ac doctiſſimè exagitatam perlegere aueat, librum quartum Epiſtolarum adeat laudatiſſimi viri, ac Profeſſoris celeberrimi Iulij Cæſaris de Benedictis Aquilani, qui verè Patriæ ſplendor eſt, & Romani gymnaſij decus.

Finis Tertij Libri.

HIP-

HIPPOCRATIS COI MEDICORVM PRINCIPIS ΑΝΤΙΦΩΝΩΝ.

LIBER QVARTVS.

Qui continet ea, quæ ad res non naturales dictas attinent.

Quarto Hippocraticarum contradictionum libro argumentum præbent res non naturales, quæ vt ægris, & sanis maximè necessariæ, ita vsum præstant omnibus meliorem. Intende, lector, quisquis es, Medicinæ sacris licet nihil initiatus, nam tua res agitur; siquidem præsentem seruare incolumitatem omnium interest. Cæterùm ordinem, ac stylum nostrum iam diu nosti.

ANTIPHΩNIA PRIMA.

Aer, seu ventus, & aqua num nutrire valeant.

THESIS.

Libello de Corde apud Æsculapium Coum hæc exarata leguntur. *Quomodo hominis alimentum sunt ventus, & aqua cruda?* Et sanè quòad ventum, siue aerem quis dubitet nullam illi nutriendi facultatem inesse? Hem! Si hoc esset quantò, faciliùs ad nutricatum ora nostra Zephiris exponeremus, & Austro? quantò minori studio,

ac sumptu alerentur homines? Minori studio quidem, quoniam vt secunda vigesimi libri epistola indignabundus exclamat Seneca: *Aspice culinas, & conuersantes inter tot ignes coquos nostros. Vnum quidam putas ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus? Aspice vinaria nostra, & plena multorum sæculorum vindemijs horrea nostra; Vnum putas videri ventrem, cui tot regionum vina clanduntur?* Minori etiam sumptu, quoniam, vt idem declamat; *Quicquid auium volitat, quicquid piscium natat, quicquid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus. Cæsar Augustus*, eodem Seneca teste in epistola ad Albinam, *centies sestertiò cænauit vna die, & in hoc omnium adiutus ingenio, vix tamen inuenit quomodo trium Prouinciarum tributum vna cæna fieret. Apicius cùm sestertium millies inculinam congessisset, cùm tot congiaria Principum, & ingens Capitolij vectigal comessationibus hausisset, ære alieno oppressus rationes suas tunc primum coactus inspexit, superfuturum sibi sestertium centies computauit, & velut in vltima fame victurus si sestertio centies vixisset, veneno vitam finiuit.* At quò calamus effluxit ab Hippocratica deflectens linea? Vagari iam desinat.

Quò ad aquam verò, nutriat, nec ne, longa fuit olim controuersia, non nutrire autem contendunt & iure meliores Philosophi; siquidem nulla est in aqua pars ad nutricatum idonea, aqua enim nullo modo crassescit, vt 4. Meteoror. Aristoteles docet; imò nullum elementum absolutè alere posse, saniori arbitrio creditur; quod si vinum ipsum, in quo sapor, odor, color, aliarumque mixtio qualitatum vsque adeò iucunda reperitur, nutricium esse, inficiantur non pauci, quantò minus aquæ saporis, odorisque omnis experti alimentum vllum acceptum referri poterit? Ideoque Præceptor ἐρωτηματικῶς, idest per modum interrogationis, & quasi indignabundus ait? *Quomodo hominis alimentum sunt ventus, & aqua cruda?* Rursus lib. de humidorum vsu nullam aliam aquæ facultatem tribuit, quàm humectandi, calefaciendi, & frigefaciendi, ait enim: *Verùm ad corpus nosse oportet, quod hæc aut madefacit, aut frigefacit, aut calfacit, aliter verò nulli commodat, aut detrimento est potata.* Hinc 3. de ratione victus in acutis commento 17. aiebat Galenus. *At quæ nullo modo nutriunt, sicut aqua, neque virtutem imbecillitare, neque roborare, verè posse dicerem.*

Atqui hic delicati ingenij lector quæret, cur dicat Hippocrates *Aqua cruda?* & num eadem si decoquatur, alere potis sit? Pulchrũ sanè quæsitum, cui tamen breuiter responsum velim, neque decoctam aquam alibilem esse, quoniam neque coctione crassescit,

aliasue

aliasue inde adipiscitur qualitates; quare Hippocrates loquitur ibi de cruditate naturali, & genuina, nam legunt alij: *Quomodo in hominis alimentum cedunt ventus, & aqua, cruda cùm sint?* hoc est coqui inepta, quod scilicet nullas obtineant partes crassescere paratas; & sic particula *Cruda*, in plurali numero (habetur enim græcè τὰ ὠμά) refertur & ad ventum, & ad aquam, quibus nulla inest coctibilis, idest alibilis portio; nutriunt namque ea duntaxat, quæ coqui apta sunt, quoniam solùm, quæ coqui possunt, assimilari valent. Splendidior hæc veritas elucescet ex verbis ipsius Hippocratis in libro de vict. ratione in acut. num.30. vbi leguntur hæc (loquitur autem de aqua) *Nam & tardi transitus est, eo quòd frigida est, & cruda, ac incoctilis*; idest indigestibilis, quod colligitur ex verbo ipso græco, habet enim textus ἄπεπτον.

Cæterùm illa omnium validissima ratio censeri debet, quòd si ex ijsdem nutrimur, ex quibus sumus, vt est Philosophi dogma, cõpertum vtique est, omnia ex omnibus simul mixtis animalia coalescere, nisi quis velit insano arbitrio assentiri Thaleti vnum omniũ rerum elementum statuenti aquam; quin illud insuper liquidiùs constat, non nisi ex viuentibus elici alimenta, eo discrimine quòd quæ perfectiori viuunt anima, perfectius tribuũt alimentum, ideòque animalia præstantiùs nutriunt, quàm vegetabilia, & præter hæc nihil aliud, quicquid spagyrici de auro illo potabili blaterent, deue lapide illo Philosophorum somnient.

ANTITHESIS.

SEd primo de Diæta num. 4. antilogos apparet Hippocrates, dum litteris commisit hæc: *Ignis verò omnia per omnia mouere potest, aqua verò omnia per omnia nutrire*. Confirmat libro de flatibus num.7. vbi cùm statuisset, hominum, & reliquorum animantium corpora triplici sustentari alimento, quodq; sit trigeminum istud nutrimentum, mox explicans ait: *Horum autem nutrimentorum nomina hæc sunt cibus, potus, spiritus; ac spiritus quidem qui in corporibus sunt, flatus vocantur, qui verò extra corpora existunt, aer*. Rursus libro de affectionibus num. 52. videtur Præceptor aquam recensere inter ea, quæ corpus augent, roborant, atque alunt: Verba nec supprimam ipsa: *Cibaria, & potus & obsonia, excepto pane, & maza, & carnibus, & piscibus, & vino, & aqua, reliqua omnia tenues, ac debiles vtilitates exhibent ad augmentum, & ad robur, & ad sanitatem*. Et in hoc fortè astipulari placuit Home-

ro,

ro, qui aquam τροφιμώτατον, hoc eſt ſummè nutrientem dixerat; neq; aliter ſentit 2. de plantis Theophraſtus. Imò & homines nonnullos per menſes, & annos aqua ſola enutritos fuiſſe, tradunt Albertus magnus libro de animalibus, & Cælius Rhodiginus in lectionibus antiquis. Sed alia Hippocratis auctoritas pro corollide accedit ex 3. de ratione victus in acutis 19. vbi habentur hæc: *ſed mulſa, quàm aqua multo potentior eſt ſola epota*. In cuius textus commentario Galenus inquit, Hippocratem illa voce, *Potentior* indicare, aquam etiam nutriendi vim obtinere aliquam. Neque tandem reticendus erit Ariſtoteles primo Problem. 13. vbi quærit *Cur mutationem aquarum grauem, aeris verò non grauem affirment? An quod*, reſpondet, *aqua corporibus alimentum eſt, aer autem nullum exhibet alimentum?* Quid plura? Galenus idem de pulſibus ad Tyrones cap. 24. hæc addit: *Aqua omnium, quæ offeruntur, minimum alimentum præbet*; Si minimum, ergo aliquid.

Id autem vnico piſcium adducto exemplo, quod ſpectat ad aquam, ſatis probatum dixerim; hi namque intra maris, fluminumque ſinum perpetuò degentes aqua ſola victitant: Quòd verò ad aerem facit, ſatis erit Chamaleontis meminiſſe, quem ſolo aere vitam traducere vulgata eſt opinio, vnde vel in illos, qui parciſſimè comedunt, id efferri ſolet adagium: *More Camaleontis*. Refert adhuc Ioannes de Mondouilla in ſuo itinerario, Inſulæ cuiuſdam Francan dictæ incolas gentes pumilas ſyluestrium pomorum duntaxat odore nutriri. Inſuper Andreas Eburenſis homines quoſdam ſolo aere vitam tranſegiſſe, tradit, & Hermolaus, ſacrificulum quemdam recenſet, qui ſolo aeris inſpiratu per totos quadraginta annos in vita ſuperſtes manſerit, vt relinquam illius Philoſophi amitam apud Ariſtotelem, quæ ſola in ſole mora paſci conſueuerat.

SYNCATATHESIS.

De aqua, vti purum eſt elementum, libello de corde Hippocrates verba facit, quomodo nullum prorſus alendi facultatem obtineat, cùm, vt ipſe ait, cruda exiſtat, hoc eſt, vt explicauimus, nullas ad pepſim idoneas obtineat partes; Cũ terreis verò exhalationibus, & ſecũdis quibuſdã qualitatibus permixta imperfecta quædam animalia nutrire valet; & hinc eſt quòd piſces maris aluntur aqua, hæc enim, vt ſalſedo indicat, ſimplex, & pura non exiſtit, vt relinquam, quod inter piſces alij alijs pro nutri-

tricatu inseruiunt, dum maiores minores alterius speciei deuorant; & vel intra immensum Oceani sinum ex Naturæ quadam prouidentia semper inueniuntur frutices, folia, animalium cadauera, & annonæ cuiusque generis diues congeries vel casu, vel vi tempestatum effusa.

Ad ventum quod spectat; quæ de Chamaleonte asseruntur melioris notæ, & iudicij viris falsa putantur: quare Niphus inter alios vulgatam, & vulgarem hanc opinionem conuellit, errorem que istum inde ortum esse, ait, quod Chamaleon per octo, decemue mensium spatium absque cibo interdum viuit, atqui ex eo asseuerare nefas est, illum solo aere semper nutriri; siquidem glyres etiam, vrsi, & serpentes integram absque victu transigunt hyemem, nec tamen hæc solo aere vitam sustinere, par est existimare. Adde insuper ex Bellonio (& est herculeum contra vulgi credulitatem argumentum) quod nimirum frustra natura partes coctioni dicatas in Chamæleonte efformasset, linguam, palatum, ventriculum, intestina, aliaqua plurima altricis facultatis organa, si nullum in illis parari, & excoqui debuisset alimentum: At natura nihil facit in cassum; Præterquàm quòd muscas venatur palàm, aliaque animacula arboribus inserta; quo consilio sesquipedalem linguam à natura obtinuit: Quin etiam Bellonius idem facta Chamæleontis Anatomica dissectione præter muscas inuenit quoque intra viscera locustas, erucas, & scarabeos. Atque pari ratione respondere licebit ad id, quod asserebatur de odoribus, quibus Astomi, & gentes illæ nutriebantur, quòd scilicet sit vel Plinij somnium, vel omnino commentitium, quò ad veram nutritionem.

Cæterùm quò ad spirituum quamdam refectionem non sum iturus inficias; cùm libro de alimento Hippocrates his verbis edixerit: *Et quicunque veloci appositione opus habens, his humidum ad reficiendas vires medicamen optimum, quicunque verò adhuc velociori, per olfactum*; id quod libro eodem numero 7. annuerat inquiens: *Principium alimenti spiritus nares, os, guttur, pulmo, & reliqua respiratio.*

At verò primo de Diæta aquę nomine Magister humidum radicale, ac primigenium intelligit, quo à primordijs generationis nutrimur; quemadmodum ignis nomine primum illum denotat calorem implantatum, qui omnia per omnia mouere potest, hoc est functiones cunctas ad vitam vtiles, aut necessarias obire; quo nimirum spectat illud libri de Carnibus: *Et videtur sanè mihi id, quod*

sanè

sanè mihi id, quod calidum vocamus immortale esse, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & scire omnia tum præsentia, tum futura Sic etiam 2. de Diæta num. 17. idem Præceptor aquæ, & ignis nomine humidum radicale, & primigenium calorem indigitat manifestè ijs verbis: *Ex igne, & aqua omnia constituuntur, & animalia, ex terra nascentia, & ex his augescunt, & in hæc secernuntur, ac resoluuntur.*

His omnibus postremo addi posset, quòd aqua eatenus nutrire dici posest, quatenus alimenti vehiculum sit, illudque ad alendas particulas adducit, ideòque vocatur à Galeno ὀχημα τροφῆς. Audiamus Plutarchum 6. symposiacωn quæstione tertia, vbi hæc: *Humor enim ciborum reliquias aridas, & exiles rigans, ac diffundens succo ingenerato, & exhalationibus eas offert in corpus, indigentibusque applicat partibus, itaque non malè Erasistratus humorem cibi vehiculum dixit, nam quæ ob siccitatem, aut aliam affectionem ignaua sunt, & grauia admixtus attollit, sursumque euehit; multi autem etiam cùm non bibissent, sed tantum lauissent, continenti fame, acrique liberati sunt, quippe humor extrinsecus subiens succulentiora facit, adque nutriendum aptiora, quæ sunt intus, ita vt vehementia, & sæuitia famis remittat & mitigetur. Ideò eorum quoque qui inedia vitam finire volunt, multi diu durant sola aqua pota, tantisper scilicet non omne id siccitas absumpsit, quod apponi corpori idque alere potest.* Et hinc enodari, soluique poterunt auctoritates ex aduerso allatæ: Vnum denique illud haudquaquam silentio inuoluam, Galenum in libro illo ad tyrones non dixisse, aquam minimum alimentum præbere, sed minimam mutationem, queadmodum obseruat prudens Vallesius.

AN-

ANTIPHΩNIA II.

In hyeme, an verò in estate plenior cibus assumi debeat.

THESIS.

PRimo Aphorism. 15. decantata parœmia, semperque in ore Medicorum resonans legitur: *Ventres hyeme, & vere calidissimi sunt, & somni longissimi, qua propter in his temporibus alimenta plura sunt exhibenda:* Sentit idem libello de humoribus num. 29. vbi habet: *Et vt terra stercorata hyeme calida, sic & aluus:* Confirmat lucidiori sermone lib. de salubri Diæta vbi hæc num. 1. dicuntur: *Hyeme quidem comedere quamplurimum, bibere autem quam parcissimè.* Sententiæ rationes nec desunt, quippe alimenta analogia quadam æquari debent caliditati, hæc in hyeme per antiparistasin in cauitatibus & congregatur, & augetur, igitur pabulum exigit vberius, secus in humores, & carnes conuersa, has colliquefacit, illos exhaurit. Addatur, quòd cùm somni prolixius in hyeme ducantur, & somno ad viscerum penetralia natiuus calor reuocetur, fit inde, vt celerior, & melior coctio in ventriculo celebretur, atq; adeò alimenti plenior copia toleretur. His adde orexin, quæ acutior in hyeme, quàm in æstate prurit id quod maioris excretionis, atque exhaustus est indicium, quo consilio dixerat quoque in Aphorismis Præceptor æstate, & Autumno cibos difficillimè, hyeme facillimè ferri; Quibus astipulatus Latinus Hippocrates lib. 1. cap. 3. hæc scripserat; *Hyeme plus esse conuenit, minus sed meracius bibere, multo pane, vti carne potius elixa, modicè oleribus*; quibus tamen in verbis mendum esse, dubium non est, nam *carne potius assa* legi debet, vt in Hippocratis libello de salubri diæta expressè habetur. Eiusdem arbitrij fuit & Aegineta libro 1. de sanitate tuenda cap. 53. vbi sic. *Hyeme quidem, & fortiori exercitatione, & pleniori cibo vtendum est, præcipuè si tempestas aquilonia fuerit.*

ANTITHESIS.

AT libro 3. de Diæta, vbi ex professo victus rationis singulis anni temporibus aptatæ meminit, num. 3. sibi ipsi aduersatur his verbis: *In hyeme quidem igitur tempore frigido, & compacto se opponendo hoc victu vti conducit; primum quidem semel tantum in die cibum capere conuenit, nisi quis valde siccum ventrem habeat: Id verò si fieri non possit, modicum prandere.*

Neque sanè est à ratione aliena hæc propositio; siquidem hyemali tempore ventres, & vniuersum corpus pituitosa colluuie scatent (augescit enim, dominaturque in hyeme ex Hippocrate pituita), quæ calorem hebetat, pessimque retardat, immò & inficit; Quòd si eodem Præceptore arbitro in Aphorismis; *corporibus humidas carnes habentibus famem adhibere conuenit*, vtique in hyeme, in qua ob magnum pituitæ affluxum perhumida sunt corpora, inedia, ac tenuiori cibo corrigenda erit vda nimis intemperies. In quem pariter finem libro de salubri diæta hanc tulerat legem: *Sex menses hybernos vomendum est, hoc enim tempus pituitosius est æstiuo*; Quid multa? Corpora in hyeme non bellè transpirant occlusis à frigido ambiente meatibus, ergo superflui minor fit exhalatio, quare corporis florescentia, vt vocat Hippocrates victus paucitate compescenda erit.

SYNCATATHESIS.

VIndicabimus ab omni antilogiæ crimine Præceptorem, si dicamus, posse quamplurima comedi, licet semel in die quis conuiuetur, & sic semel in die, & plurima in die nequaquam sibi opponi. Sunt enim verò, qui prandent, & adeò lautè, vt cœnæ indulgere nequeant, contra nonnulli tam frugi prandio, cœnaque vtuntur, vt longè minùs edant, quàm alius quispiam in ientaculo. Plurimum igitur alimentum in hyeme poterit quis adhibere vel partitis vicibus, vel vnica mensa, Qui ampliori ventriculo præditi sunt, vnico haustu, vel scilicet in prandio, vel in cœna, poterunt alimento vberrimo repleri, qui verò imbecilliori, & angustiori stomacho donantur, in prandium, ac cœnam tutiùs, ac salubriùs ciborum partiantur vbertatem. Cæterùm ideò fortè 3. illo de Diæta Magister semel in die cibum capi in hyeme, iubebat, quoniam, cùm lautioribus cœnis antiqui indulgere consueuissent,

expe-

expediebat tum ob dierum breuitatem, cùm ob pituitæ in ventriculo congeriem interdiu vacare à mensis, ad vesperas verò iuxta consuetudinem opiparè conuiuari, quomodo licet plurimum edatur, susque deque alimentorum copia distendatur ventriculus, nequicquam lædat, quoniam viginti horarum spatio segnis quicunque calor, imò & κακοστόμαχοι opulentiores quascunque epulas conficiet, nec interim ab omisso prandio quicquam Natura tristabitur.

ANTIPHΩΝΙΑ III.

Semel, an bis in die cibum sumere magis expediat.

THESIS.

Libello de salubri Diæta magnus Medicorum arbiter monumento tradidit, ventriculum ab assumpto semel tantum in die cibo maximè incalescere, atque adeò meliùs coquere: Verba sunt illa prorsus: *Oportet autem sub hoc tempus semel duntaxat cibum sumere, sic enim quammaximè concalescit ventriculus, & ea, quæ ingesta sunt, exuperauerit*. Sermo est autem ibi de ijs, qui cruditate, ac bradipsia afficiuntur: Nec profectò rationes, eæque efficaces desunt isthanc thesim suadentes, quarum.

Prima esto, quòd semel duntaxat in die assumpto cibo, calor non adeò coquendo fatigatur, atque adeò quambreui tempore nequit, longiori potest coctionem absoluere, & si quæ inde pituitosa producantur excrementa, expellere, ac dissoluere aptiùs valebit. Enim verò nihil magis natiuum stomachi obruit calorē, quā repetita comestio, non dum ijs, quæ priùs ingesta fuerant, æquatis, ac digestis. Agens in agendo repatitur, quare licet coquendo calor aliquo modo consequenter refoueatur, redditur etiam & modo quodam debilior; quò sanè collimat Hippocratis illud in Epidem. *Labor articulis, cibus, & somnus visceribus*; quibus verbis nos monitos fecit, quòd quemadmodum labor articulos fatigat, sic cibus, & somnus viscera premit: Neque de somno id mirum alicui videri debet, siquidem libro de Diæta Hippocrates diutur-

num somnum viscera excoquere, atque etiam plurimùm extenuare, tradit, si ieiuno potissimum stomacho dormiatur. Vir quidam Romano sanguine illustris pinguiori præditus corporis habitu, formosissimę, simulque opulentissimę Heroinæ incensus amore, negligebatur ab Amasia eo nomine, quòd esset obæsus; Id miser cùm resciret.

Improbe Amor quid non mortalia pectora cogis?

extenuari, & gracilescere studens enixius, summo mane longam, & laboriosam ambulationem peragebat, mox producto sese tradebat somno. Hinc autem vsque adeò extabuit, vt perierit consumptus aruinam, & amorem cum vita deponens. Sed παρέργον.

Præterea naturale vnum quodque agens, vt iugi, & perpetua actione infirmatur, ita si aliquandiu vacet ab opere vires acquirit, & recreatur. Si ergo semel in die ventriculus edulorum coctioni indulgeat, quiescet aliquandiu, donec resumpto robore ad nouam coctionem alacriùs resurgat. Prisco sæculo homines iccirco salubriorem traducebant vitam, quoniam frugalitati studebant sedulò, edebantque solùm, vt viuerent, nam vero verius est, quod qui parcè edit, parcèque bibit, vix vnquam acutis tentatur morbis; quod & Vates licet Iatricæ scientiæ ignari intellexere, vnde Horatius 2. libro, Ode 16.

Viuitur pauco bene. & Claudianus secundo ad Ruffinum.

Viuitur exiguo meliùs.

Audierant fortè Senecam dicentem 15. epistolarum prima. *Vide quantum rerum per vnam gulam transiturarum permisceat luxuria terrarum, marisque vastatrix, innumerabiles esse morbos, non miraberis*. Inde iure in helluones sui, & nostri sæculi inuehebat Venusinus idem 2. satyra 2. libri ijs metris.

Accipe nunc victus tenuis, quæ quantaque secum
Afferat, in primis valeas benè, nam variæ res
Vt noceant homini credas, memor illius escæ
Quæ simplex olim tibi sederit, at simul assis
Miscueris elixa, simul conchilia turdis,
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita.

Sed retraho calamum per Poetarum laureta olim vagari consuetum, & ad vnum Hippocratis frugiferum agrum refero.

Cibum denique sæpiùs in die sumptum insalubrem esse, monent quotidiani euentus, nam quotquot sæpiùs in die comedunt, bibuntque

duntq; in horas, adeò vitali calore infirmantur, vt breui in obstru-ctiones, apepsiam, hydropem, & morborum ilias incidant. Au-scultemus Hippocratem libro de veteri medicina num. 19. *Alteri enim si pransi fuerint, idque eis non conducat, statim graues, & cor-pore segnes fiunt, itemque mente pigri, hiatuque, ac oscitatione, & dor-mitatione, & siti pleni. Si verò etiam insuper cœnauerint, & flatus, & tormina, & aluus effringitur, & multis magni morbi principium hoc fuit, si eosdem cibos, quos semel insumere consueuerint, bis assumant, & nihil his amplius.*

ANTITHESIS.

SEd hæc omnia quarto de ratione victus penè abiurans, hæc habet: *Cibum, qui semel in die capiunt, hi & impotentes sunt, & calidam vrinam mingunt præter consuetudinem vasa vacua habentes, fit autem & os salsum, & amarum, & in opere tremunt, & tempora ipsis distenduntur, & cœnam concoquere non possunt, veluti si pransi essent.*

Id quoque & ratio suadet, nam calor natiuus ab inedia rarefa-ctus, & infirmatus munere suo defungitur: transitus enim ab ocio ad negocium laboriosior est quàm à negocio ad ocium: Come-dit quis lautè, opiparèque, vnde ventriculus distentus, & onera-tus fuerit? Ieiunet, abstineat, ac noxa cedet ocyùs. At non sic è contrario: Ieiunauit quis diu? si ad pleniorem cibum se con-uertat, lædetur apprimè, virtute sub onere fatiscente. Ita videre est eos qui longam perpessi sunt famem, cùm primùm escas recipiunt opprimi, & mortem subire à cibo. Atque hinc dictum arbitror in primo Aphorismorũ, ægros in tenui victu magis delinquere, & si sit errandum, in paulò potius pleniori victu delinquendum esse, vnde Thessalus, omnesque diatritarij condemnantur.

Rursus quandocunque calor suo defraudatur pabulo, humido sodali fruitur acriùs, vnde partium colliquatio, humorum exhau-stus, spirituũ dissipatio sequitur, & ab his totius corporis impoten-tia, languor, tremor, ac tabes, quod longè faciliùs, citiùsque contin-git ijs, qui calidiori temperie feruent. Idipsum exarauit basilicè, vt solet, Hippocrates libro de veteri Medicina num. 19. vbi hæc le-guntur: *Alteri si prandere consueuerunt, idque ipsis conducat, & non pransi fuerint, mox vbi tempus præterierit, statim impotentia vehe-mens, tremor, animi deliquium, postea oculi pallidi, vrina crassa, & calida, os amarum, & viscera pendere ipsis videntur, vertigo, ira-*

cundia, tristitia. Hæc autem omnia, vbi cœnare tentauerint. Deinde autem pransuri consumere non possunt, quæ prius cœnarunt, atque hæc ipsa cum tormine, ac strepitu descendentia aluum concludunt, ipsique egrè dormiunt, insomniaque conturbata, ac tumultuosa habent. Huc vsque Magister.

Adde tandem corollidem. A longa inedia exauctus calor, acutiorque siccitate redditus, ciborum elixationi non sic idoneus redditur quia illos assat, exuritque potius; vt coquantur enim in ventriculo alimenta, fundi, ac liquari debent.

SYNCATATHESIS.

AT non est vnquam alius à se ipso Hippocrates, semper sibi constat, vbique symphonos xistit. Quare nuncupato libro de salubri diæta de ijs loquitur, qui cùm imbecillo ventriculo prædìti sint, calorémq; obtineant nimis effœtum, atque adeò bradipepsia laborent, bis in die cibũ assumere nequeũt, quòd coquere non valeant, si præsertim assueti non fuerint (nam consuetudinis magnum est robur) si verò semel assumant, calor ipse matura coctione parum defatigatus recreabitur & acuetur, atque adeò verum erit, ventriculum semel in die ab assumpto cibo maximè concalescere, vt Hippocrates ait.

Cæterùm quotquot vegeto calore ditantur, viuuntque inde famelici, suntque insuper assueti bis in die pastum inire, si fortè semel tantùm indulgeant mensæ, & casu relinquant prandium, quem in cœna mox adhibebunt victum, infaustò coquent duplici nomine, primò quidem, quoniam facti auidiores in cœna plus nimium assument, quàm par sit, vnde distentus, & oneratus potius ventriculus afficietur perperam; altero verò, quoniam exinanitus ventriculus, dum, quo fruatur, diutius caret alimento, prauis repletur succis vndique prolectatis, à quibus mox hebetatur, & obruitur ipsa coquendi facultas. Nimirum ventriculus, Hippocrate arbitro, est veluti corporis totius thesaurarius, qui dum ipse nutricio diffluit succo, vniuerso corpori distribuit, cùm autem vacuus est à cunctis repetit membris. Ita quarto de morbis expressè legitur. *Ventriculus dum plenus est, omnium horum corpori fons est, verùm vbi vacuus est, corpore fruitur colliquescente*: quod sanè vel ex ipsis Hippocratis verbis deduci potest in præfato textu de victus ratione in acutis, dum dicitur: *fit autem & os salsum, & amarum*, vnde humorum arguitur excandescentia, ac veluti partium colliquatio

quæ-

quædam. Et ex his prudenter Galenus 2. de victus ratione in acutis comment. 28. & Celsus libro 1. cap. 1. iubent, sanos homines bis in die potius, quàm semel cibum intumere. Enimverò tanta est insuper in hoc vis consuetudinis, vt ab illa solùm immutata diæta lædere magnopere valeat, quod luculentis verbis Galenus idem nuncupato libro de victus ratione significauit, inquiens: *Nam & his, qui bis in die cibum sumunt, & his, qui semel, repentinæ mutationes noxas, & ægritudines inducunt.*

Ne demum lectorum auiditati quicquam ad rem ex Hippocratis fontibus desit, afferam ex eodem libro de veteri Medicina integrum contextum, in quo summus Dictator rem totam definit, atque enarratarum sententiarum symphoniam præbet: hæc ergo num. 20. exarantur. *Et sanè puto his, qui, cibum sumere consueuerunt, quod non expectauerunt iustum tempus, donec ipsorum venter pridie ingestos cibos perfectè consumpsisset, & exuperasset, euacuatusque esset, ac quieuisset, sed in feruentem adhuc, & fermentatum nouos ingesserunt. Eiusmodi autem ventres multò tardiùs concoquunt, & maiori opus habent cessatione, ac quiete. His verò, qui prandere assueti fuerunt, quòd non vbi citissimè alimento corpus indigebat, & iam priora consumpta erant, nec habebat aliquam ampliùs fruitionem, statim ipsi nouum alimentum suppeditatum est; deficit autem, & consumitur præ fame.*

ANTIPHΩNIA IV.

Cibum in principio morbi num offerre liceat.

THESIS.

QVanti momenti sit opportuna victus ratio tum in morbis omnibus, cùm præcipuè in acutis, magnus Asclepij mysta docuit aureo illo de victus ratione in acutis opusculo, vbi contra Medicos antiquiores agens, qui nihil de ea ritè conscripserant, optima, & apprimè necessaria præcepta exarat; quin etiam aphorismorum libros editurus, statim ab initio victus ratio-

nem præſcribit, vt quæ ipſa per ſe ſola mederi valeat, reliqua vero artis præſidia irrita cedunt abſque diæta, quod adhuc 6. Epidem. ſect. 8. num. 43. ita proclamat: *Victus quantum cognoſci poteſt, non ignorare; calamitates enim multæ*. Præceptor itaque in præcitato libro de vict. rat. in acut. num. 20. diatritarios illos Medicos redarguit, qui primis diebus nihil prorſus ægrotantibus offerendum cenſebant, vnde extrema ęgris irruebat calamitas, ideòque minùs delinqui, ait, ſi primis diebus in pleniori cibo, vbi non conuenit, error committatur, quàm ſi nihil offeratur. Ipſum ſuo modo loquentem audiamus. *Multò tamen minùs lædunt, quæ hoc tempore peccata committuntur, quàm ſi primis duobus, vel tribus diebus vaſa quis omnino exinanierit, mox quarto, vel quinto die talem cibum exhibeat. Quin etiam multò deteriùs eſt, ſi quis totis his diebus vaſis antea exinanitis poſterioribus deinceps diebus ita victum inſtituat priùs, quàm morbus maturus euadat*; mox infra addit. *Hoc ſanè maximo argumento eſſe arbitror, nulla ſorbitione abſtinendum, in quibus paulò poſt futurum eſt, vt his, aut illis ſorbitionibus vti debeant.*

Confirmat primo aphoriſmorũ vniuerſali dogmate dum aphoriſmo quinto ait. *In tenui victu ægri magis delinquunt, ideòque magis læduntur, omninò enim magis in tenui diæta, quàm in paulo pleniori peccatur*. Eòdem inſuper collimat Hippocratis cenſura in Prodicum 6. Epidem. ſect. 3. quòd vir ille febricitantes interficeret laboribus indictis abſque cibo. *Prodicus interficiebat febricitantes curſibus, luctis, & calidis fomentis; malum febriculoſum inimicum fami, circuitibus, luctis, curſibus, frictioni; laborem labore ipſis*. Quid multa? Eodem primo Aphoriſmor. 4. ita decernitur. *Diætæ tenues, & accuratæ, cùm in morbis diuturnis in totũ periculoſæ, tum etiam in acutis morbis, maximè ſi loco, & iure non præſcribantur*. Iterum: *extreme tenues diætæ periculi plenæ*. Ratio inſtar omnium illa erit, quòd ſi ab ipſo morbi initio vires labaſcunt, in vigore omnino corruant, neceſſe eſt; viribus autem proſtratis, nihil eſt, quod de ſalute ſperare valeamus; vnica enim ſalus in acutis omnibus morbis virium in robore conſiſtit. Concidunt autem vires, vbi ſub ipſa morbi inuaſione tenuiſſima victus ratio vſurpatur, cum qua vel ad morbi vigorem ægri peruenire nequeunt, vel ſi perueniant, neceſſum fiet, vt in vigore ipſo præ languore dapſilè nutriantur non ſine morbi incremento, iubente Hippocr. primo Aphoriſmorum 8. cum morbus in vigore eſt, tenuiſſimam diætam adhibendam fore. *Cum morbus in vigore eſt, tunc tenuiſſima diæta vti par eſt*; inde ſubiungit tamen: *Sed vnà ſcire oportet, an æger tali diæta ad morbi vi-*

gorem sufficiat, ac numprius ille deficiat, nec ei satisfiat diæta, an verò morbus ante frangendus, atque concidat. Sed fortè nimius in his fui; plura tamen petenda ex libro de victus ratione.

ANTITHESIS.

HEm! qui potuit Magister hæc dogmata contra Gnidios consultò exarata, vel obliuioni vel contemptui habere? Tertio nãq; de diæta nu. 10. peculiaris cuiusdã plethoriæ signa proponens, & curationẽ ascribens, hæc tradit: *Si verò prouidentia nõ adhibita ad febrem peruenerit, nihil aliud afferre oportet præter aquam per tres dies; si quidem igitur ex hac sedetur benè est; sin minus, ptisanæ succo curandus est*. Confirmat libro de victu in acut. num. 19. in his verbis. *Multò autem minus ad additionem procedendum est, nam detractionem omnino tollere sæpè conducit, vbi suffecturus est æger, donec morbi vigor maturescat*. Dicti rationem si petas, offeram libens ex ipso Hippocrate in aphorismis: *Cibus, vt sano robur, ita ægrotanti morbus: Impura corpora quò magis nutries eo magis lædes: Vt morbi qui à repletione fiunt, inanitione curantur, ita qui à summa plethoria oriuntur, summa inedia auferuntur*. Adde, quòd non est natura à pepasmo ad pepsim auocanda. Igitur si fieri possit, vel sola aqua ab initio, vel ptisanæ succus offerendus. Parergon. Pro aqua, Philiatre, non elementarem simplicem intelligas, hæc enim frustra nutritionis gratia offerretur, vt supra docuimus, & libro de victus ratione in acutis ab Hippocrate in morbis omnibus damnatur, sed intellige aquam ex hordei decoctione, quæ morbo æquè aduersatur, ac naturæ studet.

SYNCATATHESIS.

LIbro de vict. ratione in acutis, & primo Aphorismorum Præceptor de morbis loquitur, & febribus à cacochymia oriundis, quibus videlicet non statim est vigor, in his enim confestim extrema victus ratio est adhibenda, vt in Aphorismis decernitur. At libro de Diæta de summa repletione, cui fit comes febris absque humorum impuritate, & corruptela verba facit, ideòque sola inedia, eaque extrema agendum. Neque dicas, Hippocratem primo Aphorismorũ de plenitudine Athletarũ auferenda præceptum tradentem dixisse. *Nec tamen extrema inanitio est molienda, qua vasa omnino concidant, hoc enim periculosum est*.

Etenim diuersa ratio est de plethoria, quæ iam morbum inflixit de qua 3. de Diæta, ac de plenitudine Athletica, cui solùm imminet morbus, de qua primo Aphorismorum; siquidem vbi iam præsens viget morbus à plenitudine, hanc remouere confestim expedit, ne æger ipse corruat: At vbi præsente plenitudine instat solummodo morbi periculum, non est, cur statim extremam inanitionem tenuissima victus ratione moliamur, sed sat est, si statim quidem, sed sensim detrahamus. Adde quod 3. de Diæta de inanitione facienda per inediam præcipuè loquitur; primo verò Aphorismorum de exinanitione per sanguinis eductionē patranda, quæ proculdubio si statim fiat, vasa concidunt magno cum periculo, vt Præceptor habet. Auctarium sume lector; Quandocunque Hippocrates extremam præscribit inediam, semper supponit, illam viribus haud imparem, & sic idem erit, si asseratur morbi ab initio extrema inedia vtendum non esse cum virium casu, atq; in eiusdem morbi principio tenuissimam tantum victus rationem adhibendam esse, dummodo vires ferant.

ANTIPHΩNIA V.

An liceat in morborum augmento cibum exhibere.

THESIS.

PRimo Aphorismorum 8. inuiolabili sancitur lege, ne quis in morbi auxesi, & vigore victu, nisi tenuissimo, vti audeat; verba sunt illa: *Cùm morbus in vigore fuerit, tunc tenuissimo victu vtendum est.* Sententiam eandem inculcat aphorismo eiusdem libri decimo, vbi habet: *Quibus igitur statim vigor est, statim tenuiter cibare oportet.* Et libro de victus ratione in acutis, tum pluribus in locis, tum num. 24. sic loquitur: *Deinde non est vtendum sorbitionibus priusquàm morbus maturus factus fuerit.* Quis autem ignorat, morbum in augmento non dum esse maturum, seu concoctum?

Habet autem in ratione fundamentum huiusmodi dogma; siquidem in morbi statu natura strenuè pugnat, & symptωmatum cohor-

cohorte, ac vehementia quasi opprimitur; & quia triunphum cogitat, non est ab ephodo sua auocanda, quod proculdubio fieret, si oblatis vberioribus alimentis à pepasmo ad pepsim distraheretur: & si fortè non auocaretur, cibus ipse tamen in cruditatem, aut etiam corruptelam abiret, morbumque augeret. Rursus in ἀκμῇ, seu morbi vigore maximè adsunt phlegmasiæ, vigor enim est morbi summum symptωma, quare victu dapsili augeri illæ non debent.

ANTITHESIS.

At primo de victus ratione in acut. nu. 6. in pleuritidis auxesi ptisanam pleniorem exhibendam esse, præcipit: sunt illa verba: *Ergo ne longiùs abeam, quò maior apparet purgatio, eò pleniùs ptisanam exhibebis, donec ad crisim venter sit*. Dixerat idem paulò ante sic: *Si verò os humectetur, & à pulmone prodeuntia, qualia oportet, fuerint, sorbitionis copiam, vt in summa dicam, augere oportet;* atqui sputum in pleuritide in principio aliquando, sæpissimè in augmento, & statu apparere solet.

Moniti huius ratio illa erit, quòd cùm pleuritidis materia per anacatharsim repurgetur, ptisana verò plurimùm illam iuuat, consequens est, vt quantò sputum affluentius exit, tantò ptisana largior exhiberi debeat, quatenus quamprimum vniuersa repurgetur systrophe. Addamus & id, quòd cùm in vigore morbi sit maius viribus opus, videtur consonum, vt naturæ laboranti suppetias feramus alibili succo, à quo roboratur.

SYNCATATHESIS.

Esto dialysis. In statu illorum morborum à cibo abstinendum, præcipit Magister primo Aphorismorum libro, in quibus vires titubant, atque opprimuntur materiæ morbificæ copia, & agitatione, non autem languent ab exhaustu, quo tempore proculdubio vel in ipso vigore ægros nutrire non expedit modò, sed maximè etiam necessarium est, vt Galenus 10. methodi testatur. Iam in ipsius pleuritidis ἀκμῇ, seu vigore, quando videlicet sputum liberaliùs expectoratur, quoniam metus adest, ne ab exhaustu vires concidant, fas est vberiori alimento præstò esse, atque adeò ptisanæ adijcere; sic enim constantes vires ocyùs, ac fæliciùs anacatharsim absoluent. Hinc bellè Heurnius, & basilicè valde, in commentario octaui illius aphorismi primi libri aiebat:

Non enim infirmitas doctum Medicum, sed causa infirmitatis terrere debet. Vt ergo ptisana dum nihil expuitur perniciosa est, dicente Hippocrate libro illo de victus ratione in acutis: Quin etiam si lateris dolor assiduus est, & ad calefactoria non remittit, & sputum non prodit, sed citra putrefactionem, ac concoctionem valde viscosum sit, si non soluerit quis dolorem, aut ventre mollito, aut vena secta vtrum tandem horum conducet: ptisanam autem ita habentibus dederit, cita mors talium continget. Ita vbi sputum probè reddetur, ptisanę vsus adauctus mirificè conducet.

ANTIPHΩNIA VI.

An liceat in febrium accessione ægrum nutrire.

THESIS.

VVlgata est parœmia ex primo aphorismorum 11. *In accessionibus subtrahere conuenit, offerre enim nocuum est.* Etenim tunc reflui sunt humores ad ventriculum, quare non est ille maiori onerandus molestia; quippe licet stomachus alimentis fruatur, non est tamen, quin ab iisdem aliquo modo afficiatur. Rem hanc luculentis verbis Præceptor idem enunciauit libro de victus ratione in acutis, vbi hæc num. 42. exarantur. *Postquàm verò medicamentum exhibueris, sorbitionibus vtere obseruans febrium exacerbationes, vt nunquam exhibeas, quum sunt, aut futuræ expectantur, sed vbi desinunt, aut quieuerunt, & quamlongissimè à principio: quum vero frigidi sunt pedes, neque potum, neque sorbitionem, neque aliud quiddam huiusmodi dato, verùm maximum hoc esse ducito, vt expectes donec valde fuerint calefacti, deinde sic id, quod conducit, exhibe.* Inde subiungit paulò infra: *Nam vbi pedes frigidi fuerint, necesse est, ventriculum calidum esse, & multo fastidio plenum, & præcordium intentum, & corporis iactationem propter internam turbationem, & mentis abalienationem, & dolores; & æger distrahitur, ac vomere cupit, & si praua vomuerit, dolet. Postquàm verò calor ad pedes descendit, & vrina progressa est, etiamsi non sudauit,*

dauit, omnia desinunt. Hoc igitur tempore sorbitionem dare oportet, alioquin perniciosa est.

His adde, quòd in paroxiſmo quando natura humorum effuſioni ſtudet, non eſt ab opera auocanda. Inde prudenter factum eſt, vt Medici quinq; aut ſex horarũ ſpatio ante acceſſionem, ac totidem ſaltem poſt illam victum ægrotantibus offerri, moneant; Quare eodem de victus ratione in acutis hæc ſcripſerat Hippocrates numero 10. *Tempus porrò exhibendæ ſorbitionis hoc maximè obſeruare ab initio, & per omnem morbum oportet. Quum quidem pedes frigidi fuerint, inhibere oportet ſorbitionis exhibitionem: Maximè verò, & à potu abſtinendum eſt. Vbi verò calor deſcenderit ad pedes, tunc exhibere conuenit, & potare in omnibus morbis, & non minimè in acutis, & maximè in his, qui magis febriles, ac perículoſiſſimi ſunt, tempus hoc magnam vim habere. Vtendum eſt autem primùm quidem maximè ſucco, deinde verò ptiſana, iuxta prædictas coniecturas diligenti facta conſideratione.*

Rerum magiſtra experientia comprobat; nam obſeruare eſt, quòd ſi circa paroxiſmum alimentum offeratur, vehementibus ſymptomatibus ægrum implicat, quin ad mortis limina deducere valet. Cæterùm non de rebus nutricijs tantum intelligi præceptum debet, verùm etiam de medicamentis ipſis, quæ in acceſſione omnino improbantur, vt præcitato textu de victus ratione in acutis fit palàm.

ANTITHESIS.

OPpoſitum decreuiſſe videtur Iatronomophilax noſter in libro de Affectionibus num. 18. vbi hæc regiſtrantur. *Et in apprehenſione quidem ſorbitione, & potu nutrito; interpoſito verò tempore cibis per aluum ſecedentibus.* Suaderi fortè poſſet hoc dictatum ex eo, quòd ſorbitiones, ac potus ventriculo non infenſant, naturam non aggrauant, citoque deſcendunt; quare ſi in paroxiſmo offerantur, nihil detrimenti afferent, quin prodeſſe poterunt calorem refouendo, ac naturam refocillando. Adhuc in biliosis febribus non raro ex bilis ad os ventriculi anadrome cardiogmos, anxietas, atque haliſmus quidam enaſcitur, ideòque ni præſto ſimus ſorbitionibus, ac potulentis, periculum etiam ſyncopis imminebit; quare ad euitandam immanem hanc calamitatem, in ipſa acceſſione aliquid offerri, præcipit Magiſter.

SYNCATATHESIS.

IN primo Aphorismorum de paroxismo, qui est periodi deterius tempus intelligit, quo sanè tempore, quia natura affligitur, & reflua est ad os ventriculi bilis, potus, & sorbitiones nulla ratione conueniunt, esset enim, vt dicitur, afflictis afflictionem addere. At in libro de affectionibus, vbi de tertiana febre loquitur, pro apprehensione nequaquam intelligit ipsum periodi deterius tempus, nempe paroxismum, & febris recursum, eiusque principium inuasionis, verùm totam ipsam inuasionis diem, in qua proculdubio & potus aliqui, & sorbitiones sunt offerendæ, sed tamen in declinatione, ita vt sensus genuinus eius sententiæ sit, in febre tertiana non nisi potus, & sorbitiones offerendas esse in die febris, opportuno tamen tempore, nempe quando pedes incalescunt, quod est catabasis, siue declinationis argumentum, vt libro de victus ratione in acutis definitur; in die verò quietis conuenire etiam cibos, qui aluum subducendi facultatem obtineant, quare apprehensionis nomine non intelligit paroxismi initium, verùm declinationem, quæ in apprehensione continetur.

ANTIPHΩNIA VII.

Salsa, & pinguia in morbis pectoris an adhibenda.

THESIS.

LIbro de internis affectionibus num. 4. de pulmonum inflammatione cum suppuratione loquens, salsa, & pinguia damnat; audiamus ipsum: *Cùm verò pus expuere incæperit, eadem bibat, quæ priùs suppuratus, & cibis, ac potibus, & obsonijs iisdem vtatur, abstinens ab acidis, & acribus, & salsis, ac pinguibus &c.* Confirmat eodem lib. num. primo, vbi in con simili affectu, & pulmonis arteria exulcerata galli carnem assatam, sine sale tamen proponit.

Suadet id quoque ratio; quoniam acida cùm adstringant, acria,

& salsa cùm exiccent, pinguia verò flaccidos pulmones reddant, in morbis pectoris, quibus expedita est opus anacatharsi, nequaquam probari poterunt.

ANTITHESIS.

Contrà libro de loc. in hom. 31. de suppuratis loquens hæc habet: *Cùm autem excreationem facere oportet, pluribus cibis, & salsis, ac pinguibus vtendum est, & vino austero, & cùm sic habet tussis inducenda.* Confirmat 2. de morbis num. 43. vbi de peripneumonia, ait enim: *Si verò fuerit, ne sorbeat, sed cibis vtatur salsis, ac pinguibus.*

Antithesis nec sua ratione caret; quoniam cùm in suppuratis id primò curandum sit, vt nimirum materia antequàm in pus conuertatur expectoretur, id profectò salsis, quæ tussim irritant (non enim nisi tussi pectus repurgari valet) nec non attenuant, & abstergunt, consequi possumus; pinguibus, verò, quia leniunt, viasque laxiores ad exitum parant.

SYNCATATHESIS.

A Salsis, ac piguibus abstinendum, iubet Hippocrates lib. de intern. affect. cùm iam eger liberam habet excreationem, quam tussi per salsa cieri, non est opus: Id patet palàm ex verbis eius loci; ait enim: *cùm verò pus expuere inceperit*, ac tum à salsis, ac pinguibus declinandum fore. Libro vero de locis in hom. ac secundo de morbis salsis, ac pinguibus vtendum monet, dum nihil purulenti excernitur; vt verò excernatur, ijs est opus, quæ tussim irritent, cuiusmodi sunt acida, acria, & salsa; etenim in empyemate maximè, nisi valida tussi pectus cócutiatur, vtique nihil educetur, eo tamen liberaliùs prodeunte, tussi operam dare non expedit, ideòque tracheam irritantia vsum non habent, sed potius, quæ materiam attenuent, ac meatus laxent, quod & 2. de morbis præcitato palàm indicauit Præceptor ijs verbis: *Postquàm autem purius iam sputum prodierit, vrticæ semen, thus, origanum in vino albo melleque, ac oleo modico ipsi infuudito, idque per tertium diem: postea verò butyrum, resinam in melle eliquatam. Et cibis non ampliùs vtatur salsis, neque pinguibus &c.*

ANTIPHΩNIA VIII.

Cucurbita refrigeret, an calefaciat.

THESIS.

LIbro 2. de Diæta num. 14. frigidam, humidamque cucurbitæ qualitatem his verbis enunciat Præceptor Cous: *Cucurbita frigefacit, & humectat, & aluum mouet*. Ratum id ipsum facit 6. Epidemior. 5. sic inquiens: *frigidissimns cibus cucurbita*; vt ideò non immeritò veteres, Plinio teste, nil aliud esse, existimarint cucurbitam, quàm aquam coagulatam.

Thesim interim compertam reddit ratio, & experimentum, quę sunt rerum omniũ κριτήρια: nã calidioribus tẽperaturis acutè insuper febricitantibus, nec non phlogosi occupatis partibus cucurbitam saluberrimè præscribimus, quã ideò natura prouida feruidiori anni tempore producit; quin eodem Plinio Auctore, & succus rosaceo mixtus, & vnctioni corporis admotus febrium restinguit ardores; Hinc Dioscorides: *Ramenta eius contra capitis ardorem, quem siriasim vocant, in sincipite vtiliter illinuntur, oculorum inflammationes, podagrasque similiter iuuant, succus adustiones cutis inunctus adiuuat*. Cæterùm Galenus lib. II. de alimentor. facultate, vbi dixerat, cucurbitam phlegmonibus auxilio esse, addit, illam, si cruda edatur, ventriculum summopere refrigerare: Ne pigeat ipsum audire: *Cruda cibo insuauis est, stomachoque perniciosa, & concoctu planè inexpugnabilis, adeò vt si quis alterius cibi inopia ingerere eam compellatur, ceu quidam iam ausus est, pondus cum algore ventriculo incumbere, sit sensurus, stomachumque euertat?* Quid multa? Vnanimi omnium voto cucurbita inflammationes quascunque ventris, iocinoris, intestinorum, aurium, oculorumque compescit.

ANTITHESIS.

AT libro 3. de Diæta eorum, quæ in 2. exarauerat immemor, cucurbitam inter ea, quæ ventriculum calefaciunt, recenset; nu. enim 13. cùm repletionẽ quandam ex ventriculi frigiditate proposuisset, hæc ait: *Oportet igitur huic præpara-*

re

re ventriculi caliditatem, tum ex victu, tum ex laboribus. Post hæc panem, & carnes varias ad rem facientes describit, inde herbas, quæ idipsum præstare possunt, his verbis enunciat: *Ex oleribus verò porro, & allio, blitoque cocto, & cucurbita*: En vt inter porrum, & allium olera calidissima cucurbitam recenset, igitur congeneam existimat, & ad refouendum ventriculum opportunam.

Hanc ipsam cucurbitæ caliditatem videtur quodammodo significare Dioscorides cap. de cucurbita satiua, vbi statim ab initio sic habet: *cucurbita trita, & illita oedemata, abscessusque mitiga*: Porrò quæ tumores frigidos, vt sunt oedemata, abscessusque, apta sunt mitigare, calida proculdubio censeri debent. Confirmari posset ex Simeone Sethi, qui cucurbitam valde nutrire, scribit, at quæ nutriunt validè, caliditate donantur: Adde corollidem. Haud rarò fluxus alui ex cucurbita citantur, imò cùm emundatur, cortex manus inficit, corrugatque ichore quodam acri.

SYNCATATHESIS.

CVcurbita naturali temperie, nemine discrepante, frigida est, humidaque in excellenti gradu; potest tamen dupli ci nomine calefacere, primò quidem quoniam reficit, dicente Hippocrate libro de affectionibus: *reficiunt cucurbita, & beta*, Enimverò reficere nihil aliud, quàm calorem, spiritumque refouere, ac dissipatum restaurare; si ergo id cucurbita præstat, calefacit quodammodo, cùm præsertim non ægrè coquatur, si carnis præcipuè iusculo incoquatur.

Vel dicas, cucurbitam, eo quòd frigida existit, calorem illum actualem, quem, dum coquitur asciscit, diu seruare; ita solet contrarium vnumquodque extraneam qualitatem fortiùs, diutiùsque retinere; quare in stomachum illabens, ibique calida diu permanens, natiuam eius caliditatem fouere, ac viuificare potis erit; neque interim potentialis frigiditas poterit eidem aduersari, quoniam cito descendit, & breuem vitam habet, vt loquitur Magister, vnde & aluum mouet, ideòque primigeniam suam refrigerandi virtutem exercere nequit.

ANTIPHΩNIA IX.

Sit ocymum, & coriandrum calidum, an frigidum.

THESIS.

CAlidum, siccumque statuitur ocymum à Magistro 2. de Diæta num. 14. Verba sunt illa: *Ocymum siccum est, & calidum, & aluum sistit; coriandrum calidum est, & aluum sistit.* Porrò has qualitates testatur palàm odor acutus, qui vel caput ipsum tentat, grauiùsque afficit vsque ad dolorem, quod experiuntur, satis quicunque eius frequenti gaudent olfactu.

ANTITHESIS.

INterim libro de affectionibus num. 48. dissonantem totis auribus exarauit sententiam; audiatis: *Ocymum, & humidum est, & frigidum, ac stomacho gratum*; vbi Cornarius verbum græcum cardiacum vertit stomacho accomodatum; quod tamen Galeni auctoritate conuellitur, siquidem is 2. de alimētor. facult. 58. ocymum cacochymum, & cacostomacum esse, astruit. De coriandro verò hæc leguntur: *Coriandrum stomacho gratum est, & per aluum secedit tum coctum, tum crudum*. Cæterùm quòd humidum sit ocymum, colligitur ex eodem Hippocrate lib. de affectionibus num. 40. vbi inter emollientia aluum ocymum enumerat; inquit enim: *quum aluum debilem à cibis humectare volueris, mazam dato, & obsonia*; & paulò infra; *ex oleribus verò apium, & anethum, ac ocymum*.

SYNCATATHESIS.

AT magnus Medicinæ Toparcha πλασόλογος, aut mendax nunquam audijt; verùm si vnquam oppositæ sententiæ apud Hippocratem antilipsi indiguerūt, hæ profectò omnium maximè tutela opus habent. Porrò sit ne coriandrum frigidum, an calidum, disceptat lib. de simplic. medicam. facult. Galen. contra

contra Dioscoridem, vbi contendit mordicus, reperiri in coriandro haud simplicem, sed variam, & permixtam qualitatem, vt partim refrigeret, partim calefaciat. Erit ergo fas dicere, recens coriandrum ob humiditatis cuiusdam interminatæ, incoctæque excessum refrigerare, & aluum soluere, ideòque, vt Dioscorides, ignibus sacris, & vlceribus, quę serpunt mederi; siccum verò, & maximè torrefactum calidum fieri, & aluum sistere, vndè Simeon Sethi aiebat, *tostum igne ventrem sistit*. Vel insuper dicatis, folia refrigerare, & vberiori, ac malè olida humiditate per aluum secedere, semen verò calefacere, atque exiccare. Neque absonum quispiam reputare debebit, aliam temperiem in folijs, aliamque in radicibus, fructibusque reperiri posse, & in his etiam disparem, quando citria, & aurantia mala aliam in cortice, aliam in carne, in succo, & seminibus longè aliam præseferunt.

Sed illud ex Galeno 2. de alimentor. facult. cap. 58. reticendum non erit, nempe, sicciorum herbarum germina, siue asparagos humidiora esse, quàm humidiorum: Audiamus ipsum: *Brassicæ igitur germen minùs, quàm brassica ipsa siccat, tametsi aliorum olerum caulis temperatura est vt plurimum, quàm folia siccior, potissimùm cùm iam prope est, vt semen profundat; Dico autem, alia olera esse hæc, lactucam, atriplicem, betam, maluam. Contra verò accidit, vt radiculæ asparagus, & rapæ, sinapi, cardami, pyrethri, & omnium propemodum acrium, & calidorum sit humidior; Bulbus autem, & apium, sion, eruca, ocymum, oxylapathum, & omnis oleracei generis herbæ antequàm semen effundant, eiusmodi caulem quendam producunt, qui post semen effætum siccatur, fitque ad cibum hominibus inutilis*. En ergo, vt eiusdem oleris, fruticisque diuersa in diuersis partibus, ac temporibus temperatura esse potest.

AN

ANTIPHΩNIA X.

Potus calidus, an frigidus in febribus conueniat.

THESIS.

Libro de locis in homine num. 39. febricitantium potum præscribens, Hippocrates aquam calidam illis offerendam esse, præcipit; sic enim loquitur: *In potu dabis aquam calidam, & aquam mulsam, & acetum cum aqua.*

Probatur id in primis ex fine, quem Auctor ipse proponit, nēpè vt sudor eliciatur, quo vel remittitur, vel omnino febris ipsa absoluitur: ipsum loquentem audiamus: *Si enim non frigidus ingressus fuerit potus calidus existens, ac manens, ex corpore ægroto detrahet, & vel per vrinam eijciet, vel exudabit.*

Rursus frigidæ potiunculæ neutiquam in febribus conducere videntur, vt quæ vel obstruere queant, vel per antiparistasin æstū augere; vnde forsitan factum est, vt in primo Aphorismorum Præceptor non frigidas, sed humidas victus rationes proposuerit; aiebat enim: *Omnes victus rationes humidæ febricitantibus conueniunt;* ne si fortè frigidas scripsisset, quis temerè ad gelidorum potuum vsum declinaret.

Pręterea frigida aqua natiuum ventriculi calorem à febrili quodammodo marcescentem ampliùs infringere, ac penè extinguere potest; imò stagnans in hypochondrijs multarum calamitatum esse potest origo, ideòque nullum vsum in febribus aquam habere asseuerauerat idem libro de victus ratione in acutis.

ANTITHESIS.

Palinodiam recinit non in vno in loco Hipocrates, & potissimùm lib. de vict. ratione in acut. vbi non in causo tantùm, sed etiam in angina frigidam exhibet. Confirmat quarto Epidemiorum ijs verbis: *In acutis febribus siticulosi à Medicis priuati potu, aut etiam à se ipsis videntur posse bibere multum; aqua frigida data, vt vomant, prodest, biliosa enim aderunt.* Insuper 2. de morbis in febre à bile frigidam aquam quantum voluerit,

ægro permittit; verba ſunt illa; *Altera autem die, qua febris detinet, aquam frigidam quantum bibere volet dabis*. Adhuc 3. de morbis in fine refrigeratorias, vt vocat, ad ardentem febrem potiunculas præſcribit, & ne quis putaret, illas potentia, non actu frigidas exhibendas fore, in omnibus ferè Hippocrates addit; *vbi ebullierit frigidam exhibeto, ſub dio expoſitam frigidam exhibeto*. Demum ne ſim prolixior, & Hippocratis innumeras penè auctoritates regiſtrem, lib. de locis in homine trigeſimo ottauo, ac trigeſimonono habemus: *Ardores verò potionibus, & ſorbitionibus, quemadmodum febrē frigefactorio medicamento exoluere oportet*.

Cæterùm hanc veritatem validæ ſuadent rationes; Prima quidem, quòd ardor immoderatus, qualis cauſo iungitur, nullo poteſt efficaciùs auxilio debellari, quàm gelida aqua, vt quę actuali, ſimulque potentiali frigore, nec non eximia humiditate vel ipſum extinguere ſolet ignem, cuius nimirum eſt aqua ſupplicium, vt quiſpiam olim dixerat; vt ideò iure à Galeno nono Methodi cap. 5. aſſertum fuerit, aquæ frigidæ potum in continentibus febribus ſanguinis miſſionem æmulari.

Præterea febris ardentis inſeparabilis caracter eſt ſitis intenſiſſima, linguæ ſumma ſiccitas, atque aſperitas maxima. At ſitis non calida, ſed frigida aqua extinguitur; quod vel ex eius definitione liquet, nam frigidi deſiderium Philoſopho dicitur.

Tertiò ad edomandam, ac deturbandam bilem, quæ acutarum febriū eſt vnica parēs, nil efficacius eſt vbere, gelidaq; potione; hinc enim fugatur, diſpellitur, extinguitur, & ſuſque, deque deturbatur.

Quartò frigida aqua ſudorem etiam promouere poteſt, ac ſolet, ita in æſtate, autopſia probante, ſi corpore æſtuante, frigidioris potus quicquam hauriamus, ilicet emanat ſudor.

SYNCATATHESIS.

IN febribus ardentibus, vti etiam in atrocibus quibuſq; malis à bile oriundis, magis plerunque effectus, quàm cauſa vrget, ſymptωma ferociùs, quàm ipſe morbus agit, excruciatq. Vbi ergo in cauſo incendium, ac ſitis tormentoſa ad extremā calamitatē deduxerint ægrotantem, & quaſi in furorem, potiones apprimè frigidas par eſt exhiberi, & quidem in ea copia, vt ebulliētes humores temperare, & ſpirituū feruorem extinguere valeat. Huc ergo Hippocratis mens collimauit, dum pluribus in locis frigidos commēdat latices. At verò lib. de locis in homine, & alibi, morbificæ po-

tius causæ satagens calidos admittit haustus, in illum scilicet finem, vt vel vrina, vel sudor promoueatur, indeque morbi ipsius causæ detrahatur: Nam statim subiungit: *Si enim non frigidus ingressus fuerit potus, calidus existens, ac manens ex corpore ægroto, & vel per vrinam eijciet, vel exudabit*. Clarius eloquamur. Duùm generum febricitantium potatio est, vnum ad alimenti vehiculum sitisque mulcebram, quod cum cibo ipso assumitur, & hoc frigidum esse debet, nec multum; alterum ad humorum vel alterationem, vel exclusionem, & hoc potius calidum commendatur, & nimium.

Næ de hoc postremo verba facit Hippocr. in libro de locis in hom. quod sanè vel ex eo deprehendere licet, quòd in magna copia tales haustus propinari laudat; ait enim: *In potu dabis aquã calidam, & aquam mulsam, & acetum cum aqua, hæc autem quamplurima bibat*; Quamplurimam autem haud fas est bibere pro potu alimentitio; improbatur enim in prandio, cœnaque potus nimius, dapibusque superior; ideòque subiungit statim, futurum inde fore, vt vel vrina, vel sudor proliciatur, vel ratione scilicet copiæ, vel ratione qualitatis; siquidem aqua calida laxat, aperit, emollit, attenuat, fundit, & simul deuehit, & abluit.

ANTIPHΩNIA XI.

Vinum, an aqua in febribus conueniat.

THESIS.

IN febribus, alijsque morbis essentialiter acutis aquam, non vinum exhibendum esse, monitat sexcentis in locis Hippocrates. Ita quarto de victus rat. in acut. 33. aquę potum in angina præscribit, in tertio verò num. 41. aquam exhibendam præcipit. *Cùm in morbis acutis fortem capitis grauitatem, vel mentis læsionem suspicatus fueris*. Rursus eodem in libro præscribit eamdem in causo. Secundo de morbis propinat in febre lipyria; ibid. nu. 36. vel in magna copia offert in febre à bile, ait enim: *Altera verò die, qua febris detinet, aquam frigidam, quantum bibere volet, dabis*; & paulò infra: *Reliquo verò tempore aquam frigidissimam bibat*. Nec desunt

apud Hippocratem plurimæ aliæ huius census auctoritates, quas cumulare hìc longum, & superuacaneum foret.

Id sanè rationibus, & experimento non ægrè suaderi potest; rationibus quidem, quoniam cùm in acutis febribus, alijsque morbis ab inflammatione oriundis scopus primarius, & vnus curationis cardo sit refrigerium, hoc ab aqua præcipuè, & affatim consequi valemus, aqua enim qualitates, & febri, & phlegmoni è diametro oppositas offert, vnde Eschilus aquam vocabat ignis supplicium, cùm extinguatur ab illa; febris autem, vt naturam, ita & nomen sortita est ignis apud Hippocratem, qui πῦρα, & πυρετὸν vbique illam vocitat; Enimverò inter antiquos Philosophos tametsi disceptatum fuit, quodnam esset primum frigidum, & aerem nonnulli, vt stoici, terram alij, vt Auicennas asseruerint, melior tamen Empedoclis, atq; Stratonis opinio fuit existimantium aquã. Porrò *aqua madefacit, frigefacitque corpus*, vt Præceptor libro de humidorum vsu testatur, & vt primo de Diæta num. 5. *Aquæ inest frigiditas, & humiditas* (intellige in summo) qui sanè sunt scopi in omnibus febribus, & inflammationibus præcipuè, in quibus propterea vino interdicimus ægrotantes.

Insuper cùm nullum symptoma frequentiùs in acutis vrgeat, quàm sitis incompescibilis, & faucium arescentia, quo consilio ab Hippocrate victus humidus duntaxat, & sitis expers in febribus libro de victus ratione in acutis commendatur, aqua nimirum sitim, quæ est frigidi desiderium, validè extinguere potest, vnde illius desiderio febricitantes maximè peranguntur.

Rem ipsam confirmat adhuc experimentum; siquidem in ardentissima febre non est efficacius vllum præsidium aqua gelida vel ad satietatem hausta, quam vel eadem die febrem iugulare posse, testatur Galenus; quinimò cùm Galenus ipse ante gelidæ huius aquæ exhibitionem multas prærequirat conditiones, & in primis, quòd pepasmi præapparuerint signa, Auerrhoes gelidę beneficium extollens, & amplificans, contra Galeni assertum dogma astruit, nullo modo in ea propinanda expectandam esse coctionem, sed statim ab initio æstum, ardoremque infringendum fore, extremum inquiens ab exurente calore, atque ebullientibus humoribus imminere periculum; ideòque continuò parandum esse refrigerium; & adducit in medium rationem illam, quòd magnum remedium in magno discrimine vsurpari debeat, at vbi pepasmi apparuere signa, iam ægri salus in tuto est, dicente Hippocrate,

coctiones iudicij celeritatem, & securam sanitatem ostendere. Quibus addi potest, quòd coctio bilis, quæ causi est origo, in sola refrigeratione consistit, ideòque statim refrigerandum, id quod ipsi Galeno non improbatur, qui in libro illo cui est Apographon: *Quos, & quando purgare oporteat*, apertis fidibus enunciat, bilem ob sui tenuitatem confestim purgari posse, aliàque non ægere preparatione; & nimirum si in principio febris acutæ potiones refrigerantes præscribimus, cur etiam exhibere nequeamus aquam gelidam, quæ aptiùs, & efficaciùs apta est feruorem extinguere? Rursus cùm à febre ardente duo alij perniciosissimi immineant morbi, vtpotè perineumonia, & febris hectica communicata pulmoni, ac solidis partibus feruidissima intemperie, vt has calamitates effugiamus, aquam, non expectato pepasmo, propinare fas erit. Nec modo oretenus hausta gelida aqua in causo conuenit, verùm etiam ex Præceptoris ipsius dogmate corpori affundi debet extrinsecùs in ventre, vbi phlogosi aliqua occupatur: ita quarto de morbis popularibus vir quidam recensetur, cui affusæ sunt desuper corpus frigidæ aquæ triginta circiter amphoræ, & hoc duntaxat auxilium ventris dolori à catapotio accepto prodesse videbatur, vnde postmodum deorsum bilis processit multa, vt Præceptor loquitur; Sic libro de affectionibus vndecimo clysterem ex infuso frigidissimo, vt alibi explanauimus, immitti, iubet.

ANTITHESIS.

SEd en manifestum Antithton ex tertio de ratione victus in acutis, vbi Præceptor aquam damnat, reijcitque prorsus in morbis, & febribus acutis, asseueratque, nullum prorsus esse emolumentum, quod ijs attribuere valeat, & subiungit: *Aliàs autem neque sitim sedat, sed exacerbat; est enim natura biliosa, ac præcordio mala, imò pessima fit, ac biliosissima.*

Prodit verò & hæc sententia suis fulcita rationibus, quippe quòd aqua febrilem calorem haud extinguat, sitimque nec sedet, sed exacerbet potius, id est ex natura ipsius; quoniam ad sitim auferendam, ac feruorem infrænandum necesse est, vt humor per vniuersum corpus facilè diffundatur, seseque in intima penetralia transferat, iam aqua, vt in commentario eiusdem libri de victus

ratione Galenus addit: *& tardi transitus est, & quòd frigida est, & cruda, ac incoctilis, & neque per aluum secedit, neque per vrinā transit.* Quid multa? Quòd neque sitim extinguat aqua, probat vulgatum, & vulgare dicterium.

Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Cęterùm quomodo aqua in biliosis naturis biliosa euadat, difficultatem, nec leuem redolet, torsitque propterea neotericorum ingenia; hic tamen perfunctoriè dicam (nam alibi rem ipsam pleniùs examinaui) quòd aqua per antiparistasin calorem in febribus, & consequenter bilem augere possit; quo consilio detrectarunt non pauci frigidos in febre syrupos, & apozemata. Insuper quoniam obstruit, calorem augere potest, & in bilem non ægrè conuerti, præsertim cùm ad os ventriculi bilis ipsa anadromen habet, vt sentit Heurnius vir omnibus albis doctissimus.

SYNCATATHESIS.

PRotextuū apertè pugnantiū synaulia illud prælud ā, quòd nimirùm aqua in febribus sumi potest, vel vt quotidianus, ac penè nutricius potus, vel vt simplex, purumque medicamentum. Porrò vbicunque Hippocrates aquam in febribus improbat, de ea, vt potu, qui in victu adhiberi solet, intelligit: quo modo procul dubio nullius emolumenti, imò potiùs magni detrimēti existit: sic enim quoniam moratur in ventre, stagnatque in hypochōdrijs, atque adeò emphraxin producit, calorem consequēter exauget, & in bilem euadit: siquidem non est eius energiæ, vt febrilem ipsum calorem extinguere queat; actio enim fit ab excessu agentis supra passum, & vnumquodque contrariorum tandem post velitationem, si non vincit, vincitur. His adde, quòd frigida in potu sumpta, neque vrinam mouet; neque per alias vias bilis, aliorumque humorum serosam colluuiem traducere valet, indeque semper erit infensa. Quare Galenus addebat, quòd neque in cute transpirationem facit, eò quod tenuium partium non est: Et hinc seduliores practici puram aquam febricitantibus interdicunt, & saccharo, vel acido quodam succo admixto eandem propinant.

Cęterùm vt medicamentum, quoniam in magna exhibetur copia, suo pondere descendit, ac diffusa per vniuersum corpus (arida enim, atque feruentia membra auidè rapiunt illam) ipsumque permeans hepar, siue per vas breue lienis

transmeans, breuiori circulo æstum temperat, sitimque infrænat, & quia frigidissima est calorem, & inflammationem extinguit. Præterea copia, & frigore fit etiam eductiua, vnde insurgit ad expulsionem natura, ac maximè sudorem promouet, quandoquidem, assumpta gelidissima aqua, calor, qui multus in præcordijs æstuat, à suo contrario fugiens internas corporis partes relinquit, seseque ad superficiem euocat humores, ichoresque secum ducens: Adauctus autem hoc modo in cute calor meatus reserat, facitque, vt per insensibilem transpirationem, & per manifesta sudoris fluenta feruidi, salsi, impurique ichores, qui febrem acutam, & maximè ardentem efficere solent, educantur. Ità sanè (autopsia docet) in æstate media latrante Syrio, si gelidum potum in meridie hauriat quispiã, statim sudore manat. In libris ergo de morbis aquã, vt medicamentum probat Hippocrates, alibi verò, vt potum quotidianum reprobat.

ANTIPHΩNIA XII.

Vinum in capitis dolore an liceat exhibere.

THESIS.

Lib. de victus ratione in acut. num. 25. Aesculapidum Princeps vinum in capitis dolore protinus ablegat; illa sunt verba: *Fuluo verò vino, & nigro austero in his morbis adhuc vti poteris, si capitis grauitas non adfuerit, neque mentis perculsio.* Confirmat num. 30. vbi sic: *Vbi tamen in his morbis suspicatus fueris, aut capitis grauitatem vehementem, aut mentis perculsionem, pœnitus à vino abstinendum est.* Rursus num. 58. de meraciori, & austeriori vino loquens, aiebat: *palpitationem in corde, & pulsationem in capite inducit.* Sed adhuc luculentiùs libro de affectionibus numero secundo capitis dolores expendens, hoc præceptum exarauit: *Vinum autem non exhibeatur, donec dolor sedetur; quum autem calidum existens caput vinum attraxerit, dolor fortior euadit.* Subscribunt in hoc Hippocrati Galenus 1. ad Glauconem 3. & 2. de composit. medicament. secundum loca; Serapio Arabum antiquissimus lib. 1. cap. 9., Aliabas practicę lib. 1.

cap. 6.

cap.6. Auicennas lib.3 Fen. 1. tract.2. cap.9. Quòd si ex eodem Galeno 2. de alimentor. facultatib. lora, quam Græci δευτερίαν vocant, hoc est secundariam, quæ ex vinaceis, è quibus mustũ expressum iam est, affusa aqua, confici solet, sitq. prima, & secunda, capitis parit dolorem, quantò magis vinũ ipsum nulla remixtum aqua id efficiet? Dices, vinum ipsum aqua dilui, & castigari posse, dum bibitur, tametsi dum exprimeretur, nihil fuit aquæ affusum. At non est eadem ratio; nam diuersorum humorum miscela, Galeno arbitro, non fit statim, sed spatium quoddam temporis opportunum exigit; quin fuit opinio Arnaldi, vini spiritus, dum primò affunditur aqua, per antiparistasin augeri, intendique, atque adeò statim, & modicè dilutum si bibatur, magis calefacere, quàm si purum, & merum hauriatur.

Harum assertionum veritas ratione satis elucescit; siquidem vinum ex sui natura caput maximè tentat, vnde Temetum hac ethimo apud antiquos dicebatur Beroaldo in Ciceronem his verbis probante: *Temetum prisci vinum dixere ductum ab eo, quòd mentem labefactet.*

Hoc nomine vocauit in primis Plautus in Aulularia.

Cereri Strobile istas facturi nuptias?
Quia temeti nihil allatum video.

Horatius quoque 2. Epistolar. 2.

. . . *das nummos, accipis vuas*
Pullos, oua, cadum temeti

Enim verò nil magis caput vaporibus opplet, quàm vinũ sulphureum enim cùm sit, ignem actutũ concipit, & sublimè euolat, & quia spiritibus affluit, cerebri regionem impetit: testes ebrij sunto, qui vel in furorem, ac deliramenta, vel in altum declinant somnum; quod si caput fortè doleat, fortior ad caput ipsius vini euocatio fit, ipso videlicet alliciente dolore, quem similem cucurbitulę Medici statuunt. Idipsum tum euidens comprobat patientum experientia, nec non medicorum consuetudo, qui libentiùs in febribus, quàm in cephalalgijs, & hemicranijs, alijsq. capitis paraphoricis, cataphoricis, aut catarrhoicis affectionibus permittũt.

ANTITHESIS.

IAm Antiphωna recenseamus. Epidem.2. sect.6. Magister in capitis dolore à crapula (quod est adhuc magis mirum) vini meraci heminam præscribit: verba sunt: *Si ex crapula caput*

put doleat, vini meraci heminam bibat; si verò aliter caput doleat, panem quàm calidissimum cum vino meraco edat. Confirmatur aphorismo 41. sexti libri, vbi sic habet. *Oculorum dolores meri potio soluit.* Nec ipse Galenus dissentire videtur, nam 2. localium, cap. 1. in capitis dolore ab ebrietate aquosum vinum, quale est in Italia Sabina concedit, & ibidem tum ad capitis dolorem ex bile, cùm etiam ex naturalium viscerum sympathia vinum dilutum non detrectat, quemadmodum comprobant Trallianus, vbi de dolore capitis, Paulus Aeginas lib. 3. cap. 4. Aerius lib. 6. cap. 43. & Rhasis primò continentis, ac nono ad Almansorem.

Atqui vnicuique paradoxon videri potest, quòd si caput à temulentia malè afficiatur, alterius vini haustu curari debeat, cùmque crapula sit repletio quædam, morbi verò à repletione inanitione curentur, illa tamen noua illuuie remoueatur. Nec interim mentiri Hippocratem, opinari fas est, qui adhuc sexto Epidemiorum inter doloris capitis remedia cyceon proponit, Galeno interprete eo in loco, vt Gorræus in suo definitionum Medicarum libro obseruat in verbo Κυκέον, cyceon autem, siue cinnum, vt latini vocant, est confusa quædam mixtio ex varjs alimentis, vt melle, caseo, polenta, oleo, ac vino, vnde à quinque his rebus pentaplon dicitur, ita tamen, vt vinum primum locum obtineat.

Prodeat ergò, & Antiphonon suis munitum rationibus. Porrò cùm sit crapula frigidum quoddam pathema, si contrarijs curari debeat, vtique calidis expugnabitur; ex calidis verò nullum magis opportunum, quàm quod magis analogum, quodque natura sua ad affectam partem, nempe caput conspirat, ipsum videlicet vinum. Nec amabo ridiculum alicui videatur, quòd sit crapula affectio frigida, quandoquidem nihil est aliud κραιπαλὴ, vnde crapula deriuat, quàm capitis fluctus, & agitatio, seu torpor ex hesterna ebrietate, quemadmodum μέθη est turbatio ex præsenti: quippe vini largiùs assumpti humidior, frigidiorque portio, quæ ad caput cum eiusdem feruidis spiritibus ascenderat, resolutis calidioribus atomis, in cerebro ipso remanet superstes. Namque dum vberior meri copia ingurgitatur, dumque feruefactis inde visceribus anathimiasis excitatur, vnà cum ipsius vini sulphure, & spiritibus aquosæ etiam partes eleuantur; non enim totum vinum est vinum, sed maior portio excrementitium quoddam humidum, vt ex aquæ vitæ destillatione palàm fit; Vbi ergo ad cerebrum vini calidiores partes vnà cum frigidioribus extolluntur, breui temporis spatio à natiuo calore illæ dissipantur, supersunt autem dum-

taxat humidiores, quæ statim refrigerantur; siquidem teste Aristotele 3. Problematum sexto, vbi de vini immoderato vsu, atque ebrietate loquitur: *Multum humidum cum refrigeratum est in multum frigidum se conuertit, ita vt calorem superet naturalem*. Et hæ vini partes refrigeratæ sunt illæ, quæ caput caribasi aggrauant, vertiginem pariunt, mentis debilitatem inferunt, pallorem in facie pingunt, mentemque ipsam, hoc est organum stupida quadam caligine obducunt, quod Venusinus Vates serm. 2. satyra 29. liquidissimè descripsit his verbis.

. . . vides, vt pallidus omnis
Cœna desurgat dubia? quin corpus onustum
Hesternis vitijs animum quoque prægrauat vnà,
Atque affigit humo diuinæ particulam auræ.

Cæterùm, vt auferantur hæ noxæ, frigida illa colluuies in cerebro superstes, & ventriculi apepsia expungi debent, has verò ἄκρατον, idest meracius vinum facilè dissoluere potest; hinc enim incalescit iterum cerebrum cum ventriculo, facultates excitatæ vigescunt; vnde excrementorum colluies dissoluitur facilè, atq. mox eliminatur.

Neque à ratione longè alienum quispiam arbitretur, posse à causa calida frigidas inuri affectiones, quando vel Philosopho teste tertio Problematum alibi nuncupato, certum est, à vini copia frigidiores quoque morbos exoriri, tremorem, paralysim, apoplexiam, catalepsin, lethargum, & sexcentum alios, quos & Auicennas primo Canonis recenset; Enim verò natiuus ipse calor ab extranea caliditate marcore perit, cuius paupertate, ac defectu mox frigidarum passionum ilias in promptu est. Aristotelis verba solidiori doctrina prædita, placet hic appingere, lege, perlege, perpende lector, philosophiæ medullam erues; Tertio illo Problem. 25. dum quærit, cur ebriosi tremunt, & eò magis quò largiùs merum hauserint, cùm vinum calefaciendi vim habeat, sic ille post alia multa: *At nihil prohibet, rem eandem à contrarijs effici, dummodo non agant modo eodem, sed diuerso. Exẽpli gratia vritur & à gelu, & à calore, vbi gelu calorem coëgit vniuersum; itaque modo quodam à contrarijs effectus proficiscitur idem, & modo quodam non nisi idem producitur; tremor autem ob inopiam excitatur caloris non cuiusque, sed proprij; corrumpitur autem calor aut marcore, aut extinctu; extinctu quidem à contrarijs, hoc est frigido, & humido, marcore autem, vel indigentia nutrimenti, vt lucerna cùm fomite, aut oleo caret, vel ab alieno calore, vt ignis in Sole, & lucerna apud ignem; igitur*

qui

qui ex frigore rigent, caloris extinctu obtremunt, ex quo etiam fit, vt aqua offusa calida, horror exoriatur, frigus enim cùm intus includitur, atque circùmobsistit, pilos erigit; & in febrium quoque accessione rigor ille eueniens simili de causa venit; in senectute autem calor, alimento deficiente, emarcescit; humor enim alimentum caloris est, senectus autem sicca est. Ebriosi verò, & si qui ita affecti sunt alij, suo prorsus emarcescente calore, obtremiscunt, sed non modo eodem, quo senes, sed tertio corrumpendi modo, vt proposuimus; Quòd enim vino vtuntur nimio, calor aduentitius superans aut extinguit, aut debilitat proprium calorem, quo valemus.

Adde, quòd tametsi vini crapula adhuc seruaret caliditatem, vinum nihilominus iterum iuxta Hippocratis normam exhibitum noxam eximeret; siquidem sæpè clauus clauum pellit, & curatio nonnunquam Hippocrate docente solet . . . . . etiam per similia obtineri. Non absque summa eloquor auctoritate, namque Præceptor idem vinum, tanquam vnicum auxilium, & antidothum frigidarum non minùs, quàm calidarum passionum hic illic celebrat; ipsum quæso audiamus lib. de affect. nu. 52. sic dicentem: *Quæcunque aut flatum, aut æstum, aut morsum, aut repletionem, aut tormen faciunt, à talibus liberat vinum meracum insuper potatum, corpus enim à vino calefactum per calorem amouet ea, quæ insunt à cibis, ac potibus, & similibus.* Apage, si æstum, ac morsum eximit, igitur calidis etiam pathematibus opitulatur. Rursus 4. de ratione victus in acutis, numero sexagesimo primo in cholera sicca, quæ passio est à feruidissima, ac siccissima bile oriũda, vinum, idque meracius præscribit: illa sunt verba: *Dormire quoque tali conducit, & bibere vinum, tenue, ac vetus, ac meracius*; quod in praxi quotidie obseruare est, nam vbi cardiogmos, aliudque ex bilis anadrome pathema ventriculi orificium infestat, quamuis insignis adsit febris, vinum tamen & meracum, & generosum exibemus eo consilio, vt acerrimum succum, atque extuantem sua caliditate dissoluat. Nec profectò rarum est apud Hippocratem, morbos quamplurimos vino curari, & si placeat obiter præcipuos nonnullos recensere, percipito: 2. Epidemior. hæc inuenies: *Si os ventriculi doleat, panem calidum cum vino meraco exhibeto.* Ibidem sect. 5. *Si hydropicum tussis corripiat, si quidem animo linquatur, calidis omnibus vtatur; sin minùs inebriato, ac cibo ipsum impleto.* An quia ebrietas vrinam affatim promouet, cuius effluuium hydropi valdè conducit? Nimirùm ebrietas (παρέργον) tametsi vitiosa, suis non caret virtutibus nonnullorum arbitrio

quip-

quippe, vel Auicenna primo Canonis comprobante, visum quibusdam est, si in mense bis, aut semel admittatur ebrietas, insigne receptum iri emolumentum, quod somni longioris, altiorisque ratione virtutibus animalibus alleuiamentum, & quies inducatur, sudor proliciatur, & quæ superfluunt, resoluantur; nec omittendum, quod vomitu, qui amplissimus in temulentis accidere solet, ventriculus ab excrementorum colluuie, atque omni cruditate repurgatur. Quin Seneca ipse Stoico alioquin supercilio grauis ad animi curas consopiendas, ebrietatem admittere videtur; inquit enim: *non nunqam & vsque ad ebrietatem veniendum, non vt mergat nos, sed vt deprimat curas*. Cui astipulatus Horatius lib. 1. ode 7. canebat.

nunc vino pellite curas,

vt relinquam, quòd etiam Ouidius ad amoris acerrimas curas obruendas, temulentiam commendabat metris illis secundo de remedio amoris:

Cura fugit multo, diluiturque mero,

& quæ sequuntur; Nec prætereundum, quòd Homericum illud Nepenthes nihil aliud existimarunt nonnulli, quàm vinum; ita censuit Rufus antiquissimus medicus, & apud Oribas. lib. 5. collect. c. 7. legitur sic: *Quippe cùm vinum sit mæroris medicamentum, atque Helena quidem mihi videtur hoc crateri infudisse, vt mœrorem sedaret.* Adde postliminio ex Platone 1. de legibus, hominum mores ab ebrietate faciliùs retegi.

Sed me in gradu recipio iam, & ad Hippocratem redeo vino plerasque affectiones curantem. Sexto eodem de morbis popularibus sect. 6. hæc tradit: *In gutturis dolore aquam calidam super caput fundito, si non frigus fuerit; sin minùs, farinam quàm calidissimam dato, & vinum meracum.* Adhuc 2. Aphorismor. 21. *famem caninam thorexis soluit*; & 6. Aphorismor. 31. *Dolores oculorum vini potus soluit.* Insuper lib. de victus ratione in acutis n. 55. in tetano. *Tali si non febris, & somnus accesserit, & sequentes vrinæ incoctionem habentes prodierint, & sudores iudicatorij, vinum creticum vinosum bibendum dato.* Rursus alibi ad somnum conciliandum cibi modicum, & vini meraci cyathum probat.

SYN-

SYNCATATHESIS.

SEntentiarum antiphonisis non ægrè conciliatur, si dicamus, Hippocratem lib. de victus ratione in acut. vino interdicere ægros, cùm caput per idiopathiam ab intrinsecis, iisque feruidis causis dolet, vt pote vel à bilis anadrome, congestioneque, vel à viscerũ feruidiori anathymiasi, nec non cerebri, aut mẽbranarum phlegmone: in his namque casibus vinum intemperiem auget, vapores cumulat, humorum addit feruori. At in lib. 2. de morbis popularib. de capitis dolore agit, qui à mera causa procatarctica est, nec non à frigidiori vini proluuie, hoc est à crapula, vt super explicatum fuit, quomodo superingestum vinum, haustu tamen longè minori, crapulam dissoluere potest.

Ad id autem, quod obijciebatur, crapulam esse repletionem, atque adeò inanitione, non autem nouo additamento curandam, iuxta decantatam Præceptoris doctrinam, morbos omnes à repletione inanitione curari, responsum velim cum ipsomet Hippocrate, inanitionem, & ieiunium crapulæ omninò infestare: ita lib. de ratione victus in acutis 56. legitur expressè: *At verò ieiunium ad capitis dolorem, ac crapulam malum est;* Quid amabo clariùs? Et militat quoque ratio, quandoquidem in ieiunio excandescunt viscera, efferuescuntque humores, vnde ingens ad cerebrum eleuatur vaporum turbo. Ita & allium, quod natura sua capitis catabasim, seu grauitatem efficit, ebrietati tamen opitulatur ex libro de victus ratione in acutis numero quinquagesimonono; Cõmodè ergo vinum etiam in capitis doloribus propinatur, dummodo mensura, & oportunitas seruetur, iuxta illud Hippocratis lib. de affectionibus in fine: *Vinum, & mel optima iudicatu sunt in hominibus, si iuxta naturam & sanis, & debilibus cum temporibus, opportunitate, ac mediocritate exhibeantur.*

Et data non apto tempore vina nocent: canebat Vates. Igitur si in ea portione assumatur, vt caput roborare valeat, nec vllum laborem inferat, sed statim coquatur, mirificè prodesse poterit, etiamsi generosum, ac merum fuerit, ita enim vires maiores obtinet.

Si fortè quæras, quid sibi velit Hippocrates altero illius sententiæ membro, videlicet: *Si verò aliter caput doleat, panem quàmcalidissimum cum vino meraco edat.* Respondeam, ijs verbis indicare voluisse dolorem, qui à ventriculi cruditate, aut crasso flatu oriri

solet,

ſolet, pro quibus fundendis, ac diſcutiendis opus eſt, vt vini virtus diutiùs in ventriculo immoretur, in quem finem calido pani affunditur, qua ratione diutiùs perſiſtit in ipſo, & vſque ad exactam panis coctionem permanet, vnde cerebrum calidis vaporibus ampliùs, ac diutiùs refouet.

Adde his pro corollide, vinum etiam meracum Hippocrati probatum in his doloribus non vinoſum, ſed oligophoron intelligi debere, hoc enim capiti nihil officit, vt Galenus vndecimo de cibis boni, & mali ſucci his verbis tradidit, de vinis agens: *Quemadmodum fulua, quæ potentia calida ſunt, caput replent, ſic oligophora præter id, quòd nihil vnquam noxæ afferunt, etiam iuuant, ſedatis doloribus paruis quibuſdam, quos contenti in ventre humores procreare ſolent; nam cùm caput non ſolùm tunc doleat, quum ipſum affectu proprio laborat, ſed etiam ob ventriculum, qui humorum vitioſorum vapores tranſmittat, huiuſmodi dolor vini pauciferi potione ſanatur, cui pauca adſit aſtringendi vis.* Aptè quidem ad noſtram ſyncatatheſim.

ANTIPHΩNIA XIII.

In lethargo an ſit exhibendum vinum.

THESIS.

TErtio de morbis numero 6. vino interdicit lethargicos magnus Anagnoſtes ijs verbis: *Attamen hoc curandum eſt, vt plurimum ſpuat, & caleſiat, & à vino abſtineat.*

Eſt verò præceptum huiuſmodi rationi valde conſonum; quandoquidem vinum ſuapte natura vberem, & caliginoſam ad caput anathymiaſin excitat, atque adeò catabaſin, ſeu capiplenium auget, ipſoſque cerebri ventriculos humida colluuie infarctos ampliùs offundit, vnde eſt, quòd illud in omnibus catarrhoicis, cataphoricis, atque cephalgicis omnium Medicorum voto prohibetur.

Præterea vino vis narcotica, nec mediocriter, ineſt, idque

experimento innotescit, quando hypnoicis vini vaporibus primũ sensorium valdè ligari consueuit. Hinc libro de victus ratione in acutis num. 55. Præceptor vinum creticum vinosum in tetano exhiberi, iubet, dummodo tamen somnolentia absit: quarto insuper de morbis popularibus num. 7. adolescentem recenset, qui ex vini meracioris vberiori potu in furorem priùs, mox in lethargum funestum incidit. Rursus libro de affectionibus num. 10. in mentis quacunque perculsione vinum longiùs abesse, monitat. In libro denique de victus ratione in acutis num. 15. ijs, qui noctu dormire nequeunt, præcipit, vt vespere modico vtantur victu, & meracum bibant; verba sunt: *Si verò dormire nequeat, vbi multam lentam deambulationem in stadio oberrauit, nihil cœnet, aut paucum, eaque innoxia, insuperque vinum bibat, & purum, non aquosum.* Huc sanè spectat illud Athenæi ex Parmeno Bysanthio libro quinto de vinoso loquente.

Mutus iacet, in dolioque vrinatur, & natat
Somnolentus, tanquam papauer medicamentum biberit.

Neque arguat Oenophilos, lethargo ceu frigidæ affectioni vinum potius opitulatum iri; siquidem tametsi illud, vt calidum, non læderet, infensaret maximè, vt halituosum. Diximus quoque alibi ex Aristotele in problematibus, tremorem, paralysin, & apoplexiam, quæ frigidi sunt morbi, à vini copia exoriri. Denique in lethargo febris adest continua, & inseparabilis; igitur ex hoc etiam capite vinum exulare, par est.

ANTITHESIS.

AT secundo de morbis Præceptor idem sancitum tradidit vndequaque contrarium, ac dissonum, vt num. 63. his verbis elucescit: *Huic* (idest lethargia correpto) *aquam, demacerata in ipsa farina crassa, bibendam dato, & vinum album vinosum postea bibendum, &c.*

Neque est, quòd Petrus Salius in huiusce textus commentario Hippocratem redarguat, vt qui ipsius lethargi neque causas, neque ideam hic percepisse videatur, ideòque subiungat: *cùm nec ratione materiæ, quæ est crassa, & viscida, attenuantia, nec ratione fluxionis deriuantia, aut reuellentia, nec ratione accidentium inhibentia adhibet.* Siquidem eo loci Hippocrates (& parcant viri emeriti manes) haudquaquam victum lethargico præscribit, sed medicamentum proponit; nam farina ex aqua pota frigefacit, si eidem

Hippo-

Hippocrati 2. de Diæta fidem præstemus, aluumque ciendi facultatem aliquam obtinet; Quòd si dicas, quomodo si farina refrigerandi virtute prædita est, morbo frigido, qualis est lethargia, cõducere poterit? Respondeam primò, adesse in lethargo inseparabilem febrem, eiusdemque magnam habendam esse rationem, eo quòd pituitam in capite soluat, atque colliquet, vnde cerebri ventriculi mox ampliùs irrorantur. Secundò sedulò animaduertas, quòd prudentissimus senex, vt farinæ frigiditas temperetur, vinum addit vinosum, fortè etiam eo consilio, vt vrinam cieat, quæ in hac affectione magnam salutis spem affert; & rursus, ne à vino ad caput anaphysma, hoc est euaporatio fiat, ptisanæ, & granatorum succum admiscet: summa ergo prouidentia medicamentum, non victum hoc loco Hippocrates instituit.

SYNCATATHESIS.

A Vino abstinendum est semper in lethargi principio, ne maior ad caput excitetur caliginosa anathymiasis, & sic tertio illo de morbis intelligendus erit Hippocrates. In declinatione verò probatur vinum, quòd vrinam ciere possit, atque adeò capitis colluuiem faustè repurgare.

Præterea dixerim, in secundo de morbis iccircò vinum Hippocrati probari, quoniam in lethargo, quem inibi proponit, aderat putredo, & corruptio humorum vniuersalis; quod significatur ijs verbis: *& recrementum malè olens egerit*; vbi verò in corpore succorum insignis putrilago, atque corruptio inest, vinum tanquam alexiterium commendatur.

Cæterùm tertio de morbis, vbi vinum improbat, lethargum sine putredine describit; ideòque in eo cùm morituri sunt ægri duntaxat, aluus liquidã quidem excrementa, at non graueolentia reddit. Ne verò id à me gratis dictum, quis opinetur, Petrum Salium in vtriusque textus commentario loquentem audiat; Nam in tertio libro, in quo protinus arcetur vinum, hæc exarauit: *De quo lethargo nunc agens Hippocrates eadem ferè ad verbum repetit, quæ de eo dicta sunt in præcedenti libro, hac habita varietate, vt quæ de delirio ibi apponebantur, hoc in loco omittantur, & quæ de excrementis malè olentibus ibi simpliciter dicuntur, hìc cum limitatione de morituris exprimantur. Sed forsan ibi de lethargo cum putredine, hìc de eo, qui est sine putredine agit, & ideò in illo excrementa non tantùm in morituris, verùm etiam in toto morbo possunt esse malè olentia,*

tia, in isto autem non maleolent, nisi cùm morbus in perniciem ægrotantium, tunc deuicta natura progreditur, &c. At verò in altero textu secundi de morbis hæc annotat: *Nam cùm excrementa praueolentia corruptionem, ac putredinem attestentur, talia recrementa in his lethargis superueniunt, qui ex putredine non tantùm materiam in capite existentem corrumpente, verùm etiam alia corporis excrementa ad malum alterante, qui solent esse lætales casus, hominem ad interitum deducunt.* Quibus addo, vinum etiam cum farina illa, & granatorum succo permitti in gratiam virium, quæ à putrida diarrhoea fatiscunt ocyùs; nec interim capiti offensat, quoniam granatorum succo, atque ptisana corrigitur, ac temperatur.

His demum esto appendix, vinum propinari ab Hippocrate in summo, ac teterrimo lethargo, qualis 2. de morbis describitur; estque ratio, quoniam cerebrum est adeò læsum, vt vlteriùs affici nequeat, ideòque, & Asclepiades, & Celsus libro tertio, cap. 2. vinum commendant, & addunt: *Vt qui cæcus est, non est, cur abstineat à lædentibus visionem;* quin Celsus adhuc addebat: *Vinum cum tempestiuo cibo datum non mediocriter adiuuat.* Quòd si Trallianus in phrenitide vinum approbat, quantò magis laudandum erit in lethargo, in quo calefaciendi, & exiccandi sunt scopi, adeò vt vel castoreum exhibeatur?

AN-

ANTIPHΩNIA XIV.

Dulce, an austerum vinum in morbis pectoris conferat.

THESIS.

LIbro de internis affectionibus in lateris tuberculo, & suppuratione vinum dulce in primis commendat, & numero quarto eiusdem libri de pulmonia verba faciens Præceptor aiebat: *Et vinum bibat dulce album, aut aquam mulsam coctam*. Item libro de victus ratione in acutis numero 25. de vinis agens: *sputum verò (inquit) magis educit dulce, quàm alterum*. Rursus libro 3. de morbis numero 22. vbi de pleuritide: *Curare verò pleuritidem hoc modo oportet vt plurimum velut phrænitidem, & peripneumoniam; præterquamquòd hìc balneis calidis, & vino dulci vtendum est*. Adhuc secundo de morbis numero 43. vbi peripneumonia describitur, & curatur: *Huic primis diebus vinum dare conuenit dulce, album, aquosum*. Nimirum longum foret locos omnes, in quibus Hippocrates dulce vinum in morbis pectoris commendat, registrare.

Auctoritatibus accedit communis practicantium pragmatia; nam in thoracis affectibus nil magis, quàm vinum austerum interdicunt omnes. Nec sanè ratio dissonat: quandoquidem pectori quàm maximè amica sunt dulcia, quòd leniant, lubricentque vias, pulmones expandant, atque anacatharsin, vt mel, & saccharum promoueant.

ANTITHESIS.

COnt à libro de locis in homine in suppuratis, & ijs, quibus necessaria est anacatharsis, vinum austerum his verbis approbat: *Cùm autem excreationem facere oportet, pluribus cibis, & salsis, ac pinguibus vtendum est, & vino austero*. Confirmat libro de internis affectionibus, vbi pulmonum varios proponit morbos; nam vinum austerum, & quod magis est mirandum, nigrum etiam commendat; sic enim numero 3. *Et vbi sitis habuerit,*

buerit, cyceonē in vino nigro austero quamiucundissimo æquali mensura aquæ mixtum bibendum dato. Rursus numero 7. vbi de pulmonum inflammatione: *Et meracum vinum insuper absorbeat nigrum, aut album austerum*. Præterea numero 11. de tabe loquens: *Vinum autem bibat austerum, nigrum, quàm uetustissimum, ac iucundissimum, verùm modicum*. Numero denique 13. *Vinum autem bibat album, austerum*. Latinus Hippocrates Celsus & ipse lib.3. cap. 22. in tabidorum victu austerum vinum probauit.

Antitheti huius si postules rationes, sit vna, ac præcipua illa, quòd vinum austerum longè magis, quàm dulce virium seruat robur, ac fatiscentes penè pulmones conseruat. Insuper cùm vina austera, & nigra præsertim sicciora sint, aluumque non moueant, vt 2. de Diæta Hippocrates habet, in tabidis, ac suppuratis, in quibus summa est putrilago, aluique motio maximè verenda, vtique maximè accedit proficuum.

SYNCATATHESIS.

Parogogen paucis dabo. Vinum dulce antequàm sputum prodeat, minùs probatur, quòd tussim non excitet, qua purulenta materia excernitur; conuenit ergo austerum, quod tussim irritando excreationem efficit; id manifestè colligitur ex verbis Hippocratis de locis in homine, dum ait: *Cùm autem excreationem facere oportet, pluribus cibis, & salsis, ac pinguibus vtendum est, & vino austero*. Quamobrem hoc vtitur Præceptor ad anacatharsim promouendam excitata tussi, & ab eo abstinet dum iam sputum liberaliùs prodit, quo tempore ad vias lubricandas, pulmonumque alas expandendas dulce vinum commodius existit. Repete hìc, lector, ea omnia, quæ de salsis, ac pinguibus paulò supra in morbis pectoris vsurpandis dictauimus.

ANTIPHΩNIA XV.

Vinum album, an nigrum hydropicis conferat.

THESIS.

QVinto epidemiorum 67. hydropicorum diætam præscribens Hippocrates aiebat: *Hydropicum oportet defatigari, sudare, panem comedere calidum, in oleo, bibere non multum, lauari & caput tepidè; vinum autem album, & tenue.* Confirmat libro de internis affectionibus num. 27. vbi hydropem ab hepate originarium curans, hæc inter cætera proponit: *Vinum autem bibat album, mendæum, aut aliud iucundissimum aquosum.*

Id autem rationi valde consonat; quandoquidem illud vinum hydropisi conducere videtur, quod vias aperit, meatus reserat, vrinam promouet, ac parum in ventre stagnat; atqui huiusmodi est album, tenue, & aquosum, non nigrum, ac generosum, quod laborem ventriculo infert, ægrè per vrinam transmeat, aluum sistit, atque obstructiones parit. Neque amabo absonum alicui videatur, quòd generosum vinum ventriculo negocium faciat, dum vnanime omnium est arbitrium, illud stomachi refouere segnitiem, languorem eximere, coctionem iuuare, caloremque augere; siquidem vinum quantò vinosius, tantò moratur diutius, ægriùsque superatur, ideòque senibus, qui effoeti sunt ventriculo, haudquaquam arridet, sed olygophoron potius. Ita in hydrope, in quo viscera torpent, ac frigent, Magister in præcitato libro de internis affectionibus non vinosum, sed aquosum vinum commendat.

ANTITHESIS.

AT eodem libro de internis affectionibus num. 24. ἀδιάθετος factus longè aliam exarauit sententiam, nam vinum nigrum, austerum, & crassissimum hydrope affecto præscribit: percipite verba: *vinum bibat nigrum, austerum, quàm crassissimum, ac acerbissimum*; quin paulò supra polypos etiam in vino nigro austero elixos offert: inquit enim: *& polypos edat coctos in vino nigro austero*; & rursus infra: *vinum verò bibat nigrum, acerbum modicum*. Confirmat adhuc libro de victus ratione in acutis numero 62. vbi hoc inter alia hydropico præceptum tradidit. *Deinde panes calidos ex vino nigro, & oleo tinctos edat*.

Sed exoticæ huius sententiæ vestigemus iam fundamenta. Vinum nigrum eo consilio fortè Hippocrati probatur, quoniam naturalem ventriculi, atque hepatis facultatem, quæ fatiscit in hydrope semper, & refouet, & roborat; aut etiam, quia non ita in abdomen, vt album penetrat, vbi hydronosam colluuiem augere valeret. Porrò ea est in hydrope deploranda calamitas, vt vnaquæque corporis humiditas, siue intus aggeneretur, siue extrinsecùs accedat, tanquam fluenta ad mare in partem illam declinet, ac spontè affluat, vbi morbosa stagnat aqua. Adde his, quòd austera vina, Hippocrate docente libro de affectionibus numero 50. ad robur, & siccitatem commoda sunt; omnis autem hyderus exiccationem postulat. Quid si dicamus insuper, probari Hippocrati austerum vinum, quoniam id vrinam validè ciere potest, vt in præcitato libro de affectionibus ipse enunciat, nec non Dioscorides 8. libro capite 5. confirmat? vrinæ autem copia summè salutaris hydropi superuenit.

SYNCATATHESIS.

VTrobique Asclepias noster veritati consonam doctrinam edisserit, quinto enim epidemion, & libro de internis affectionibus hydropis curam proponit, qui à viscerũ refrigeratione, iufarctu, calorisq; strangulatione ortũ ducit, cui, nemine discrepante, album vinum conducit, quod calefacit, coquit, ac de obstruit. At libro de internis affectionibus, de hydero verba facit, qui à febrium colliquatione exoriri solet, cui

summa

summa extenuatio, ac tabescentia fit breui comes. Id ex verbis ipsis Hippocratis liquidò constat; habet enim. *A pituita maximè in aquam inter cutem transitus fit hoc modo. Pinguedo colliquescit, & à calore, qui in pituita est, fit aqua.* Iam corpori, quod à synthesi extenuatur, ac tabescit, crassius alimentum, nec non vinum nigrum, austerum, & crassissimum conuenit; id namque amplius nutrit, vberiùsque reficit, vt quod producendo sanguini commodius existit, Galeno, & experimento magistris. Enimuerò in huiusmodi hydrope causæ magis, nempe colliquationi, quæ est à calore, quàm effectui, qui est hydronosa congeries, consulere debemus Hippocratis exemplo, qui (& videri posset absurdum) in hoc hydrope curando carnes præbet leporinam, caninam, ouinam, & suillam, imò & pisces polypos, gobios, dracones, callyonimos, cuculos, scorpios, & consimiles etiam insulsos, qui crassum, frigidumque præstant alimentum, quale exigitur in corporum colliquatione. Et hinc fortè, (παρέργον) amice Lector nonnulli, & inter neotericos Cardanus in primis existimarunt, omnem hyderum ab excedente, & colliquante calore proficisci; atque adeò frigidis curandum fore; verùm vt ita esse interdum, cum Hippocrate fatemur, ita sic semper contingere, palàm detrectamus.

ANTIPHΩNIA XVI.

Vinum dulce an in diarrhoea curanda conueniat.

THESIS.

Libro de affectionibus numero 28. Præceptor in cholerica passione, aut biliosa diarrhoea vinum dulce commendat: sunt hæc verba: *quum ex vino, aut conuiuio bilis supernè, ac infernè fluxus, aut diarrhoea corripuerit, diarrhoeæ quidem conducit ieiunare, & si sitim habeat, vinum dulce dare, aut vuarum expressarum dulcium retrimenta.*

Dictati ratio illa fortè erit, quòd vinum dulce, vt est crassarum partium, potens sit aluum compescere, aut saltem ciere minùs. Vel quòd bilis amaror, cuius in his morbis est ampla congeries, dulci vino mitescere, ac dulcificari valeat. Adde insuper, quòd in cholerica affectione, in qua virium summum dispendium contingit, vino dulci, quod magis quàm austerum nutrit, vel teste Hippocrate, naturalis facultatis tono consulere debeamus.

ANTITHESIS.

At libro de victus ratione in morbis acutis, numero 25. dulce vinum per aluum ampliùs deducere, tradit: ipsum audite: *Vinum dulce minùs caput grauat, quàm vinosum, & minùs mentem ferit, & magis, quàm alterum per aluum, & intestinum subit: Viscera verò magna facit splenem, & hepar; quare neque his, qui amara bile abundant, commodum est, nam & siticulosum in talibus est &c.* Si igitur siticulosum, & his qui amara bile scatent, infensum, quomodo in bilioso fluxu, ac inde emanante siti conuenire poterit. Confirmat secundo de diæta numero 13. vbi tenuia, ac dulcia vina aluum magis ciere, scribit.

Cæterùm suadet & ratio; cùm enim dulcia bilescant facilè, haudquaquàm poterunt in morbis à biliosa colluuie factis lubrem præstare vsum, & sitim extinguere; libro namque de victus ratio-

ne in acutis num. 26. de mulsa loquens Hippocrates dicebat, hanc dulci vino minùs siticulosam esse.

SYNCATATHESIS.

VT aptiorem symphoniam, lector, audias, obseruandum tibi primò erit, quòd Hippocrates libro de affectionibus non de quacunque choleeica affectione, seu diarrhoea verba facit; verùm de illis duntaxat, quæ à vini copia, & conuiuio, hoc est variorum ciborum ingluuie, originem duxerunt: valde conspicuus sermo ille est: *quum ex vino, aut conuiuio bilis supernè, ac infernè fluxus, aut diarrhoea corripuerit.* Iam quæ à vino, & 'emargia fit cholera, atque diarrhoea, non à bile simpliciter pendet, licet illa quoque commota fusque, deque erumpat effrenis, sed potius à ciborum corruptione, vinique acore. Si itaque sitis superueniat (non enim in his affectibus statim adest, nam febris abest) vinum dulce faciet ad rem magis, vt quod humectat, ac reficit pleniùs Hippocrate arbitro; Sitis autem illa est siccitatis soboles ob ingentem euacuationem iuxta illud aphorismorum quarto libro 19. *quicunque à medicamento purgati non sitiunt, non purgantur donec sitiant*; quamobrem & humectare, & reficere ampliùs tunc expedit; neque perpetuò verùm est, quòd vinum dulce bilescat, siquidem teste magistro libro eodem de affectionibus, dulcia vina sunt potiùs pituitosa: sic ille numero 50. *Vinum dulce, & mellis speciem referens ambo & reficiunt, & vrinam cient, & pituitosa sunt.* Apage, qui legis, an non ex hoc trigemino capite dulce vinum in cholericis, ac diarrhoeicis affectionibus præsentaneum erit? quòd nimirum reficiat; id quod in alui fluxionibus maximè studendum: quòd vrinam moueat; id quod in aluino fluxu deriuationis gratia summè probatur: quòd insuper pituitam generet, quæ bili è diametro aduersatur. Quid si dicamus insuper, dulce vinum in ijs affectibus vsurpari ab Hippocrate, vt ciborum corruptela, & vini acor citiùs per aluum, & faciliùs deducatur, cùm sit verum illud, fluxum flux curari.

Præterea & vinum dulce, si tenue sit, ac recens (vulgo *razzente*) sitim validè extinguere poterit, & longè magis, quàm austerum, quod nimia acerbitate, vt sæpiùs obseruaui, expultricem interdum irritat, fluxusque aluinos concitat, & sitim, quæ siccitatis est soboles, quia magis quàm dulce exiccat, producit, au-

gerque. Et his addo, quòd in cholericis affectibus vinum aliquod ratione virium proculdubio confert; id autem dulce potius eligendum ob eam rationem, quam alibi deduximus, nempe, quod dulce minùs feruet, minùsque inebriat, atque adeò in diarrhoea ab ebrietate oriunda hoc potius eligendum: audiatur iterũ Aristoteles quarto metereologicorum capite secundo: *Vinum autem dulce exhalat, pingue enim: est autem nomine vinum, opere autem non ampliùs; non enim vinosus sapor; quapropter non inebriat.* Eodem sanè consilio probatur Hippocrati vinum secundarium, quod vuarum dulcium expressarum retrimenta vocat, nos itali dicimus (*Acquetta*) nam hæc, quia valde linguam mordet, sitim explet, altiùs ob aquæ miscelam penetrat, & ratione acinorum vim quandam obtinet subadstringentem, quæ conditio in diarrhoeis optatur. Denique illud reticeri non debet, quòd Hippocratis arbitrio non omnibus dulce vinum lubricam, fluxilemque facit aluum, sed pituitosis duntaxat; sic enim secundo de diæta numero 13. *dulce vinum pituitosis magis aluo secedit*; biliosis ergo id non acidet à dulci vino; quod pariter in temperamento, ac natura, non autem euentu biliosis siticulosum esse, Præceptor tradiderat; habet enim: *quare neque his, qui amara bile abundant, commodum est; nam & siticulosum in talibus est.*

AN-

ANTIPHΩNIA XVII.

Vinum dulce num Vrinam ciat.

THESIS.

MEdicinæ Consultor maximus libro de victus ratione in morbis acutis de vino dulci ita sanxit: *Certè per vrinam hoc minùs exit, quàm vinosum album.*

Thesim hanc suadet cõmunis opinio experimẽto fulcita; nemo nãq; ad lotium ciendum dulce propinat vinum, sed album potius, quòd si non austerum, saltem dulcedinis sit expers: prædulce enim secius mingitur, neque ea, qua bibitur proportione redditur; fortè quia ob crassas, quas obtinet partes diutiùs moratur, & quadantenus obstruit, atque adeò liberum vrinæ meatum nequaquam præstat. Quamobrem præcitato libro Hippocrates asserebat, dulce vinum lienem, & hepar tumefacere.

Insuper dulce merum, vt naturæ magis amicum, retinetur arctiùs, ac diutius, dumque eo natura fruitur, renes ocyùs permeare, non patitur; quod nimirum Plutarchi auctoritate confirmatum volo; is enim 3. symposiacωn quæst. 7. tradit, dulcia vina satietatem inducere; & hinc quoque factum arbitror, quòd cùm 2. aphorismorum Hippocrates dicat: *Famem caninam vini meri potio soluit*, expositores penè omnes vino dulci potissimùm hanc tribuunt facultatem; quare & Galenus de dulcibus vinis 3. de alimentorum facultate cap. 40. verba faciens aiebat: *Constat præterea, quòd quemadmodum hæc corpori alendo tenuioribus sunt præstantiora, ita etiam ad vrinam ciendam sunt deteriora.*

Dulce denique vinum iccircò ad lotium promouendum ineptius vinoso censeatur, quoniam minùs obtinet caloris; & hinc est, quòd 4. Meteororum Philosophus illud nequaquam inebriare, statuit: verba sunt: *Vinum autem dulce exhalat, pingue enim; est autem nomine vinum, opere autem non ampliùs, non enim vinosus sapor, quapropter non inebriat.* Astipulatur Dioscorides lib. 5. cap. 5. vbi de vini natura agit, inquit enim: *Siquidem dulce crassis partibus constat, & difficiliùs à corpore expirat, &c.* inde subiungit: *sed minùs inebriat.* At verò de vino albo vinoso è contrario sic de-

cre-

creuit Auerrhoes ſeptimo collig. c. 16. *Et vinum, quòd melius reperitur, eſt aromaticum, cuius caliditas penetrare poteſt totum corpus.*

ANTITHESIS.

Libro tamen de affectionibus oppoſita regiſtratur ſententia; audiamus: *Vinum dulce, & mellis ſpeciem referens ambo & reficiunt, & vrinam cient.* Quòd reficiant, vtique nefas eſt inficiari; ideòque 3. illo de alimentorum facultate Galenus vina deſcribens, quæ magis, minùſue nutriunt, poſt rubra, & craſſa, dulcia recenſet, quæ eatenus alere apta ſunt magis, quatenus craſſiores obtinent partes; quare eiuſdem Galeni arbitrio vinum ſummè album dulce eſſe non poteſt, quoniam ſummæ albedini nequit partium craſſities iungi; vnde ſubdebat præcitato loco Galenus: *Vina, quæ admodum dulcia ſunt, omnia ſanguinem craſſum gignunt.*

At verò quòd vina dulcia, ea maximè quæ mellis referunt ſpeciem, vrinam ciant, minorem fidem inuenire poſſet; neque tamẽ hoc ab vno Hippocrate dictum audeat quiſpiam contendere: quòd enim dulcia omnia modo quodam leniant, vias lubricent, renibuſque faueant, vti caſſia, & ſaccharũ, in confeſſo eſt apud omnes. Vinũ inſuper apprimè dulce, vt magis amicum, rapitur, exugiturque ab hepate; quare licet ipſum per ſe tardè permeet, ab iocinoris tamen auiditate trahitur ocyùs, ocyùſque per emulgentes ad vreteres tranſmeat; vnde fortaſſis Dioſcorides lib. 5. cap. 5. dulce vinum examinans dixerat: *renibus, & venis aptiſſimum.* Quid multa? muſtum, quia dulce, eodem Dioſcoride teſte, vrinam mouet.

SYNCATATHESIS.

Vt vbique ſymphωnos audiatur noſter Hippocrates, dicamus primò, quòd vina omnia, ſi cum aquis comparentur, vrinam cient, ſua namque inſita caliditate meatus dilatant, & expediunt, ac citiùs, quàm aqua diſtribuuntur: quamobrem detrectari non debet, quin etiam dulcia vina lotium faciant, & fortè magis, quàm ipſa auſtera, de quibus lib. de affectionibus num. 50. Præceptor ita enunciauerat: *Auſtera verò ad robur, & ſiccitatem commoda ſunt, vrinam autem cient etiam auſtera vetuſta, quæ alba, ac tenuia exiſtunt,* quod ipſe Dioſcorides lib. 5.

cap. 5. astipulatus confirmauit, inquiens: *austerum celeriùs per vrinam transit*, tametsi austera vim potius constringendi obtinere videantur.

Secundò dicas, quòd libro illo de victus ratione Magister non absolutè scripsit, dulce vinum vrinam non ciere, sed minùs, quàm vinum vinosum album id facere, monet; comparatiuè igitur dum loquitur, necessariò eandem in vtroque admittit virtutem, in vno quidem maiorem, minorem in altero.

Tandem respondere licebit, quòd vinum dulce, vt vrinam prouocet, mellis debet redolere naturam, vt ex ipsis Hippocratis verbis liquidò innotescit, *mellis speciem referens*. At verò mel vrinam mouet, quòd præter Dioscoridem, & Galenum idem testatur Hippocrates præcitato libro de affectionibus, vbi de melle agit, inquiens: *Et per vrinam, & per secessum plus iusto expurgatur*. Quare vinum vt mel dulce, ac flauum, atque adeò calore præpotens, & cuiusdam etiam abstersiuæ virtutis particeps vrinam ciet, eò quia vreteres leniat lubricosque reddat, nec non asperitates omnes, crassitiesque è vijs abducat.

Auctarium si poscas, dabo. An fortè Hippocrates eo loquendi modo, *mellis speciem referens*, vinum melle confectum intelligere voluit? Annuerim; siquidem apud antiquos r: cepto in vsu erat, renibus, & vesicę apprimè vtile, vt 5. de sanitate tueda c. 4. his verbis testatum habemus apud Galenum de vinis loquentem: *Non vetera etiam, nec ijs, quæ melle condiuntur, senes vti, maximè quibus suspicio est calculi in renibus gignendi, aut podagræ alicuius, articularisque morbi impetus futuri. Porrò vinum huiuscemodi compositioni aptissimum fuerit sabinum, aut simile aliquod, &c.* Cæterùm vini cum melle miscela probatur Hippocrati lib. de affectionibus in fine, vbi hæc leguntur. *Vinũ, & mel optima iudicatu sunt in hominibus, si iuxta naturam & sanis, & debilibus cum temporum opportunitate, ac mediocritate exhibeantur: & bona quidem sunt ipsa per se ipsa, bona verò etiam permixta, & tum alia, tum quæcunque memorabilem vtilitatem habent.*

Sume, si cupis, auctarium alterum: Poculũ erat apud antiquos πεντάπλοον dictum, quòd quinque rerum species permixtas contineret, mel, caseum, vinum, farinam, & olei momentum victori in cursu donari solitum, Atheneo teste lib. 11. ad vigorem, vt puto excitandum, & lassitudinem demendam, ad quod œnomel aptè facit.

AN-

ANTIPHΩNIA XVIII.

Calculosæ vesicæ quale vinum vtile, vinosum, an aquosum.

THESIS.

Libro de aëre, aquis, & locis num. 24. de pueri calculo sermonem instituens Hippocrates hæc scripserat: *Fit autem pueris etiam ex lacte, si non salubre id fuerit, sed valde calidum, ac biliosum; ventrem enim percalefacit, & vesicam, quare vrina dū aduritur, hæc patitur. Et sanè censeo, melius esse pueris vinum quàm aquosissimum dare, minùs enim venas adurit, ac resiccat.* Confirmat libro de victus ratione in acutis num. 25. his verbis: *Hoc verò insuper intelligere oportet, quòd si aquosum fuerit vinum, supernas partes omnes, & eas, quæ circa vesicam sunt, minùs lædet.*

Est in promptu ratio, quoniam haudquaquam disputatur ampliùs, coalescat ne à calido, an à frigore lapis intra hominum corpora; quando cunctis est modò in confesso, à calore duntaxat calculosum syntagma coagulari, cùm nequeat in animatis membris is reperiri frigoris gradus, qui lapidis coagmentationi sat esse possit; Iam cùm vinum generosum vesicam præstet ardentē, fit ex eo, vt feruida intemperies, & lapis consequenter in vesica aggeneretur, iuxta expromptam libro de aëre aquis, & locis doctrinā, vbi habentur illa num. 22. *Quorum quidem aluus satis fluida est, ac sana, & vesica non ardens, neque stomachus vesicæ valde coardescit, hi facilè vrinam eijciunt, & in vesica nihil ipsi congregatur; quorum verò aluus ardens, ac feruida fuerit, in his necesse est etiā, vesicā idē perpeti; quū enim magis, quā pro natura fuerit calefacta, stomachus ipsius inflāmatur, vbi verò hæc perpetitur, vrinā nō dimittit, sed in se ipsa cōcoquit, & adurit, & quod quidē tenuissimum in ipsa est, excernitur, & quod purissimū est, transit, & emingitur, quod verò crassissimū, ac turbidissimū est, coagulatur, ac cōcrescit,* parum enim referre putarim, an θολοδέστατον, an χολωδέστατον legi debeat, id est turbidissimū, an biliosissimum; siquidem biliosissimum etiam succum in lapidem coaceruari, probant lapides, qui frequentissimè in cysti fellea generantur; & ipse noui amicum virum, qui semper ferè dum mingit,

po-

postremò dum lotium exijt, meræ bilis, ac flauissimæ portionem emittit; sed hæc fortè παρέργον.

ANTITHESIS.

Immemor tamen huius pragmatiæ libro de victus ratione in acutis non aquosum, sed vinosum vinum ad vesicam, eiusque lapidem celebrat: en verba: *At verò album vinosum vinum plurimum, ac maxima ex parte iam & laudatum, & vituperatum est in dulcis vini enarratione. Ad vesicam autem magis penetrat, quàm alterum, & quum vrinam cieat, ac semper perrumpat multùm in his morbis profuerit. Nam & si ad alia incommodius sit altero, attamẽ, quæ in vesica fit ab ipso purgatio, liberat si quale oportet, propellatur.*

Et hæc ipsa rationi consona propositio videtur, nam quantò vinum generosius existit, tantò exangu bus, ac neruosis partibus arridet ampliùs; & vbi coctione, dissolutione, atque expulsione est opus, nullum efficacius inuenitur, vt quod calore, ac spiritu cęteris pręollet; quare libro de affectionibus Senex basilicè aiebat: *Quæcunque aut flatum, aut æstum, aut morsum, aut repletionem, aut tormen faciunt, à talibus liberat vinum meracum insuper potatum; corpus enim à vino calefactum per calorem amouet ea, quæ insunt à cibis, & potibus ac similibus.* Adde quòd aquosa vina deuehunt ad renes potius, quàm ab illis deferant; ideòque inter causas, quæ addu untur, cur in Vrbe nostro hoc sæculo sit adeò frequentes calculi, illa plausibilis recensetur, quòd vina, vt olim generosa, & ripalia dicta minùs adhibeantur, sed quæ aquis parata deferuntur ab Oppidis, quæ procul dubio mictui nihil fauent, Hippocrate monente lib. de victus ratione in acutis num. 58. vbi sic: *quod verò ad potus attinet, qui quidem aquosi sunt, tardioris transitus sunt, & intus obuoluuntur, & circa præcordia redundant, & ad mictionem non decurrunt.*

SYNCATATHESIS.

Discite Tyrones Philiatri, ijsdem morbis non semper idem opportunum esse remedium. Aetas & semper, & plurimùm præsidia immutat; hinc fuit operæpretium distinctos de puerorum, virorum, ac senum morbis tractatus edere. Senium, ac maximè silicernium, & pueritia, theriacam, aloen, atque elateria pharmaca plerunque non admittunt: tenuis-

nuis-

nuissimum victum detrectant pueri, alacriores maximè, senes facillimè ieiunium ferunt: adolescentulis interdicitur vinum: raucedines, & grauedines in valde senibus non curantur: nephriticæ passiones post quadragesimam quintum annum insanabiles; quid multa? iuuentuti omnia gratiosa, senectuti infausta omnia: Non igitur mirum, si summus Medicorum Antistes in calculo vinum aquosum præscribit pueris, vt qui caliditate præcellunt, quique ob feruorē à nutricis lacte in vesica contractum lapidē coagulant, vt apertis fidibus libro de aëre, aquis, & locis Præceptor edisserit. At verò in alijs ætatibus laborante vessica, vinum vinosum est longè magis præsentaneum, vt quod lotium prouocat, vessicam roborat, calfacitque, nec non ab excrementorum colluuie expiat.

Rursus id, sodes, animo perlustra, quòd in calculi generationem duo necessario conspirant, efficiens, & materia: Efficiens calor est præter naturam acutior; materia crassissimum, ac turbidissimum excrementum, vt libro de aëre aquis, & locis num. 23. legitur. Porrò si efficienti, nempè calori præter naturam adaucto præstò esse velimus, vinum proculdubio aquosissimum conuenit, ne ignis igni adijciatur, neue causæ addamus. At si materiæ consulere velimus, & robustam vessicæ expultricem efficere, vinosum reuera conuenit, quod attenuare, dissoluere, & expellere valet, nec non vegetam reddere vessicæ facultatem quancunque. Atqui in pueris alioquin calidissimis causæ magis, quàm materiæ studendum erat, ideòque in illis Hippocrates aquosissimum vinum præscripsit.

* * *

AN-

ANTIPHΩNIA XIX.

Vinum vinosum, & meracum reficiat, an debilitet eos, qui à morbo conualescunt.

THESIS.

Libro de affectionibus num. 44. Magnus Præceptor ijs, qui à morbo conualescunt, refectionis tem marsim præscribens aiebat: *Post sorbitiones cibum debilibus dato, & vinũ vinosũ insuper bibendum.* Tumultuosa profectò fuit Neotericorũ olim quæstio, an vinum nutriat, nec ne. Atqui non est ampliùs sub iudice lis, quando omni albo sancitum extat, vinum seu per se, seu per accidens alere, & quidem magis, minusvè pro vinorum multiplici conditione, & natura, adeò vt nemo hodie, nisi cauillosus, id inficias eat.

Atqui vinosum, ac minùs dilutum vberiùs alere, est vtique rationi magis consonum; quò enim est generosius vinum, eò calidius, quò meracius eò crassius, ideòque magis ad nutricatum idoneum; dilutum namque ad aquæ ipsius naturam propiùs accedit.

Id ipsum quotidiano probatur vsu, siquidem dum robore quempiam, & viribus munire consilium est, vinum & merum, & vinosum, dummodo febris absit, præscribimus; quos Venus viribus reddidit effoetos, Baccho recreamus alacriùs, & clinopalen habituri lacertũ plerunque mutuantur à mero; nam vt Vates:

Et Venus in vino, ignis in igne furit.

Imò diuo teste Hieronymo in Epistolis: *Venter mero æstuans spumat in libidinem:* vnde fit, quòd salaciores mulierculæ abstemios oderunt. Atqui hæc abundè lector nostra te docuit Geneathropeia; progrediamur vltrà. Athletæ, Gladiatores, Pancratiastæ, & quotquot olim ludos in gymnasio strenuè obituri erant, se ipsos intus, forisque meraciori loricabant vino. Bellè nimirùm istinc illud secundi aphorismorum collimat: *Famem torexis soluit:* Nam torexis politicum quoddam est nomen, quòd armaturam significat, atqui generosum vinum perinde est, ac lorica impenetrabilis; hinc ab eo famem solui, tradit Hippocrates, & meritò, quoniam benè, ac celeriter nutrit, caliditate insuper eximia coquit,

atte-

attenuat, dissoluitque cruditates illas, acidosque succos, aut melancholicos, & austeros, qui in ventriculo stabulantes bulimiam excitabant. Quid multa? titubantes à morbo vires, euanescentes à syncope spiritus, cor mȩrore languens reficimus, exhilaramus vino aptiùs, & citiùs, quàm quouis alio medico prȩsidio. *Date siceram mœrentibus, & vinum ijs, qui amaro sunt corde*. Salomon.

ANTITHESIS.

SI vera sunt hæc, cur libro de veteri Medicina num. 37. lius à se ipso aliter sentijt Hippocrates? ait enim: *Vinum meracum multum potum hominem aliquo modo debilem reddit*. Sententiȩ astipulatur palàm Aristoteles 3. sectione problem. 22. vbi quȩrens: *quamobrem, qui ante extenuatus merum inde multum hauserit, morte occumbat?* post multa rem ita definit. *Et quomodo ab igne nimio, aut Sole exiguus ignis extinguitur, sic intimus corporis calor à vini calore, si minus est, superatur, atque extinguitur.*

Neque hercle caret suis rationibus hoc antitheorema, quarum præcipuas afferemus in medium. Et quidem primò vinum generosum, ac meracius, amplis præsertim crateribus haustum, ventriculi calorem segnem, qualis in conualescentibus reperitur, fatigat, rarefacit, dissipatque ampliùs; omne enim agens in agendo repatitur, vnde fit etiam, quòd alimentorum sarcina infirmatur, non recreatur stomachus: An ignoras lector, alimentum modo quodam natiuum calorem refrigerare? Paradoxon id fortè reris, at Galenum audias libro de vtilitate respirationis: *Aristoteles quoque in quodam loco affirmat, quòd omne nutrimentum influẽs refrigerat id, quod nutrit, & addit etiam, quòd deficiente nutrimẽto: fiat caloris augmentatio ratione vacuitatis, & hoc ostendit per simile eius, quod accidit in ventre, & matrice, quæ postquam sunt vacua, calidiora fiunt, quàm quando plena fuerint, huius autem causam determinauimus in libro, quem de spermatè edidimus*. Sed eò, vnde digressi sumus, redeamus. Facit huc appositè obscurum illud Hippocratis enigma ex libro de Diæta: *Alimentum non alimentum*; hoc est alimentum, si ventris natiuum calorem superet, nequaquam alit, quoniam aut in cruditatem, aut in corruptelam abit. Nempe quicquid nutrire aptum est, nisi eius, qui nutriri debet, viribus æquiparetur, sed longè præualeat, nihil roboris affert, sed, vt ait Hippocrates in Aphorismis de cibo loquens, *vt sano robur, ita egris est morbus*. Et Galenus basilicè aiebat, quòd si quæ

nutriunt

nutriunt absque illo, qui nutritur, nutrire possent, seu si alimentum se ipsum coqueret, caro suilla, aprugna, bubulina, & alia quæcunque fortis, & robusta indifferenter debilibus omnibus offerri posset; sed quoniam opus est, vt ab eius, qui nutriri debet, calore liquetur, & coquatur, propterea eius, qui alendus est vi, & calori analogum esse debet epulũ; placet ipsa Galeni verba ex 7. methodi c. 6. ad vnguem registrare, vt quæ in ratione victus præscribenda sint maximè faciẽda, imò tum Medico, tũ egroto semper præ oculis habenda: *Et vt paucis alimenti summam complectar, sit coctu facile, & nutriens, minimèque glutinosum, atque excrementosum; Porrò omnium, quos nouimus, ciborum maximè nutriens suilla caro est; verùm non æquè, ac prædictæ concoctu facilis est, præterea glutinosũ succum, crassumq; generat; alioqui nec alio esse habitu potest, quòd in summo sit nutriens; quippe adherere id debet, & firmiter affigi, non autem præ tenuitate diffluere. Non tamen ad propositum affectum vti hac conuenit; si enim nutrimentum ipsum se ipsum conquoqueret; ac in partes digereret, præterea alendis partibus assimilaret, & quibus alimẽto plurimo est opus, adhæresceret, proculdubio maximè nutriente cibo esset opus: Verùm quoniam non aliud est, quod nutrimentum desiderat, aliud, quod ipsũ conficit, sed quod nutriendũ est, ipsũ sibi & nutrimentũ attrahit, & mutat, & conquoquit, & adiungit, & assimilat, ad duo nimirũ nobis in opportuno cibo eligẽdo spectandũ esse dictat, vnum ipsius cibi naturam, alterum vires suas proprias, insitasque; itaque ex his illud patet, nec planè, quod maximè nutriat, optimum esse ijs corporibus, quæ refici magis egent, vt potè quibus cõcoquẽdi facilitas nõ est, nec etiã quod facillimũ concoctu est, cùm scilicet ipsum nequeat maximè esse nutriẽs.*

Præterea vinum meracum largiùs haustum natiuum calorẽ dissipat, & rarefacit, imò & marcescere facit. Hinc Philosophus 3. sect. problemate illo supra relato quærens: *quamobrem qui ante extenuatus merum inde multum hauserit, morte occumbat?* quod Hippocratis relatæ sententiæ consonat, hæc habet nimis ad rẽ: *Quærendũ enim hoc est, quandoquidẽ vinum calidum suapte natura est, & vt vita calore cõtineri apparet, sic mors refrigeratione accidere. An vt ex cicuta, sic ex mero intereũdũ est? videlicet dũ proprius calor paulatim extinguitur, modo tamẽ diuerso. Cicuta enim calorẽ frigiditate sua extinguit, humorẽq; indurat; Vinũ autẽ sua caliditate calorẽ macerat naturalẽ. Et quomodo ab igne nimio, aut sole exiguus ignis extinguitur, sic intimus corporis calor a vini calore, si est nimius superatur, atq; extinguitur.*

Rei eiusdẽ veritatem probant euentus, quãdo videre est, omnes quot quot meraco indulgent nimiũ vino, frigidis, & veternosis af-

fectionibus obnoxios reddi; Hinc Aristoteles eodē 3. Problematū quæritat; *cur ebriosi tremore afficiātur, cur Solis gaudeāt calore, hydropici fiant, & lingua oberrent?* vbi præclaras ex Philosophiæ ditiori penu doctrinas adducit, ad quas lectorem remitto.

Adhuc merum affluentiùs haustum poros reserat, ac diapneustiam auget, quod certè virium addit imbecillitati; patet id quidē liquidò, quoniam vinum gracilitatē, vt aqua pinguedinem efficit; quare saginari qui cupiunt, si nimia diffluant caliditate, aquā si hauriant, & vino vale dicant, breui pinguescunt, imò & aruinam consequuntur, non solùm, quia inde alimentum haudquaquam tam ocyùs dissipatur, verùm quia caussa est aqua', vt largiùs comedatur; quò spectat illud Hippocratis in Epidem: *Aqua vorax, vigilia vorax;* quòd sanè illucescit euentu; nam abstemij quotquot sunt, sunt penè helluones. Cęterum quòd vinum afflu enter sumptum meatus reseret, atque insensibilem transpirationē augeat, colligas ex Præceptore 3. de Diæta nu. 22. vbi ijs, qui ex gymnasijs horrēt, & cùm se exuunt, & vsque ad ebrietatem bibunt, præceptum hoc tradit: *Et confert his calida lauare, ac molliter cubare, & semel, atque iterum inebriari;* hinc enim humorum ad corporis peripheriam translatorum, reseratis poris, fit resolutio, ac dissipatio.

SYNCATATHESIS.

NVlla prorsus in relatis textibus erit antilogia, si vtriusque verba altiùs perpendantur. Nam libro de affectionibus, vbi debilibus vinum vinosum concedit, id non merum, largiùsque potatum intelligit, verùm generosum quidem, spirituumq; locuples, at in æqua mensura, & quod aqua sit congruè dilutum: Cur verò vinosum potius vinum viribus imbecillis offerri debeat, illa est ratio, quòd nimirum viuaciori spiritu, & calore ventriculum morbo, inedia, & aquæ potu fatiscentem, ac penè languentem refoueat, & vires effœtas restauret. Rursus quia diutius hoc vini genus immoratur, quàm pauciferum, & oligophoron, hinc est, quòd pepsi validiùs opitulatur, atque adeò nutritioni opulentiùs conducit.

Cæterùm in libro de veteri Medicina de vino & meraco, & multo verba facit, quomodo, vt probauimus, naturæ negocium facessit, vires deijcit, marcore calorem perimit, plurimasque frigidas passiones parit. Ita Mnesitheus ille.

Dono Deum
Obuenit vinum nobis, ingens his donum,

Qui

Qui rectè vtuntur, alijs pestis pessima;
Alimentum namque præstat rectè vtentibus,
Additque vires pariter animo, & corpori;
mox infra:
Quotidianis hominum autem in conuictibus
His, qui benè temperatum, nec nimium bibunt,
Dat hilaritatem, vberius insolentiam,
Si par aquæ bibatur, etiam insaniam,
Si purum, siderationem corporum.

ANTIPHΩNIA XX.

Vinum, & lac simul assumere num expediat.

THESIS.

SEptimo epidemiorum 81. Dictator noster cholericæ passionis productrices epulas describens, vinum cum lacte mixtum recenset his verbis: *Cholerica ex carnis esu maximè verò porcellorum crudiorum, & ex cicere, & ebrietate vini odorati veteris, &c.* & paulò infra, *& à fructibus horarijs, & cucumere, pepone, & vino, & lacte permixtis.*

Huius autem euentus causam acceptam referunt auctores acori, quem facilè à vino lac excipit, vnde mox in corruptelam abiens, ventrem erethismo soluit, stomacho, atque inrestinis infensat. Hinc Auicenna secundo Canonis 444. hæc de lacte sanxerat: *Oportet, vt non super ipsum dormiat, neque suscipiat super ipsum cibum alium, donec descendat, nec etiam post ipsum bibatur vinum, quoniam alterat ipsum, & coagulat, & penetrare facit indigestum.* Quod adeò certa, vulgarique opinione cunctis persuasum videtur, vt plerique à lacte vino renuncient, & aquam puram hauriant, ouium custodes imitantes, qui lac esitant quotidie, nec læduntur vnquam, quoniam à vino abstinent.

ANTITHESIS.

SI modò ita est, cur eodem 7. epidem. textu 4. in Eratolai filio diuturna dysenteria detento lactis bubuli mensuram cum vino nigro, & austero propinat? Historiam registre

mus circa finem vbi hæc: *Post hæc bubuli lactis crudi quatuor cotylas Atticas bibit, singulis diebus duos cyathos, primum aquæ sextam partem miscens, & vini nigri, & austeri parum: semel autem in die cibum capiebat ad vesperam*, & paulò infra: *Potus autem lactis post dies decē vsque ad quadraginta sine aqua cū vini nigri modica parte*.

Rursus & secundo epidemiorum ad quædam vlcera sanāda laudabat Hippocrates lac, & vinum cùm pari aquæ mensura, additque in commentarijs Vallesius, fuisse apud veteres in frequenti vsu lac non solum meracum, sed vino, & aqua dilutum. Adhuc eodem 2. epidemiωn sectione 5. num. 9. in ossis capitis fractura ad partis regenerationem lac, & vinum meraca præscribit: Sunt verba: *Si capitis os fractum sit, dare potu lac, & vinum æquale æquali*. Da veniam lector, si addam sacra profanis, quid illud canticorum: *Bibi vinum meum cum lacte meo?*

Neque hercle video, cur debeat isthæc miscela protinus improbari, cùm à vino austero, & nigro corrigi in primis valeat lactis non modo flatulentia, verùm eiusdem vis deiretoria, quæ in rebelli dysenteria haudquaquam exposcitur: & insuper lac natura crassum, & ægrè meabile, ocyus ad ventrem, & ad partes deferatur, easque diuturna fluxione tabefactus ampliùs nutriat, reficiatque. Quid vltra? Si acetum lacte remixtum, quòd ὀξυγάλα vocant, non modicum in re medica vsum habet, haud profectò minorem habebit lac idem vino permixtum, aut simul adhibitum, quod οἰνογάλα vocari licebit.

SYNCATATHESIS.

Diximus alibi, aliud esse lac exhibere vt simplex alimentum, aliud verò vt medicamentum. Vt alimentum vinum respuit ob rationes in thesi adductas: vt medicamentum verò admittit, vt lactis copiæ corrigatur frigiditas, inhibeaturque flatuum generatio, cùm etiam, vt ad maximè distantes partes deferatur promptiùs, illasque affatim alat. His adde, quòd eo consilio in dysentericis vini rubri, vel nigri portio admiscetur, vt nimirum lubrica intestina roborentur; perinde ac in eorundem purgatiunculis myrobalanos admiscere consueuimus, vt intestinorum seruetur tonus, ac virtus roboretur. Pari ratione, quoniam ossa difficilem habent regenerationem, nil mirum, si in eorum fractura 2. illo epidemiorum Hippocrates lac, & vinum propinat, vt quæ potimum præstare queant alimentum.

AN.

ANTIPHΩNIA XXI.

Somnus calefaciat, an refrigeret.

THESIS.

A Somno corpora incalescere, tanquam sub enigmate significauit Hippocrates 6. epidem. sect. 5. verba sunt illa: *Labor articulis, cibus, & somnus visceribus*, quemadmodum enim gymnasium, & labor quicunque externis membris caliditatem adauget, spiritibus ad corporis peripheriam euocatis; ita somnus ad meatus internos, ac viscerum penetralia eandem reuocat; Id quod apertis verbis magnus idem Asclepias eodem 6. epidemiωn textu 5. sic enunciat: *palàm vigilans calidior externis partibus, frigidior autem internis; dormiens vice versa.*

Suadetur autem præsens diania non vna, sed multiplici ratione; & prima quidem à priori; quandoquidem eatenus in animalibus excitatur somnus (naturalem non morbosum intelige) quatenus refuso ad viscera calore, suauis anathymiasis excitatur; Nec profectò somnus demulceret vnquam, nisi caloris huiusce ad centrum συναγωγή, & reductio fieret, vnde apud ipsũ Præceptorem in ipsis epidemicis legitur: *Sanguis in somno intrò magis repit.* Inde fortassis definitio illa somni apud Plinium lib. 10. *Estque somnus nihil aliud, quàm animi in medium sese recessus.* Et id sanè vel ex eo confirmari posset, quòd in somnum facilius à cibo declinare solemus, quo tempore, vt alimentorum coctio celebretur, totus ferè calor naturæ quadã sagacitate penes ventrem congregatur, vnde accidit, vt aliquantisper frigeamus à mensis. At è contrario, qui dormitum vadit incænatus, ni humidiori sanguine scateat, aut nullo, aut exili valde, interruptoque sopore perfunditur; quòd Physiouatus Lucretius lib. 4. de natura sic decantauit.

> *Hæc eadem cibus in venas dum diditur omnis*
> *Efficit, & multo sopor ille grauissimus extat*
> *Quem satur, aut lassus capiat, &c.*

Et Persius Satyra 5.

> *Qui satur irriguò mauult turgescere somno*

Secunda ratio esto illa, quòd somnus ab extimis partibus in-

fluentem calorem auocat; is igitur intimo iunctus maior euadit; quòd autem verum hoc sit, liquet ex eo, quòd externæ omnes potentiæ dormienti in ipso somno silent, ac feriantur, nec certè vacarent, si functionem omniũ faber, ac minister calor præsens adesset. Huc nimirum spectat Hippocraticum illud enigma lib. de diæta: *Lux orco, tenebræ Ioui. Lux Ioui, tenebræ orco*, quod est, quãtum ad rem præsentem facit, dum caloris flãmula in sublimi corpore explendescit, obscuratur in centro, nempe in visceribus. In silice ignis est in orco, at cùm percutitur chalybe, redditur Ioui. Seminis decus, atque energia antequàm intra vteri sinum suscitetur, lux est in orco; dum fortificat, redditur Ioui; quid multa? nulla virtus vno, eodemque tempore potest intus, ac foris emicare.

Tertia ratio ab ipsa desumitur autopsia, qua experimur, internas quascunque partes, si fortè æstuent, ac phlogosi aliqua detineantur, à somno amplius excandescere; quò consilio solemus in internis omnibus inflammationibus pleuritide, phrenitide, peripneumonia, & congeneis ægros diuturno somno interdicere; nam licet 2. aphorismorum legatur: *vbi somnus delirium sedauerit bonũ*, id nequaquam de primigenio delirio, siue de phrenitide per idiopathiam intelligi debet, verùm de paraphrenitide per sympathiam à subiectis partibus, alienisque humoribus, à quibus acres fuligines, halitusque perperi dum eleuantur, mens percellitur: quippe in illo somnus feruorem acuens calamitatem adauget; in hoc verò, succis à somno mitificatis, & ad natiuam benignitatem redactis, cedit exitium.

Euentus tandem idipsum confirmat, quandoquidem in somno coctiones omnes pleniùs celebrantur, quod neutiquã contingeret, nisi calor pepteos cuiusque promus cumularetur, & in visceribus fortior redderetur. Vnde accidit, quòd animalia, quæ plurimùm dormiunt, plurimùm quoque pinguescunt; hinc illud apud Martialem distichon.

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Roboratur, & clauditur hæc eadem sententia aphorismo illo primi libri: *Ventres hyeme, & vere calidissimi sunt, & somni longissimi*; quasi ideò sint longissimi, quia ventres calidissimi.

ANTITHESIS.

ANtirrhesim iam postulas lector? en afferam ex libro de flatibus num. 20. vbi hæc exarantur: *Quum enim corpus inuaserit somnus, sanguis frigefit; a natura enim somno frigefaciendi vis inest, infrigidato autem sanguine*, & reliqua. Hippocrati subscripsit Aristoteles, vt apud Plutarchum 5. de Placitis Philosophorum legere est his verbis: *Aristoteles somnum corpori cum anima facit communem, esse enim euaporationem humidi in caput, & refrigerationem caloris in corde ab elemento subiecto.*

Porrò & hoc etiam sua non caret suadela; nam in somno palàm conspicimus, pallescere vultum, frigescere cutem, torpescere mēbra, atque vniuersum corpus adeò stupere, vt verum sit illud Platonis 7. de legibus: *Nemo quidem dum dormit, alicuius est pretij non magis, quàm si non viueret*; quò illud vatis collimat.

Stulte quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?

Age! si mortis imago, ergo frigiditatis symbolum; nam vt vita caloris, ita mors frigoris est alumna, vt omittam, à Marone vocari eundem mortis consanguineum 6. Aeneidos:

Tum consanguineus leti sopor,

et à Seneca in Hercule furente mortis fratrem:

frater duræ languide mortis.

Sed quid moror auctoritates cumulans? Haud potest illius rei effectus esse calidus, cuius causa existit frigida. Iam somnus à frigidis plerunque superuenit, lactucis, violis, solano, mandragora, & similibus. An non insuper liquidò constat, omnes quotquot nimiùm indulgent somno, floridum vultus calorem corrumpere, cutis venustatem defœdare, artuum effeminare lacertum, segnesque, & imbecilles ad omnes functiones reddi? Mecum hic lector ad rem expende Hippocratis verba in libro de diæta: *Diuturnus somnus viscera excoquit*: Vox illa, excoquit, plurimi pollet; quemadmodum enim nimiùm excoctæ carnes nullius existūt roboris, & saporis, solumque ad secessum conferunt, vt libro de affectionibuus num. 44. & 45. legitur; ita viscera à somno diuturno excocta robur, atque omnem virtutem amittunt. An ex hoc, erudite lector (& sit parergon) decocti nuncupantur, qui ærem proprium dissiparunt, ac propterea cum re nominis etiam, & virtutis amiserunt existimationem?

Cæterùm has rationes si ingenio assecutus fuisset Valesiolus

vir alioquin doctissimus, nequaquam adeò peruicax librum de flatibus vt falsum, & mendacijs plenum repudiasset 1. libro suarũ enarrationum, vbi hanc de sanguine frigescente in somno sententiam damnans, vel in ea præcipitat verba: *Quid enim ineptius dici, excogitarique vnquam potest, quàm ex somno sanguinem refrigerari?* Et paulò infra vel insanum appellat, qui fidem his dictis præstaret; ò quàm bene libro de alimento Hippocrates: *Consonans dissonans est, dissonans consonans est.*

SYNCATATHESIS.

VT ad symphωniam disphωnia redeat, erit hoc primò distinguendum tibi, amice philiatre, quòd aliud est, somnum augere visceribus calorem, aliud verò augere sanguini. Primum, non secundum astruit in epidemicis Hippocrates. Porrò sanguis nequaquam est natura sua calidus, sed influente spiritu, quod apertis finibus libro de corde num. 10. Musageta noster testatus est his verbis: *Sanguis enim non est natura calidus, sed calescit*; id quod alibi proprio capite examinauimus. Cùm itaq; spiritus in somno ad sua principia reuocentur, naturales ad hepar, vitales ad cor, ad cerebrum animales, sequitur inde, vt sanguis calore depauperetur, atque adeò frigescat; quod sanè palàm fit ex pallore dormientis eiusdemque torpore, atque etiam frigidis, & catarrhoicis affectionibus, quibus qui plurimum dormiũt, inauctorantur.

Secundò dicas, quòd somnus vel breuis est, & moderatus, vel diuturnus, & ad multum diem protensus. Breuis ob spirituum ad centrum recursum calorem visceribus addit, diuturnus, quòd excoquat, humectetque valde, refrigerat, nec insuper sinit perfectam fieri anadosin, qua præpedita, membra succi alibilis vbertate defraudantur, vnde mox algent.

Rursus, & erit fortè dialysis melior, somnus considerari potest vel vt ieiunum, vel vt saturum detinet; si pleno stomacho quis dormiat, incalescit profectò, quoniam congregato calore, auctoque alimento, corporis refouentur partes. Si verò ieiuno ventriculo sese quispiam somno committat, refrigeratur vtique corpus quoniam adauctus calor, cùm quod depascat alimentum, non inueniat, proprium humidum depopulatur, ex cuius deperditione euanescit & calor, vnde cita refrigeratio; inde vulgatum illud enigma: *qui mecum viuit, mecum moritur.* Sententia est Hippocratis

tis 2. de Diæta num. 28. is prolata verbis: *Somni ieiunum attenuant, ac frigefaciunt; si non longi fuerint præsentem humiditatem euacuantes; qui verò magis calefaciunt, colliquant carnem, & corpus diffundentes exoluunt, ac debiles reddunt: A cibo verò sumpto calefacientes humectant, alimentum in corpus diffundentes.* Profectò, si hæc animaduertisset Valleriola, præfatam libri de flatibus sententiam, vt ab omni veritatis albo alienã, & Hippocrate indignam nequaquã repudiasset. Nimirum, vt probauimus, quantum à somno viscera incalescunt, tantum ab eodem refrigescit sanguis, quinimò & sanguis, & viscera calore destitui possunt, si somnus immoderatus fuerit, sique ieiuno corpore ad altam diem protrahatur. Et ex his quomodo hinc inde solui debeant argumenta pro vtraque sententia desuper allata, vnusquisque addiscere poterit.

ANTIPHΩNIA XXII

Somnus visceribus, an carnibus calorem augeat.

THESIS.

SExto epidemiorum sectione 5. hæc apud Senem nostrum leguntur: *Labor articulis, & carnibus, cibus, & somnus visceribus*; quòd est, articulis, & carnibus calorem, vigoremque à labore, visceribus autem à somno, ac cibo augeri.

Sententiæ vna illa est ratio, quòd cùm in somno, ac cibo ad intima viscerum penetralia natiuus calor sese reducem faciat, vt sæpius ab Hippocrate dictitatur, in his effectus, viresque suas producere debet. Sed quinam caloris effectus? Profectò refouendi, nutriendi, ac restaurandi. Probat quoque vnusquisque autopsia, quando vegeto corpore, validisque viribus à somno resurgit; nec contrà robori quicquam detrahit magis, quàm vigilia intempestiua, vnde virtutum languescit energia.

ANTITHESIS.

TErtio tamen de diæta num. 9. longe dissona registrari videtur opinio; sunt illa verba: *Somnus contingit carni, & sanguis funditur, & spiritus diffusus tranquillus fit.*

Comprobat & ratio; quandoquidem carnes in somno maximè reficiuntur, augentur, nec quicquam magis, quàm somnus diuturnus obæsum reddit corpus, vt paulò supra pluribus demonstrauimus; igitur carnibus magis, quàm visceribus præstò est somnus.

SYNCATATHESIS

PRodeat primò in theatrum Marinellus, & conciliatorem agat; in tertio igitur commentario in Hippocratem hæc scripta leguntur: *At quando dicit, somnus contingit carni, intelligendum est, quòd cùm homo dormiat, tunc carnes nutriuntur, augentur, atque roborantur, & non quòd carnes à somno deprehendantur; imò in somno vis naturalis viget, & animalis quiescit.*

Cæterùm si græca expendantur verba, nullã in his antilogiam contineri, inueniemus; siquidem quod legunt alij: *Somnus contingit carni*, Fœsius legit: *Fit autem somnus humectata carne*; & sanè ita ex Græco legi debet, habetur enim: ὁ δὲ ὕπνος γίνεται τῆς σαρκὸς ὑγρανθείσης. Sic ergo dum in somno calor ad viscera refunditur, carnes humectantur; sicut enim vbi plus caloris, ibi plus siccitatis reperitur; ita vbi minus caloris, ibi plus humiditatis extuberat; quare nulla intercidit contradictio. Nec silentio prætereundum, sententiam illam ex 1 Epidemior. vario modo apud antiquos Auctores translatam reperiri; & apud Vallesium in primis sic legitur: *Labor articulis, & carnibus cibus, somnus visceribus; animæ deambulatio, cogitatio hominibus*: quorum verborum inter varia antiquorum hypomnemata, quæ sit germana interpretatio, videas apud Vallesium ipsum in commentario, vbi & sana doctrina, vt moris est, atque eruditione frueris plurima.

ANTIPHΩNIA XXIII.

Salita an aluum moueant.

THESIS.

IN libro de affection. num. 49. hæc ab Hippocrate dictata leguntur: *Salsa secedunt, & vrinam cient*: Confirmat 2. de Diæta num. 8. vbi sic: *Per vrinam verò eijcitur dulce, per aluum autem secedit salsuginosum*. Et rursus num. 16. *At verò sale seruata* (idest carnes) *minùs quidem alunt humiditate per salem priuatæ, attenuant autem, & siccant, ac sufficienter aluum mouent*. Libro insuper de locis in hom. rem luculentiùs definit his verbis: *Aluū autem subducentia talia sunt, quæcunque lubrica, & incisiua sunt, & quæcunque in calidis attenuantur; venter enim calidus est, & reliqua, quæ salsuginosa sunt, & quæcunque ex talibus plurimū participāt*. Neque hæc rationibus, & experimentis probare arduum fuerit.

Rationibus quidem, quoniam cùm sal vim obtineat abstergendi, excrementa ipsa detergit, atque deorsum pellit per ductus intestinales, eodem prorsus modo, quo mel abstersiua, qua pollet, facultate per vrinam non minùs, quàm per secessum, auctore Dioscoride, expurgat.

Præterea tam alimenta, quàm medicamenta quæcunque aluum mouent, id ex eo præstant, quòd vel abstergunt, vel comprimunt, vel irritant, vel humectant. Atqui hæc omnia præstat vnum sal, nam vt supra diximus, validè in primis abstergit; constringit etiam, comprimitque eximia siccitate; Idem efficit irritando, nam expultricem vim nil fortiùs excitat, atque erethismo incitat, vnde salis in clysmis, & balanis frequentissimus vsus; quin salis vnum granulum est validum suppositorium. Humectando etiam quodammodo, licet per accidens, aluum lubricam efficit, nam soluit, liquatque ventriculi humiditates, intestinorumque mucosas fæces. Ita dum suillæ carnes, aliæque sale condiuuntur, multum ab initio humoris effundunt, expressa nimirum à vi salis illarum humiditate, vnde mox à putredine redduntur prorsus immunes.

His rationibus experimenta consonant; quippe aqua illa tam

celebris

celebris apud nos Italos Tectucij nuncupata, quia salsa, miros producit in eluendis intestinis effectus. Valleriola post catarcticas potiones non insulsum iusculum, vt antiquata fert consuetudo, sed salitum exhibendum autumat, quòd sic medicamenti vim roboret, ac melius abluat, abstergatque. Apud Ægyptios, Prospero Alpino teste, à purgantibus pharmacis Nili aqua plenum exhibent cyathum, vt salmacida, seu nitrosa qualitate purgationem adiuuet. Quid multa? Aetius quoque sermone 14. cap. 15. de dysentericis verba faciens, putealem aquam subsalsam esse, scribit, ideòque ventrem perturbare: & Galenus libro de attenuante victus ratione cap. 3. aiebat: *Incidunt præterea & quæ saporem quendam habent nitrosum, aut salsum, quorum etiam plurima aluum deijciunt*. His adde corollarium. Georgius Agricola 3. fossilium, sal fossile sarmaticum ad drachmæ pondus cum vino potum aluum deijcere, scribit.

ANTITHESIS.

Nterim libro de Aere, aquis, & locis dictorum immemor Hippocrates toto distantem cælo exarauit sententiam, vt num. 16. his verbis apparet palàm: *At enim mentiuntur homines de salsis aquis propter imperitiam in eo, quòd per aluum secedere, eamque soluere putantur; maximè enim contraria sunt ad alui egestionem, ac secessum: sunt enim crudæ, & coqui non possunt, quare venter magis ab ipsis astringitur, quàm eliquatur*. Quid clarius?

Confirmatur ex ipsomet Magistro 3. de Diæta num. 17. vbi de lubrica, & quasi lienterica aluo verba faciens, carnes val de salitas, & pisces muria incoctos proponit; verba sunt: *Et coctos quidem pisces in muria edere oportet, vtendum etiam carnibus sale, & aceto inueteratis*. Et num. 20. ijs, qui stiptica omnino aluo sunt præditi, cùm alimenta proponit, nihil salitum recenset. Immò lib. illo de affect. num. 38. aiebat: *Quæcunque ex his dederis ad secessum tenui a dato, & magis percocta, & dulciora potius, quàm salsiora, & calidiora*.

Hippocrati in primis astipulatur Galenus 4. de simplic. medicam. facultate cap 20. vbi sic: *Omni enim sali obscura quædam adstringendi vis inest, qua eas, quæ condiuntur, carnes constringit, densatque*; & luculentius lib. 9. cap. de sale huic vim calefaciendi, & exiccandi insignem tribuit.

At ipsa insuper fauet ratio, nam cùm sal excellenti caliditatis

gradu, & ſiccitatis adhuc maiori præpolleat, aluum calefac iendo, fęceſque exiccando difficilem præſtabit excretionem; exugit enim, aut potius exprimit, depopulaturque humidum illud, quòd inteſtinorum lubricitatem efficere valet, imò inteſtina ipſa corugat potius, aſtringitque, omnem demens laxitatem eò modo, quo vẽtriculum etiam corrugare, atque adeò ad appetentiam excitare conſueuit; quo conſilio in primis menſis vel ſalſamenta, vel ſalitæ carnes apponi ſolent.

Denique confirm t experimentum, quo fit palàm, diſſentericas aluos, & quæ diuturnis diarrhæis valde nimiùm detinentur, nullo ſalubriori præſidio curari, quàm tectucij, aut congeneis quibuſdam aqu s, quibus ſalis tum ſapor, tum virtus ineſt. Nimirum terreſtres cùm ſint ſalitæ omnes aquæ, atque adeò non facilè permeent, cunctando aſtrictionem moliuntur; quod ad ſuã roborandam ſententiam apertis fidibus aſtruit Hippocrates, dum ait: *Sunt enim crudæ, & coqui non poſſunt.*

SYNCATATHESIS.

NOn eſt mehercle leuis momenti hæc Antiphonia, neque ita conciliatu facilis; non mirum ergo, ſi multorum torſit ingenium. Hinc Rhaſes inter Mauritanos celeberrimus dixerat, ſalſas aquas laxare quidem aluum ijs, qui illas haurire conſueuerunt, eo quòd inteſtina purgant, ſed mox temporis progreſſu ſtipticam reddere, quòd ijſdem robur, ac ſiccitatem inducant. Porrò iſthæc reſponſio plauſibilis quodammodo accederet, ſi ad ſalſa omnia collimaret, & non de aquis duntaxat difficultatem enodaret. Atqui Hippocratis dictatum non magis in aquas, quàm in ſalitas alias ſubſtantias incumbit.

Rorarius, qui Antitheſin hanc agitat, expenditque, dum Proxenetam agit, ait, ſalſas aquas, vel tales impensè eſſe, vel modicùm ſalitas, illas, quia aluum exiccant, aſtringere etiam, has verò, quia exiccare non poſſunt, aluum irritare duntaxat, atque adeò laxam, & lubricam reddere, ideòque diuersè de his, atque de illis Hippocratem ſentiſſe. At meritò redarguitur Rorarius à Ludouico Septalio in commentario libri de aëre, aquis, & locis in ipſo contextu, eo quòd libro eodem nu. 23. Hippocrates, dum aquarum vſum ijs proponit, qui molles nimium, & humidas obtinent aluos, ſubſalſas aquas, non autem apprimè ſalitas commẽdat, quare ſubſalſa etiam aſtringunt, ſiccantque inteſtina,

in

in Græco namque textu ὑφαλυκὰ habetur, quæ vox subsalsum denotat, vt luce clarius est, & ab eodem Septalio egregiè notatur.

Andreas Baccius 5. de Thermis cap. 3. vbi Rhasen, & Rorarium impugnauit, suam adducit sententiam his verbis. *Sed hi errant, ac Rhases, ac standum cum Hippocrate est, simpliciter salsam siccare aluum, nimirum in potibus, & cùm cibis sumptam; laxare potius, vel astringere potius iure balnei, ac plenis mensuris, ieiuno corpore exhibitas.* At neque videtur Baccij sententia antiphωniam conciliare, siquidem Hippocrates non de aquis tantùm verba fecit, verùm etiam de salsamentis, cunctisque salsis edulijs, quæ in escam adhibentur; ipse verò contradictionem quantum ad aquas attinet cõponit, & quidem satis congruè.

Septalius nuncupato loco suam & ipse proxeniam exarauit, inquiens: *Omnes has apparentes contradictiones posse conciliari, si dixerimus, salsa, quæcunque ea fuerint, siue absolutè salsa, siue subsalsa, omnia, quà talia, & secundum se aluum astringere, & exiccare, vt hoc loco Hippocrates testatur. Per accidens tamen aliquando possunt aluum deijcere, idest si in multa quantitate assumantur, potissimùm ieiuno ventriculo; nec mirum, nam acri suâ qualitate, vbi multa, aut in cibis salsa assumuntur, vel in potione, potissimùm si ieiuno stomacho, ventrem, & intestina abstergunt, & incitant expultricem ad munus suum obeundum.* Porrò hæc Septalij synaulia, vt quæ rationi, & experimento cousonat, non parum arridet: Post ipsum tamen, totque alios eximios viros fas esto meam tanquam corollidem adiungere.

Dixerat Præceptor alibi, quòd sunt omnia ad aliquid bona, & ad aliquid mala, quæ sententia si in eodem viuente pro partiũ eiusdem diuersa ratione, ac temperie veritatem habet, multò erit æquior in diuersis tum indiuiduis tum speciebus, vt scilicet quæ vni conferunt, officiant alteri, quæ Socratem turbant, Aristippum nutriant. Neque hìc de arcanis loquor idiosyncrasijs; verùm de singulari vniuscuiusque temperamento, cuius gratia eiusdem agentis immutatur effectus. Ita ergo pro complexionum varietate salsa vel mouent, vel adstringunt aluum; quotquot enim ventres calida temperie sunt præditi, à dulcibus, & limpidis aquis, non verò à salsis ciuntur, ac laxantur; quotquot verò pituitosi, ac molles, à salsis turbantur, non autem à dulcibus tum aquis, tum escis. Et ne quis putet, id à me gratis dictari, Præceptorem adeat libro ipso de aëre, aquis, & locis numero præ-

præcedente alteri supra enunciatæ sententiæ, vbi de aquis loquens, apertis verbis rem ita determinat: *Quorum quidem ventres duri sunt, & ad hoc vt exurantur idonei, ijs quidem dulcissimæ prosũt, & leuissimæ, & splendidissimæ, quorum verò molles ventres, & humidi, & pituosi sunt, ijs durissimæ, crudissimæ, & subsalsæ conueniunt; sic enim resiccari maximè possunt*. Sed statim, lector, te obstupentem audio, quòd Hippocrates dicat, humidas, molles, & pituitosas aluos ab aquarum salsarum vsu resiccari, non autem laxari. Ita profectò est: Post nimirum longum ipsarum vsum, abstersis humidioribus excrementis, mucosa colluuie expiata, & exiccatis, roboratisquè iutestinis. At verò quo tempore quis illis vtitur, & venter pituita scatet, semper aluus deijcitur, quod adducto Tectucianæ aquæ exemplo liquidò constat; illa namque quamdiu hauritur, tandiu citatur aluus, mox verò exiccatur, fluentesque compescuntur ventres, vt ipse Rhases ex Ioannitio dicebat, & nos retulimus.

ANTIPHΩNIA XXIV.

Frigefacientia num subducant aluum.

THESIS.

Libro de locis in homine num. 57. hæc ab Hippocrate exaratur à sententia: *Omnia verò, quæ frigefaciunt ea, quæ in ventre sunt, talia aluum subducunt; Item quæ frigida sunt, & quæ humida; quum autem non aluum subducentia fuerint, calefaciunt, &c.*

Probari autem thesis non ægrè poiest, si dicatur primò, frigida eo quòd exprimant, aut comprimant aluum citare: sic aqua gelida, ieiuno præsertim ventriculo hausta, ventrem deijcit, vnde apud nonnullos id in frequenti est vsu, vt singulo mane gelidæ aquæ breue poculum hauriant, indeque laxatur feliciter aluus. An huc fortè collimauit Iatrosatraparum sancitum illud, quo Regi Medorum, vt inculpata frueretur valetudine, præscripsere, vt singulo mane frigidæ poculum sumeret?

Secundò quæ ventrem, ac finitima intestina refrigerant, cruditatem pariunt; cruda verò, & minùs adequata cùm fuerint alimenta humescũt, indeque per aluum deturbata lubricitatem efficiunt; sepè namque apepsiæ, vel bradipepsiæ soboles est aluina ταυσιώσις hoc est turbatio.

Confirmatur experimento, quo vidmeus, à frigidioribus poculis, vinisque niue præcipuè impensè refrigeratis fluxus omnigenos concitari; imò & ab intensiori frigore pedum, quibus cum aluo magna inest communio, scimus tormina, atque eccrises excitari; Ita Dux ille Ferrariæ apud Marcellum Donatum cùm neque clysmis acribus, neque catapotijs validis secedere valeret, Brasauolæ consilio nudis pedibus super marmoreum pauimentum ambulauit, vnde continuò aluo turbata excrementa reddidit. Quid multà? Algentes horarij fructus, lacticinia, olera quæque frigidiora aluum subducunt, vt quisque autopsia probat.

AN-

ANTITHESIS.

VErum 6. Epidem. sect. 5. textus valde celebris registratur tota dissonans aure, ille est. *Refrigeratio ea, quæ in ventre sunt, indurat*. Suffulcit lib. de affectionibus num. 50. vbi non frigida, sed calida aluum citare, statuit his penè verbis: *Quæ per aluum secedunt, succosa sunt, & natura calida*. Quin 2. de Diæta num. 25. luculentiùs adhuc rem explicat; audiamus: *Spiritus, cibus, & potus humiditatem in corpore congelant, si excellenter frigida sunt, & per congelationem, atque humiditatem aluos sistunt, nam animæ humiditatem superant*. Præterea 3. Aphorismorum 17. Aquilonaris frigoris cōditiones percurrens aiebat: *Aquiloniæ quidem solida reddunt corpora, tum etiam firma, & ad motum expedita, & bene colorata, auditum acuunt, sed tamen aluos desiccant*.

Porrò suadetur facilè Antitheton ex ipsa natura rei, quippe frigidi est condensare; ergo si & aluum frigus occupauerit, constipare debebit; non secus ac externos cutis meatus adstringere, & occludere consueuit, imò ipsa vis frigoris præcipuo quodam modo musculum sphincterem cōstringere potis est, vt palàm fit in ijs, qui in marmore sedent in mensibus minùs feruidis, vnde illud vulgare, & vulgatum.

Mensibus erratis super lapidem ne sedeatis

Demum videre est, haud rarò à flatibus aluum obstringi; flatus autem, vt in frigido continentur, sic dissipantur à calido, dissipati verò aluum, & hypochoremata nequaquam præcludunt.

SYNCATATHESIS.

NVlla erit inter sententias hasce διάστασις, si dicamus primò, Hippocratem 6. illo Epidemior. de extremo frigore Galeni arbitrio loquutum esse, vtpotè de ambientis, aut rerum aliarum ventri appositarum frigiditate, qua scilicet veluti per antiparistasin adauctus calor, & ad interiora profugus pepsin, atque anadosin ritè peragit; ex meliori verò tum coctione, tum distributione fæces in primis minori copia comulantur, diutius retinentur, & ampliùs arescunt, ex quibus omnibus stiptica resultat aluus. An non idem boreali constitutione experiri est quotidie, quando tam ægrè hypochondriaci præsertim retrimenta

deponunt, quòd nimium exiccari contingat tum ab Aquilone per se, tum etiam ab exaucta viscerum caliditate à contrario actione antiparistica.

Dicito secundò, quòd in textu illo de Diæta, vbi asseritur, spiritum, cibum, & potum in excellenti gradu frigida aluum per cōgelationem sistere, haud esse huiusmodi voce congelationem veram, & simpliciter intelligendam, sed quandam potius incrassationem, seu concretionem, quæ humiditatis sequitur expressionem ipsis in excrementis à frigore factam, non quidem intenso, quia scimus, hoc intra viuens corpus reperiri non posse, sed moderato, & ipsi aluo minùs congruo, quod sanè ex subsequentibus Hippocratis patet verbis, vbi apertè tradit, à nimia quoque caliditate congelari humiditatem; absurdum autem videri posset quòd caliditas congelet: Verba sunt: *Rursus etiam caliditatis excessus eandem congelant, & intantum, vt diffundi nequeat*. Vti ergo caliditatis excessus nequit propriè congelare, sed modo quodam incrassare, & concretum reddere excrementum, absumptis videlicet humidioribus secum partibus; ita & frigus nequaquam propriè viuentis corporis humiditatem congelat, sed exprimendo exiccat. Hæc si Galenus animaduertisset, Hippocratem nequaquam vellicasset. Sed interim Lector, te non lateat dictionem illam *congelat* aptiùs à Fœsio transferri, *cogit*; nam græcum verbum πηγνύουσι, significat *conglutinant*, & *coagulant*; ideòque Cicero, τα πηγνύντα vertit: *quæ vim habent concretionis*.

ANTIPHΩNIA XXV.

Lens moueat, an sistat aluum.

THESIS.

LIbro 2. de Diæta num. 8. lentem neque sistere, neque ciere aluum, Hippocrates dixerat; sunt hæc verba: *Lentes æstuosæ sunt, & turbatiuæ, & neque per aluum secedunt, neque sistunt.*

ANTITHESIS.

AT eodem 2. de Diæta (quod maiorē facit admirationē) prædictorum immemor hæc scribit: *Aluum autem mouent, & purgant cicer, lenticula, hordeum, beta, brassica.* Confirmatur sexcentis in locis apud eundem Hippocratem, in quibus videre est, lentem vim deiectoriam, & simul emeticam obtinere: Ita 2. de morbis in pulmonis fistulæ affectione aphta nuncupata: *Curare porrò oportet, vt lenticulæ decocto puro vomat*, & eodem 2. de morbis in curatione quartanæ: *Deinde lenticulæ decoctum bibat melle, & aceto mixtis.* Idem habetur 5. Epidem. num. 4. in historia viri illius Atheniensis, qui lenticulæ succo vomuit; & lib. de affectionibus cap. de Diarrhæa, vbi pariter vomitum excitat lenticulæ succo. Et omninò passim apud Hippocratem huiusmodi decoctum ad purgandum vsurpatur.

SYNCATATHESIS.

LEns vel cum cortice, vel sine cortice assumi potest; sine cortice quidem astringit, cum cortice soluit. Audiamus Hippocratem ipsum lib. de vict. ratione 59. vbi litem dirimit se ipsum explicans. *Lens adstringit, & turbationem inducit, si cum cortice sumatur.*

Rursus vel dum coquitur lenticula, primum effunditur, & abijcitur iusculum, vel retinetur: Cum sua prima decoctione lenit aluum, sine illa astringit potius. Dioscoridem adeamus cap. de lente lib. 2. vbi sic: *Vim habet adstringendi, qua ex causa aluum cohibet, si detracto antea cortice, discoquatur accuratè, primaque aqua*

inter coquendum effundatur; quippe primum id decoctum ventrem resoluit. At si hoc est, cur, dices, primo relato loco lentes neque per aluum secedere, neque sistere, asserit? Respondeam, id Hippocratem affirmasse, quoniam lentes simpliciter neque mouent, neque sistunt aluum; id enim, quod indifferenter ad vtrunque se habet, vtrunque modo quodam negat; Aqua tepida exempli gratia neq; frigida, neq; calida dici potest, cùm tamen frigiditatē, atque caliditatē producere valeat, siquidē frigida calefacit, & calida refrigerat.

ANTIPHΩNIA XXVI.

Vomitus an sistat, an moueat aluum.

THESIS.

ALui purgationem vomitu compesci, 6. Aphorismorũ 15. enunciauit Ipse his verbis: *In longa diarrhœa vomitus vltrò obortus diarrhœam sistit*. Sententiam firmat historia ex 5. epidemiorum num. 4. viri illius Atheniensis, cui cholera correpto cùm neque vomitus, neque secessus sisti posset, assumpto veratro, & vomitu affatim excitato, & vomitus, & alui turbatio siluere: *Hic veratrũ in lentium succo bibit, & alterum lentium succum insuper bibit, quantum potuit, & postea vomuit, & coacta sunt, ac adstricta ipsa ambo*. Ita pariter lib. de locis in homine textu 45. sanciuerat: *Cùm euacuatum, & vomentem curandum susceperis, vomitum ne sedato, vomitus siquidem euacuationem sedat*: de ebrio loquitur. Rursus lib. de affectionibus de diarrhœa præcepta scribens, aiebat; *Si verò non cesset velis autem sedare, vomitum à cibo, aut lenticulæ decocto facito, & confestim sursum reuelletur infernus secessus*.

Cæterùm dictata suadet ratio, quia nimirum humores, qui priùs erant catarrhopi, fiunt vomitu anarrhopi; & naturæ vis, quæ priùs deorsum inclinabat, facta antispasi, reuocatur sursum; vnde ventris turbatio silet. Quòd si surditas biliosis excretionibus superueniens ex metastasi excretionem sedat, nùlla facta euacuatione, vt est in aphorismis, quantò magis vomitus, in quo insignis fit excretio, liberabit ab aluino effluuio.

AN-

ANTITHESIS.

CVr ergo secundo de Diæta num. 22. vomitum & sistere & soluere caluum docet: sunt hæc verba: *Ventrem autem compactum vomitus soluit, & egerentem magis, quàm oportet, sistit*. Porrò antirrhesis difficilem habet fidem, si vera sunt Philosophorum dogmata statuentium, idem, vt idem contrariorum non posse esse causam.

Sed quòd compactum ventrem soluat, illa fortè esse potest ratio, quòd illo impulsu, atque conatu, qui in vomitu accidit, venter inferior agitetur, quatiatur, & vis intestinorum segnis, ac torpida excitetur ad hypochoremata exturbanda. Neque id rarò contingit; siquidem compatiuntur facilè ob officij societatem ventriculus, & intestina; quare in diarrhæa vomitus, in vomitu diarrhæa sæpè superuenit. Sympathiam huiusmodi ostendit maximè cholerica passio, in qua vno, eodemque tempore susque, deque propellitur humor.

SYNCATATHESIS

NVnquid Ianus biformis Hippocrates? Absit ab ingenuo Sene tantum crimen. Sit ergo symphωnismus. Vomitus quòd humores reuellat, frequentiùs aluum compescit fluentem. Atqui potest eandem compactam soluere, cùm videlicet viscidę pituitæ colluuies vētriculum ipsum, & intestina adeò obducit, vt excrementa etiam contineat, ac veluti glutine compingat; quare educta per vomitum hac pituita, exitum per inferna liberiorem obtinent excrementa, vnde soluitur aluus.

Vel dicas, vomitum aut magnum esse, & repetitum, aut paruum, & semel tantum excitatum: priori modo, quia plurimùm reuellit, & integrè euacuat, ventrem exiccat, & compescit: quo consilio monebat Hippocrates, vt vomitus vno, & altero die successiuè fieret, vt scilicet ventriculus, & intestina susque, deque expiarentur; præceptum habemus libello de salubri diæta num. 7. his verbis traditur: *quicunque bis in mense vomitum consueuit, huic melius est, vt consequenter in duobus diebus vomat, quàm per quintum, & decimum*; Secundo verò modo aluum compactam soluit, quòd humores, cruditates, & recrementa vomitu agitata, nec vndique per os educta, à natura, & expultrice inde irritata deorsum detrudãtur.

Sed quid ingenio expiscor aliunde rationes? Ipsemet Hippocrates secundo illo de diæta mysterium reuelat, & quomodo sistat, quoue modo ventrem lubricet vomitus, edocet. Ait enim, quòd vomitus propter repletionem, & carnis colliquationem humectat, si postridie opportunè nutriatur, atque inde ventrem compactum soluit, quia humiditas illa per aluum dispersa fluidam reddit: exiccat autem, dum facto vomitu cibus non offertur, vnde calor, cùm in quod agat, non habeat, circa humiditatem, seu colliquamentum à vomitu factum occupatur, indeque aluum arescere, contingit, audiamus ipsum eodem textu secundi de Diæta: *Vomitus attenuant propter cibi euacuationem, non tamen siccant, si quis postridie rectè curet, sed humectant propter repletionem, & colliquationem carnis præ labore. Si verò quis sinat, hæc postridie consumi in alimentum caliditatis, & diætam sensim adhibeat, siccant*: mox paulò infra: *Cùm igitur aluum quis sistere volet, auidè deuoratum cibum euomere oportet priusquàm humescat, & infra detrahatur, & magis acerbis, & austeris edulijs vti; Vbi verò soluere aluum quis velit, plurimo tempore cibis immorari confert, & acribus, ac salsis, & pinguibus, ac dulcibus tum cibis, tum potionibus vti*.

Denique fas quoque erit asserere, quòd cùm à magno frequentique vomitu laxetur ventriculus, atque imbecillior fiat, contingit inde, non benè coquendi munere fungi, atque adeò cruditate oborta, lubricam reddi aluum, quæ priùs ob fœcum ariditatem torpescebat.

AN-

ANTIPHΩNIA XXVII.

An in febribus liceat cibis, ac sorbitionibus alvum ducentibus uti.

THESIS.

ARchiater Cous lib. de locis in homine num. 39. febricitantibus aluum subducentes sorbitiones interdicit; hęc sunt verba: *febrienti cibum ne offeras, neque sorbitionibus subtus aluum ducas.*

Duas partes hæc Thesis continet: Primam non est, cur probare nitamur, alibi enim de febricitantium diæta abundè satis dictatum. Quoad verò secundam eo fortè consilio Hippocrates sorbitiones aluum ducentes reprobat, vt eos Medicos redarguat, qui in febribus intempestiuè sorbitiones aluum ducentes propinant, quibus proculdubio natura perturbatur, atque à pepsi auertitur. Id verò intelligas, lector, in augmento, & statu morbi, non autem in principio; Siquidem Præceptor alibi statuerat: *Siquid tibi mouendum videtur, in principio moue*. An non etiam natura hypellatis medicamentis à crisi, ad quam sese accingit, distrahi poterit? Etenim si ad sudorem illa procliuis foret, eccoproticis ad ventrem auocaretur proculdubio non sine ægri detrimento: quippe natura, quæ sine doctore magistra est, meliùs nouit, per quas vias peccantes humores effundere debeat; vnde factum est, vt cordati Medici in diebus criticis ab omni pharmaco plerunque abstineant.

ANTITHESIS.

At si sic est, cur antiphoniam recinit lib. de affectionibus num. 18. vbi apertis verbis aluum subducentes sorbitiones commendat; hic est sermo: *Et in apprehensione quidem sorbitione, & potu nutrito; interposito verò tempore cibis per aluum secedentibus*.

Neque hoc sanè à ratione alienum est; siquidem in omnibus morbis aluum ab excrementorum colluuie expiari, summoperè expedit; fęcum namque retentarum halitus, & iniqua mephytis caput infestat, dolorem auget, anorexiæ addit, febremque ipsam excandescere facit. Rursus sorbitiones, quæ aluum subducunt, sunt plerunque, quæ ex hordeo, & oleribus humidioribus parantur; hæ autem sunt prorsus illæ, quæ febribus opitulantur iuxta vniuersale illud: *Omnes victus rationes humidæ febricitantibus conueniunt*.

SYNCATATHESIS.

Libro de locis in homine de continenti febre Magister sermonem habet, in qua proculdubio, vt Perla sentit, purgatiunculis haud est natura turbanda, atque à pepasmo distrahenda; fortè enim redarguit his verbis Hippocrates illorum consuetudinem, qui frequenter in acutis febribus catarcticas potiones propinant. Atqui in libro de affectionibus de simplici tertiana loquitur, in qua fas est in intercalari die blandis alimentis aluum subducere; nam medicamentum in alimento optimum, vt Hippocratis est dictatum. Colligi id potest ex verbis illis: *Et in apprehensione quidem* (idest in die accessionis) *sorbitione, & potu nutrito; interposito verò tempore* (idest in die quietis) *cibis per aluum secedentibus*, solidioribus puta alimentis, quæ tamen per aluum deducendi facultatem obtineant. Par est ergo in simplici tertiana biliosum succũ ad ventriculũ in die paroxismi refluum cibis per aluum deturbare, quod nõ est opus in continuis febribus, in quibus cùm intra venas biliosus, aliusq; exardeat humor, nullaque fiat ad vẽtrẽ illorũ anadrome, non est cur huiusmodi eccoproticis vtamur.

Hęc tamen nõ ita intelligenda erunt, vt putemus, nõ in omnibus morbis expedire, vt aluus lubrica seruetur; id namque pro viribus semper curare debent Medici, cùm dicat Præceptor: *Ventris segnities, vasorum impuritas, cerebri consumptio, omnium confusio.*

FINIS QVARTI LIBRI.

HIP-

HIPPOCRATIS COI
MEDICORVM PRINCIPIS
ANTIPHΩNΩN.
LIBER QVINTVS.

Qui promiscuas quasdam sententias complectitur.

Præbet postremus hic liber antiphωna mi'cellanea, quorum alia ad rem medicam spectant quidem, verùm typographi incuria omissa suis locis defraudata fuerunt; alia verò ad Medicum potius, eiusque virtutes, quàm ad medicinam attinent. Laboris metam aspicio, lector: vela breui contraham.

ANTIPHΩNIA PRIMA.

Anni tempora quot sint.

THESIS.

Libro 3. de diæta num. 2. in quatuor tempora annus ab Hippocrate diuiditur; illa sunt verba: *Annum equidem in quatuor partes diuidunt, quas plerique omnes nouerunt, hyemem, ver, æstatem, autumnum; & hyemem quidem à pleiadum occasu vsque ad æquinoctium vernum; ver autem ab æquinoctio vsque ad pleiadum exortum; autumnum ab arcturi ortu vsque ad pleiadum occasum.* Quinimò libro de humoribus annum ipsum in septem partes partitur, inquit enim: *Quæ cùm ita sint, in eam curam in-*

cumbere debet Medicus, vt intelligat, qualiter affecta corpora anni septem partes, earumque septem tempestates excipiant. Hæc autem postrema sententia à prima non discrepat; nam singulorum quatuor temporum principium, & finis consideratur, principium, quod pręcedenti tempori qualitatibus magis est compar; finis, qui sequenti: Principium veris exempli gratia hyemis naturam adhuc redolet, finis verò æstatis: æstatis initium pręcedentis veris temperiē refert, finis autumno proximè accedit;& sic in alijs ratiocinandum.

ANTITHESIS.

At si sic est, quomodo libro de salubri diæta hybernum tempus sex mensium constituitur ijs verbis: *Sex menses hybernos vomendum est.* Nimirum quibusdam in locis, vbi intemperata sunt tempora, neque ver,neque autumnus agnoscitur, sed ab extremo ad extremum fit transitus, quare hyems duntaxat, & æstas percipitur.

SYNCATATHESIS.

Dicas quòd in 3. de diæta locutus est Præceptor iuxta communem, ac vulgarem diuisionem; quòd sanè ex ipso sermone elucescit palàm, dum inquit: *Annum equidem in quatuor partes diuidunt, quas plerique omnes nouerunt, &c.* At in libro de salubri diæta considerauit extrema temporum,quę sola sunt manifesta; media enim non sunt adeò perspicua, & fit interdũ ab æstate ad hyemem immediatus transitus. Quòd si anni tempora metiri velimus à Solis progressu per Zodiaci duodecim signa,non solùm erunt quatuor tempora,verùm septem provt scilicet in vnoquoque tempore consideratur principium, & finis, quorum gratia vel maiores, vel minores qualitates iudicantur. Ita Duretus in commētario in librum Hippocratis de humoribus, parte tertia in principio hæc exarata reliquit: *Cæterùm septem anni partes sic definiuntur: ver simplex ab æquinoctio verno ad ortum vergiliarum: æstatis tres partes, quarum prima ab ortu vergiliarum ad solstitium æstiuale;altera à solstitio æstiuali ad ortum caniculæ, tertia ab ortu caniculæ ad occasum pleiadum: autumnus simplex ab occasu pleiadum ad æquinoctium autumnale: hyemis partes duæ,quarum prior ab æquinoctio autumnali ad solstitium hybernum, altera ab hyberno solstitio ad æquinoctium vernum.*

ANTIPHΩNIA II.

Sicca anni constitutio an sit salubrior.

THESIS.

TErtio Aphorismorum septimo ita Dictator scripserat: *Per squalores febres acutæ incidunt, & si maxima pars anni talis fuerit, qualem fecit constitutionem, morbos quoque tales magna ex parte expectare oportet.*

Suadet ratio; nam cum Cælum diu conflagrat incendio absque imbrium vicissitudine, excandescit bilis, suoque sero destituuntur omnes humores, vnde illorum ferocia maior. Ita quoque Vates de syrio loquens:

Ille sitim, morbosque ferens mortalibus ægris
Nascitur, & sæuo contristat lumine cælum.

Rursus resiccatæ venulæ in siccitatibus serum trahunt, & ardentem excitant Præceptoris arbitrio libro de victus ratione in acutis, & alibi; sobolescũt ergo in squaloribus immanes febres. Hinc 3. eodẽ Aphorismorum libro siccitatum describens incommoda Præceptor dixerat aphorismo quinto. *At si aquilonia fuerit, tusses, faucium asperitates, alui duræ, difficultates vrinæ, horrores, costarum dolores, & pectoris*; & aphorismo 16. *In siccitatibus autem tabitudines, lippitudines, articulorum morbi, stillicidia vrinæ, & difficultates intestinorum*. His adde ex eodem tertio aphorismorum 9. quòd iccircò in autunno acutissimi, & exitiosissimi morbi accidunt, quoniam à præcedente æstate siccitas autumni initio in auxesi reperitur; in ipsa verò æstate siccitas est in fieri, ideòque in illa acutæ, acutissimæ in autunno fiunt ægritudines. Quid moror? Consistit vita in humido; semper ergo vitæ insidiabitur siccitas, quoniam humidum destruit, & arefacit.

ANTITHESIS.

EOdem tertio Aphorismorum 15. ἐκ διαμέτρυ oppositam exarauit sententiam, dum scripsit: *Inter anni status omnino societates imbribus assiduis sunt salubriores, minùsque funestæ.*

Nec sanè difficilè suadetur antithesis; Quippe in assidus imbribus corpus oppletur superuacaneo humore, qui putredinis est fomes, nam putredo corruptio dicitur natiui caloris in humido; putredinis autem soboles sunt perniciosæ febres, imò & pestilentes, vnde Præceptor decimosexto eiusdem libri aphorismo aiebat: *Morbi in pluuiarum multitudine magna ex parte fiunt, febres longæ, alui pro fluuia, putredines, morbi comitiales, apoplexiæ, & anginæ, &c.* & rursus aphorismo quinto austrinæ catastasis describens incommoda dixerat: *Austri auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes*. Hinc Galenus in commentario superioris Aphorismi scripserat: *Nam in siccitatibus superfluæ humiditates dissoluuntur, per imbres autem intra corpus collectæ putrefiunt, nisi quis singulis diebus collectas exercitijs expurget.*

SINCATATHESIS.

PEr squalores febres excitantur intensiores, & acutiores, atque adeò ficciores, vnde Galenus habet in Commentario, non multas, sed acutas fieri; In humidis verò constitutionibus morbi fiunt vberiores, sed minus vehementes, hebetatur enim semper ab humore caliditas, vnde ægritudines diutius perseuerant: laconicè: in siccis temporibus vehementiores, & breuiores febres, in humidis minores, sed diuturnæ: Quamobrem non erit ἀντίλογος Hippocrates, si illic asserit, febres fieri acutas, hìc verò frequentiores, ac magis chronicas, quæ enim à bile pendent, breui temporis curriculo absoluuntur, ideòque acutę audiũt; ad morbi namque acutiem motus celeritas in primis, & vitæ periculum requiruntur: Quid multa? perpendantur amabo Hippocratis verba: *siccitates imbribus salubriores*, hoc est pauciores in siccitatibus contingunt morbi, quamuis suo genio acutiores.

AN-

ANTIPHΩNIA III.

Peripneumonia à quanam causa excitetur.

THESIS.

LIbro de affectionibus, vbi de peripnæumonia verba facit, illam à pituita fieri, Magister statuit. Verba sunt; *Fit autem hic morbus, cùm pituita aceruatim ex capite ad pulmonem fluxerit.* Rursus lib. de locis in hom. numero 24. de pleuritide, ac peripneumonia verba faciēs, sic habet: *Quum igitur in pulmonē fluxerit ex capite per guttur, & aortas appellatas appendentes partes pulmonis, pulmo tanquam natura rarus, & siccus trahit in se humorem quantum eius capere potest, & vbi influxerit, maior fit, &c.* Iam à capite pituita, cuius ipsum est metropolis, destillat. Subscribit & Galenus, qui quarto de locis affectis peripneumoniam frequentissimè à pituita fieri, tradit.

ANTITHESIS.

COntrà libro de internis affectionibus pulmonis inflammationem à sanguine potissimùm oriri, tradit; sic enim numero quarto: *Pneumonia, siue pulmonia ab his maximè fit, cùm pulmo sanguinem in se ipsum traxerit, aut pituitam salsam, & non rursus dimiserit, sed in ipso coacta, ac compacta fuerint, &c.* vnde pulmonibus erysipelas accidere, scribit eodem libro ijs verbis: *Si pulmo ab erysipelate intumuerit; hic autem tumor maxime à sanguine fit, cùm pulmo in se ipsum sanguinem attraxerit, & susceptum tenuerit:* & hæc eadem repetit lib. 1. de morbis num. 13. Rursus primo eodem de morbis à commota humescente pituita, ac bile originem ducere, scripsit; Quin etiam Galenus peripneumoniam phlegmonem ἐρυσιπελατώδη vocat.

SYNCATATHESIS.

PEripneumonia tanquam à causa antecedente à pituita fit, quæ dum pulmones distendit, ad motum segniores reddit, ijque distenti deinde dolent, dolor sanguinem attrahit, qui inflammationem tanquam coniuncta causa parit. Doctrinam hanc paragogicam colligere est ex ipsomet Hippocrate nuncupato lib. de intern. affect. num. 7. vbi sic legitur: *Si inflammatio in pulmone*

fit

fiat; fit autem maximè à vinolentia, & gulositate piscium capitonum, & anguillarum; hi enim pinguedinem habent naturæ hominis infestissimam. Iam verò etiam factus est morbus à pituita, vbi sanguini mixta in pulmonem influxerit; quare non à pituita simplici, verùm sanguini remixta peripneumoniam fieri, Præceptor sentit. Adde his quòd peripneumonia per congestionem fit plerunque à sanguine bilioso, quæ verò per affluxum contingit, à pituita tanquam ab origine emanat.

ANTIPHΩNIA IV.

An ad calculum educendum liceat Medico sectionem moliri.

THESIS.

Magnus Hippocrates in iure iurando Medicos à calculi sectione prorsus alienos esse, iubet: sic ille: *Nec verò calculo laborantes secabo, sed viris Chirurgiæ operarijs eius rei faciendæ locum dabo.* Et quidem tanti fecit hoc monitum Auenzoar, vt dixerit, nec debere Medicum adesse spectatorem, dum isthæc operatio patratur.

Præcepti illa fortè est vna ratio, quòd cùm truculenta valde sit huiusmodi operatio, Medicum, quem summè pium esse decet, dedecet prorsus; & sanè vsque adeò crudelis audit huiusmodi sectio, vt licet patientes perpetuo cruciatu torqueantur, & mortem oppetant, crudelissimæ tamen curationi sese obijcere non audeāt, horreant potius. Eminentissimus quidam Cardinalis, qui multos per annos lapidis atrocem tyrannidem perpessus fuerat, sectioni tandem submisit se, & fœliciter cessit: atqui mox frequentissimè profitebatur, quòd si iterum ijsdem doloribus à lapide vexatus fuisset, nunquam ampliùs impiam illam sustinuisset sectionis immanitatem. Semel ipse præsens fui, dum lapis è vessica nobili viro euelleretur, sed vsq; adeò sectionis, & lacerationis vessicæ diuturna sæuitie exhorrui, patientisque eiulatu perculsus fui, vt animo meo statuerim, nunquam ampliùs huiusmodi atrociam intueri.

AN-

ANTITHESIS.

CVm hæc vera ſint, cur Dictator idem libro de internis affectionibus num. 15. iubet, Medicos diſſecare calculoſos, & purulentos renes? audiamus ipſum, placet prolixiorem textum regiſtrare: *Quatuor morbi à renibus fiunt: A primo hæc patitur: Dolor acutus incidit in renem, & in lumbos, & in teſtem ſecundum renem ſitum. Et frequenter mingit; & adſtringit paulatim, ac ſupprimitur vrina, & cum vrina procedit arena. Et vbi per vrinæ meatum exit arena, dolorem fortem in meatu exhibet. Quum autem ipſam per vrinam eiecerit, dolor remittit. Poſtea verò rurſus in iiſdem doloribus iacet. Quum autem mingit, etiam colem præ dolore fricat. Vulgus autem Medicorum, quod non intelligit morbum, vbi videt arenam, putat veſſicam è calculo laborare. At non veſica, ſed ren lapide laborat. Hic morbus fit à pituita; quum ren ſuſceptam in ſe ipſum pituitam non rurſus dimiſerit, ſed in ipſo in tofum concalluerit, & fiunt ex ea tenues lapilli, velut arena. Huic quum ſic habuerit, cũ ſcammoniæ ſucco, aut ipſa radice, fomento priùs adhibito, totum corpus purgato. Poſtera verò die duobus congijs ſucci ciceris albi ſubpurgato, quem ſale iniecto bibendum dabis: Poſt hæc potibus, & cibis, & balneis curato, & eadem, quæ in vrinæ ſtillicidio exhibentur, pharmaca dato. Quum autem dolor preſſerit, multa calida lauato, & tepefactoria qua parte maximè dolet, adhibeto. Quum autem intumuerit, & eleuatus fuerit, ſub id tempus iuxta renem ſecato, & extracto pure, arenam per vrinam cientia ſanato; ſi enim ſectus fuerit, fugæ ſpes eſt; ſin minùs, morbus homini commoritur.*

Profectò cùm in calculo temeraria ſit omnis medicina, vt Duretus aiebat, qui addere ſolebat: *cui profuerit vidi adhuc neminem, permultos autem, quibus exitio illa fuit*, cùmque in vnica ſectione reponatur ſalus, non mirum, ſi vel in renum calculoſo ſyntagmate audeat Hippocrates ad inciſionem tanquam ad ſacram anchoram, & vnicum ſpei aſylum confugere. Vtinam ſæculi huius Chirurgi ignotam hanc operationem rediuiuam facerẽt; & mirum ſanè, quòd cùm poſt Hippocratem Chirurgia plurimùm aucta, & examuſſim abſoluta ſit, in hac ſectione tamen vſque adeò neceſſaria defecerit; vſque adeò, inquam, neceſſaria; quandoquidem fruſtra ſunt alia quæcunque præſidia, imò & pernicioſa; quicquid agyrtæ blaterent, ac triſcurria iactent inania: Valida quippe diuretica, quorum frequens vſus in his morbis quàm ſint exitioſa, præter

ter quotidiana experimenta Theophorbi filij historia apud Hippocratem 5. Epidemior. declarat abũdè: ne graueris lector illam hìc registratam excipere: *In Larissa Theophorbi filius vessicam scabiosã habebat, & viscosam vrinam mingebat, & dolebat, cùm & inciperet mingere, & cùm desineret, & confricabat partem anteriorem. Hic cùm bibisset diureticum vehemens, in vessicam quidem nihil processit. Vomuit autem confertim puri simile, & bilem. Et infernè alia huiusmodi egerebat, & dolebat ventrem, & vrebatur interiùs. Reliquum verò corpus frigidum fiebat. Et dissoluebatur totus, & accipere nihil volebat. Huic exulcerata est aluus fortiter à magna pharmaci vehementia. Mortuus est autem tertia die post potionem.*

Vos itaque Galli eximij in Arte Viri, vos Larghè, ac Trulle Vrbis Coryphęi contendite, brutorum periculo sectionem experimini, tanto beneficio humanum genus ne defraudetis, dum compertum est, Hippocratem, qui nec falli, nec fallere didicit, nobis falsa, seu temeraria dogmata non proposuisse.

SYNCATATHESIS.

NVlla est, Phyliatre, antilogia, si Præceptoris perpendantur intimè verba: In iure iurando haud negat, improbatue Hippocrates, calculosę vessicæ sectionem, quæ sola vt diximus, est salutis asylum, sed negat eam Medici manu efficiendam; habet enim: *Nec vnquam ex calculo laborantes ipse secabo, sed viris Chirurgiæ operarijs eius rei faciendæ locum dabo*: Aliena igitur audaciori quidem, sed minùs ingenua manu sectio celebranda erit. Hic tacitè ab Hippocrate redarguuntur triobolares illi Medici, qui diuinę cuiusdam existimationis immemores (nam Medici Philosophicum Dijs concedunt, Hippocrate ipso arbitro) vilia quæque circa ęgrotantes munia obeunt. Irascor acriter illis, qui vt in Arte sapientiores, siue accuratiores videantur, sanguinem detrahunt, cucurbitulas affigunt, vtinam & clysteres etiam (proh nefas) non inijciant: Absint hi à nobilium Medicorum cohorte, exulent abiecta artis retrimenta; hi sunt qui diuinę scientiæ detrahunt glorię, qui minùs honestam, imò & contemptam facultatem Medicam reddunt. Verùm digressi aliquantulum sumus.

Atqui in libro de affectionibus dum Hippocrates habet: *sub id tempus iuxta renem secato*, intelligas, *secare facito*: Est enim hic consuetus Hippocrati dicendi mos, vt sexcenties in eius libris obserua-

seruare licet, in quibus resonat semper, *purgato*, siue, *pharmacū exhibeto*, & similia, cùm tamen Medici intersit purgationem, & pharmacum præscribere, non verò medicamentum aut componere, aut propinare. Et hìc silentio præterire non debeo, quòd Plato primo, ac nono de legibus scripto tradit, nempe Medicinæ quasdam functiones seruis (intellige artis non ignaris) destinatas fuisse, & inter has crudeliores quædam recenseri debent humani corporis sectiones, inter quas, ea, quæ fit ad calculi eductionem primas vtique obtinet.

ANTIPHΩNIA V.

An liceat Medico ad efficiendum abortum mulieri medicamentum offerre.

THESIS.

PIè non minùs, quàm religiosè ethnicus licet, & falsorum Numinum cultus caligine obumbratus Hippocrates in iure iurando, quod suis omnibus discipulis solemniter celebrandum proponebat, Medicos abortum nulla ratione patrare, rigorosè vetat ijs verbis: *Similiter autem neque mulieri pessum corruptorium dabo*. Huiusmodi præceptum, vt quod nititur æquitati, probo viro nullo labore suadebitur; siquis tamen rationes aliquas exposcat, hoc audiat ratiocinium.

Quemadmodum generationis opus naturalissimum, vt Aëtius & diuinum, vt aiebat Plato, existit; ita conceptionis destructio, contra naturam, atq; inhumanū quid censeri debet. Medicus ergo, qui naturæ minister, ac vitæ sospitator audit, generationis & semina, & germina totis viribus conseruare, & ab omnibus aduersis tutari debet; quo consilio Senex prudens ad conceptionē efficiendam, ad sterilitatem remouendam, ad abortus præcauēdos tot, tantaque præscripsit in varijs libris remedia. Nempe si vitæ, quamuis rudis, & incipientis corruptor Medicus euadat, Medici iam nomen amittit; si conceptum interimat, naturæ munere defungitur; homicida potius dicatur, qui generationi insi-

diatur, expullulantis homunculi germen intercipit, ipsoque in simine vitæ stamen omni crudelior Parca recidit; Neq; ex eo, quòd qui perimitur, in lucem non dum prodierit, minùs criminosum facinus existimari debet; imò fortè crudelius, quòd scilicet antequàm lucis vsura fruatur, iniquo consilio, ac malis artibus surripiatur. Quòd si homicidij genus quoddam reputatur Canonistarum arbitrio mulieri, vt non concipiat, medicamentum exhibere, quantò maius dici debebit, si iam fœtæ ad fœtum perimendũ pharmacum præscribatur? Aegrè nimirum fert Natura, suos partus, & in primis animalia, atque inter hæc hominem casu, & fato heu satis nimiùm perire; at longè dolebit magis, si vi, & iniqui Medici cacotechnis ad internecionem sic acerbus demandetur: vt iure iccircò leges, & canones capitali pęna huiusmodi corruptores multari, iubeant. Rite ergo Senex Magnus, & Medicorum Legislator iureiurando abortibus euitandis consulit.

ANTITHESIS.

ERrat quidem quisquis ore, & verbis sibi ipsi contradicit; at longè grauiùs peccat, qui re ipsa, & opere à se discordat. Quomodo ergo Hippocratem à turpi diaphonia vindicabimus, si ipse libro de natura pueri abortum se patrasse in psaltria quadam muliere, palàm profitetur? Audiamus ipsum: *mulieris nobis familiaris famula cantrix magnæ existimationis ex virorum consuetudine erat, quam in ventre concipere non conueniebat, ne minoris existimationis redderetur: audierat autem cantrix ipsa, qualia mulieres inter se dicunt, quòd quando mulier conceptura est in ventre, genitura non egreditur, sed intus manet. Auditis autem ijs, atque intellectis, hoc semper obseruauit, & cùm quandoque sentiret genituram non exeuntem, Dominæ exposuit, & sermo statim ad me peruenit. Ego verò quum adijssem, iussi ipsam ad terram saltare, & post quam septies exilijsset, genitura in terram profluxit, & strepitus factus est, atque illa conspecta, ipsa admirata est.*

Quid clarius? Ergo bonus iste Senex abortus minister fuit? qui poterit à tanto crimine purgari? O' quàm bene in Hippocratem Lacidis illius Philosophi dictum collimat: *Nos aliter in scholis disputamus, aliter domi viuimus.* Hippocrates aliud monuit, & vel iure iurando pacisci voluit, aliud ipse clàm in domo illius Dynastæ operatus est: Quin etiam propria sententia Cous idem dãnatur, illa scilicet, quam primo de diæta num. 19. tulerat ijs verbis:

bis: *Ineſt autem homini alia dicere, alia facere, & eundem non eſſe eundem, & nunc aliam habere mentem, nunc rurſus aliam*. Vnde periuri etiam nomine inſimulari poteſt apud ſuoſmet diſcipulos, quos exemplo magis, quàm ſermone inſtrui, certum eſt: inde illud Varronis: *Euidentiſſimum docenti genus eſt per exempla*.

SYNCATATHESIS.

ANte omnia animaduerte, lector, & meditare, quòd Hippocrates mulieris precibus id facinoris præſtitit. Proh Deum immortalem; quanta vis in hoc fragili ſexu ad frangendas incorruptas mentes; Plena ſunt vndique monumenta, quæ fidem faciunt, mulierum illecebras vel rigidos flexiſſe animos, vel inexpugnabiles debellaſſe cordium arces, & integerrimos quoque viros præuacari feciſſe: *Mulier* (inquit Salomon) *apoſtatare facit ſapientem*. Tacitus eſto teſtis dum Medicum Eudemum refert, qui Liuiæ, cui ſpecie artis frequens erat ſecretis, precibus ductus, Druſo coniugi venenum propinauit. Hem! quis valeat muliebribus illecebris obſiſtere? quis illæſus cupidinis ab ignẽ euadat? quis infractus à pulchritudinis philtro recedat? aut quis tandem a veneris poppiſmate ſurdus erat? An non ergo & Hippocrates, vt mortalis homo excuſari debet? Interim perpende verbum; *Mulieris nobis familiaris famula*: quænam iſthæc familiaritas, amicitiæ, an conſuetudinis? Vir erat Hippocrates & ipſe, & vir Græcus (percipe petulantiam) agebat in humanis, colebatur tanquam Numen, domus vel Magnatum cum ingenti gloria frequentabat: mulierum arcana quotidie audiebat, illiſque intimè communicabat: quid plura? Famula Heroinæ erat pſaltria. Vah! quantum ad irretiendos animos virtutis obtineant cantus, nemo eſt, quem lateat: Nil magis effœminat animum, & vel ferreas emollit mentes, quàm cantus erotici, & puellarum harmonicę voces, vt pleniùs in Geneathropeia diximus. Si veri Numinis cultores Dauid, & Salomon Prophetæ, & Reges voluptatum illicijs paruere, quid mirum, ſi gentilitatis tenebris obrutus Hippocrates aliquanto ab æquitatis tramite deſciuerit, & in gratiam mulieris animum tantiſper flexerit, licet alioquin quantum naturæ conditio, & eiuſdem legis lumen, atque philoſophiæ ſtudium dedere, vitam tranſigeret irreprehenſibilem, ſoloque rationis dictato à vitijs abhorreret, & innatã nequitiã virtute edomaret; innatam dixi nequitiã, quoniam Hippocrates ad libidinẽ pronus genialiter

erat, quam tamen continentię robore infrænabat; quare cùm is aliquando à Philemone ex obtutu libidinosus iudicaretur, cęteris omnibus, qui eius nouerant pudicitiam reclamantibus, ingenuè professus est Hippocrates, se stimulis quidem petulantię agi, rationis tamen lumine cupidinum extinguere flammas, naturæque impetus virtute coërcere. Sed moraliter hæc, excusantque potius, quàm defendant reum. Tanti viri defensione est opus.

Dicatur ergo, & omnis culpę expers statim absoluetur Hippocrates, librum de Natura pueri illius genuinum non esse, quod & Galenus testatur. Id si verum est, falso crimine, & iniuria senex compellitur.

An dicet quis, iureiurando pollicitum fuisse Hippocratem, se mulieri pessum corruptorium non daturum, non ergo periurum esse, quia verè nullum dedit pessarium, sed exilire duntaxat psaltricem septies iussit, vnde conceptum affluxit semen.

Rursus fieri potest, vt id consilij precibus, non pretio coactus daret antequàm Areopagum suum aperiret, vllosque sub disciplina discipulos exciperet, ac docere inciperet. Ita studiorum Almæ Vrbis Professores, & quotquot candidati scientiarum lauream sunt adepturi, ante omnia fidei professionem faciunt, eaque omnia solemni ritu pollicentur, quæ à Præceptoribus postulantur, atque in commune beneficium à maioribus sancita fuerunt.

Denique vt non solum crimine, sed omnis criminis suspicione carea Hippocrates, asseratis, il um in iure iurando verum, & legitimum abortum damnare (ἐκτρωσμός Græcis dicitur) qui scilicet fœtus est iam figurati, suisque omnibus lineamentis perfecti, atque animati corruptio; quo modo abortus naturali, ac diuinæ legi repugnat, ideòque letalis culpa. In libro verò de natura pueri sex tantummodo dierum genituram excludi curauit, quo tempore embryon non modo carebat vita, & anima, sed nullis adhuc distinguebatur organis, nec nisi fœdam sanguinis guttam redolebat; quo modo propriè abortus dici nequit, sed potius seminis effluxio (ἔκτρωσις Græcis dicitur) qualis à concubitu sponte sua solet frequentissimè accidere; differunt enim ἐκτρωσμός, & ἔκτρωσις, est namque ἔκτρωσις abortio illa, quæ intra diem septimũ contingit, ἐκτρωσμός autem est ille abortus, qui ad diem vsque quadragesimum fit; & propterea ἐκτρωσμός est vera abortio, ἔκτρωσις potius effluxio dici debet; quam sanè doctrinam 7. de histor. animal. cap. 3. ex Aristotele his verbis exaratam habemus; *Effluxiones vocantur, quæ intra septimum diem corruptiones incidunt, abortiones autem, quæ*

intra

intra quadragesimum. sed quid Aristotelem refero, si apud nostrum Hippocratem luculentiùs idipsum legitur lib. de septimestri partu, vbi hæc habet? *Dies quidem igitur maximè insignes in plurimis sunt primi, & septimi multum potentes in morbis, & multum in fœtibus, nam plurimi abortus in his diebus fiunt, nominantur autem tales effluxus, non abortus*. Sed hæc alibi pleniùs.

ANTIPHΩNIA VI.

Vulneratis summa inedia an sit præscribenda.

THESIS.

Libro de Affectionibus num. 37. apertis verbis legere est, *Vulneratos fame affligito*; Et id sanè rationi consonat, quippe ab inedia sanguinis inhibetur affluxus, qui calamitosas hæmorrhagias non tarò parit, & quod magis est, vulnus ab inflammatione, quæ nimium curationi officit, vindicatur.

ANTITHESIS.

Atqui 6. epidemiorum sectione 5. oppositum his verbis exaratur: *In vulneribus sanguis concurit, opitulandum igitur, vt vacuum impleatur*. Porrò vacuum non nisi vberiori alimento repleri poterit; haud ergo vulneratos, fas erit affligere fame; Adde, quòd cùm in vulneribus sanguinis, spirituumque dispersio fiat, vnde corpus refrigerari contingit, par est, calorem refoueri cibo dapsili, alioquin ægriùs illa sanescent.

SYNCATATHESIS.

Fame vulneratos affligere, & vacuum in tromate implere, tantum abest, vt opponantur, vt conueniant potiùs, & simul consocientur; quandoquidem vacuum in vulnere etiam ab inedia repleri potest, quod ita ex Mattiano, ne tantum virum suo defraudem honore, proprijs verbis expressum velim: *quia igitur ad partem tromate læsam sanguis concurrit, vt hic fluxus inhibeatur, opitulandum esse*, ait *Hippocrates*, *vt vacuum impleatur. Quo quidem dicendi modo omnia ea præsidia comprehendit, quibus humorum fluxus à vulnerata parte prohibetur, hæc autē duplicis sunt generis. Alia enim partem ipsam affectam respiciunt, & hæc sunt deligationes,*

tiones, medicamentaque astringentia, quæ vulneribus circumponuntur, quæ ea ratione sanguinis fluxum prohibent, quatenus constringẽdo partem ipsam, vacuum omne in ea existens quodammodo explent, ita vt humor eò ferri non possit. Alia totum corpus respiciunt, comprehenduntque ea euacuationum genera, quæ fluxionem à læsa parte prohibere possunt siue sit sanguinis missio, siue purgatio, siue inedia, quæ pariter ea ratione id præstant, quia toto corpore euacuato, aut partibus affectæ particulæ proximioribus, vt vacuam illud expleatur, humores eò confluunt; vnde ad partem affectam non feruntur.

ANTIPHΩNIA VII.

Vlcera an sint humectanda vino.

THESIS.

Libro de Vlceribus textu primo hæc Magister habet: *Vlcera vniuersa nisi vino humectare non oportet, si non in articulo fuerit vlcus.* Confirmat clariùs libro de humidorum vsu num. 9. vbi sic. *Vinum dulce ad diuturna vulnera commodum est assiduè vtenti.*

Ratio est in promptu, nam cùm in omnibus vlceribus primarius scopus sit exiccandi, humectantia reijciuntur meritò: vinum tamen, vt quòd calefaciendi, & exiccandi potentiam obtinet, haud prorsus reijcitur. Excipit autem Hippocrates articulum, quoniã cùm frigidissimus ille sit, atque humidissimus, vinum impar erit præsidium ad eam partem calefaciendam, & exiccandam, vt quæ validiorem exigat virtutem.

ANTITHESIS.

At libro de capitis vulneribus textu 18. sic sibi opponitur: *Vlcus in capite nullo humore humectare conuenit, ac ne vino quidem, neque cataplasmate integere, neque linimento curationem facere.*

Probari autem, & suaderi ex eo id potest, quòd capitis vlceribus,

ribus, vt quæ maiorem, quàm alia exiccationem postulent, vinum plenè satisfacere nequeat, ideòque tanquam inutile, aut inefficax reijci debeat.

SYNCATATHESIS.

NVlla est in his sententijs contradictio, ac dissonantia. Libro enim de vlceribus generica quadam pragmatia docet, vlcera vniuersa, nisi vino, humectanda non esse, dum autem vniuersa dicit, non omnia prorsus intelligit; sed pleraque; Nam verè in plerisque corporis partibus vlcera si contingant, vino irrorare fas erit. At quoniam non leuis indicatio est illa, quæ in morbis ab affecta parte desumitur, & nulla est adeò firma, & catholica regula, quæ exceptionem non patiatur aliquam, iccircò Hippocrates libro de capitis vulneribus ad ipsius capitis temperamentum apprimè frigidum, humidumque respiciens, & animaduertens insuper, vinum haudquaquam posse & calorem fouere, & humiditatem eiusdem absumere, vinũ quoque refellit, vt quod actuali frigiditate, & humiditate amplius lędere possit.

ANTIPHΩNIA VIII.

Vesicæ discissio, ac vulneratio an sit letalis.

THESIS.

SExto aphorismorum 18. vesicæ discissionem letalem esse, Magister enunciauit: sunt hæc verba: *Vesicam dissectam habenti, aut cerebrum, aut cor, aut septũ transuersum, aut tenue aliquod intestinum, aut ventriculum, aut hepar letale est*. Confirmat primo de morbis num. 7. vbi sic: *Neruus præcisus, ac dissectus non coalescit, neque vesica, neque aliquod ex tenuibus intestinis, &c.* Et in eodem hoc libro numero tertio luculentiùs adhuc rem his verbis definiuit: *Moritur autem, si quis cerebro sauciatus fuerit, aut spinali medulla, aut hepate, aut præcordijs, siue septo transuerso, aut vesica.*

Sententiæ ratio illa vna esse potest, quòd nimirum discissus, dissectusque neruus coalescere non possit, vesica autem neruosi generis existat; quod & Aristoteles 3. de histor. animaliùm cap. 8. ab Hippocrate edoctus edixerat. Adde his, quòd letalis audit vesicæ dissectio, aut vulneratio, quoniam conuulsionem infert.

ANTITHESIS.

SEcundo Prædictionum oppositum his verbis registratur, *vulnera magis letalia sunt, quæ in venas crassas in collo, ac inguinibus infliguntur: deinde quæ in cerebrum, & in hepar: postea quæ in intestinum, & vesicam: sunt autem hæc omnia perniciosa valde, non tamen ita, vt nemo ex his euadat, velut putatur, &c.*

Huius quoque dictati rationem statim appingens Hippocrates subit hæc: *Nam & loci, qui hæc nomina habent, multum inter se differunt, & ijdem morbi: multum etiam differt corporis ipsius hominis structura; aliquando enim neque febricitat, neque inflammatur saucìatus; aliquando etiam citra causam febricitat, & aliqua corporis pars omnino inflammatur.* Quibus nimirum verbis Præceptor annuit, haud semper letalia earum partium vulnera contingere, vel ob vegetam ipsarum facultatem, vel ob ipsius vulneris meliorem conditionem, aut etiam ob totius corporis præclaram temperiem, cuius gratia procul arceantur praua symptomata, vt pote febris, inflammatio, corruptio. Experimentum in dies rationem subfulcit; siquidem non raró partium earundem vulnera sanata esse conspicimus, vt plenam quoque fidem faciunt nostri polyhistores Medici Forestus, Sennertus, Guillelmus Fabritius, & alij.

SYNCATATHESIS.

IN aphorismis, & libro de morbis id quod frequentiùs; in Prædictionibus id quod rariùs contingit, Pręceptor decernit, quod palam colligere est ex verbis illis: *Sunt autem hæc omnia perniciosa valde, non tamen ita, vt nemo ex his euadat.* Porrò & ipse Aristoteles præcitato libro fatetur, vulneratam vesicam consolidatam aliquando fuisse. Rursus vesicæ vulnus vel in collo, vel in eius substantia inflictum erit: in collo nequaquam letale; in substantia plerunque, ac ferè semper erit. Quòd in vesicæ collo discissio non sit funesta, ex sectione, ac discissione, quam ad lapidem euellendum lithotomi quotidie agunt, manifestè

festè liquet. Adde his quòd discissionis nomine apud Hippocratem in aphorismis, ac primo de morbis intelligitur summa dilaceratio, quam sequitur necessariò conuulsio, & inflammatio; vulnerationis verò nomine in Prædictionibus minor offensa indigitatur. Demum corollidis loco appingam, quod alias declarauimus, nempe vocem hanc, *letale*, apud Hippocratem non desperatam salutem, sed graue periculum plerunque indicare; ita 2. aphorism. *Si somnus laborem fecerit, letale*: hoc est periculosum.

ANTIPHΩNIA IX.

An liceat Medico suæ Artis ostentationem facere.

THESIS.

MEdicorum Legislator nihil vsquam præterijt, quod ad eorum instructionem, & maiestatem pertinere posset; vnde post iusiurandum, & leges, honestum etiam, ac decentem ornatum ascribere voluit: libello ergo de decenti ornatu numero septimo, vbi indumentorum rationem proposuit, addit hæc: *Neque cum imperitis multa fabuletur, sed necessaria.*

Enim verò officij, & personæ maiestatem dedecet more agyrtarum suam venditare scientiam: sesquipedalia, & ampullosa iactare verba: cum mulierculis, & ignaris disceptationes inire alieno idiomate: per compita, ac plateas tumidè ambulare, ac propria enarrare opera, seu miracula. Vel fortè monet hoc præceptum, ne Medicus omnibus fiat obuiam, cunctis etiam è vili plebecula viris associetur, cum quibus inanes habeat sermones, vnde contemptus, ac nulla professoris existimatio ex nimia consuetudine oriri solet. Porrò Hippocratis etiam sæculo extitere, vt arbitror, triobolares huiusmodi Medici loquaces, amusi, amethodi, magis murmure, quàm opera efficaces, auro magis, quàm gloriæ inhiantes.

An fortè hic etiam insimulantur omniscij quidam scioli, qui ad ægrotos cùm perueniunt quæcunque libentiùs obstrepunt, quàm

ea quæ ad ægrotantem pertinent, & inter hos politici nonnulli videri cupiunt; vnde statim de bello Gallico, de Cæsareorum victoria, de Turcarum classibus, Romanæque aulæ arcanis sermonem ineunt, Taciti sententiam aliquam effutientes: Alij quidam vt sapientiæ decus ostendant, illico philacterias dilatant, latinè vel cum mulierculis obloquentes: Fuit quidam non omnino ἄμουσος, qui integros græcos textus mulieribus recitabat. Alij cùm primùm ægrotantem adiuerint, statim proprias laudes accinunt, suasque curationes, ac veluti miracula decantant, inflatisque buccis prædicant, se hos, & illos à cunctis alijs deploratos saluti, ac vitæ restituisse, alios diuturnis morbis afflictatos ope sua breui conualuisse: huic dolores atrocissimos, epilepticos insultus alteri curasse, & hoc modo miseros ægrotantes, ac domesticos assidentes fallunt, & vana spe decipiunt. Necessaria tantum obloqui Medicus debet, vt Hippocrates, & brachilogia potius, quàm battologia vti. An non huc bellè facit illud Hippocratis primo de Diæta num. 19. *Ostentatio sermocinans multorum, ac vulgi est*; & subiungit: *multi mirantur, pauci cognoscunt*. Cæterùm id verò verius est, quòd quando Medici cum imperitis fabulantur, deque rebus externis verba faciunt, rerum, quæ ad ægrotantes attinent, obliuiscuntur, & morbi ideam, curationisque scopos, vt mens nostra facilè distrahitur, amittunt.

ANTITHESIS.

IN libro verò de Præceptionibus φιλοδοξίαν, hoc est amorē gloriæ non contemnens aliter sentit, aliterque monet his verbis: *Si verò etiam vulgi gratia velis dissertationem ad audiendum te facere, non valde gloriosè id captes*. Confirmat 6. Epidem. sect. 8. ijs verbis ex Vallesio: *Verbis, silentio ducere, quæ vult, verbis, quibus dicit siue magni, siue multi, veri, aut conficti*. Annuit ergo, Medicum λογοδαίδαλον fieri, vt vulgi captet opinionem, quòd non nisi ex καλλιγραφία, idest sermonis venustate scientiam aucupari solet. Nimirum non omnes sapientiæ fulgorem dijudicare valent. Plerique ex externis, & manifestis duntaxat intima, & occulta comprehendunt. *Loquere, vt te noscam*, dixerat Philosophus ille magnus; quippe sermo est imago animi. Id autem tunc maximè agēdum erit, cùm βαττόλογος aliquis, quamuis ἄμουσος, & ἀμέθοδος fimbrias dilatat; tunc enim turpe est silere, & aliū pati loqui, vt Archisophos ille aiebat.

Porrò

Porrò necessariũ videtur, vt vulgi gratia Medici aliquando sciētiam ostentent, seque ipsos magnificent; siquidem qui curari debent, nō omnes sunt aut Sapientes, aut Principes: sed omnis fariné homines medicos accersunt, quibus imperiti, & plebei si sint breuiloqui, minus fidei præstant, & cùm nequeant Medici cum his, eo quòd non intelligant, appositè ratiocinari, debent saltem propriam virtutem extollere, atque suorum facinorum encomia facere: Hinc enim docilior, & obtemperatior redditur æger. Vulgus haud quaquam diligit, veneraturque Medicos, qui nihil loquũtur; sed libenter alloquentem audit, & ex loquela interdum, disertoque sermone illorum præstantiam aucupatur. An non videtis in plateis agyrtas, & circumforaneos, qui longis diplomatibus expansis, suis miraculis decantatis, credulum decipiunt vulgus, eiusque crumenas emungunt? Qui altiùs, ac facundiùs obloquũtur, illi maius lucrum referunt; In medicis quoque consultationibus illi doctiores censeri solent, qui prolixiùs, & altiori voce obstrepunt.

SYNCATATHESIS.

FAcilè pugnantes textus conciliantur, si dicamus, Hippocratem libro de decenti ornatu damnare in Medico suo procacitatem, & confabulationes (obseruanda enim vox illa, *fabuletur*) quasi mimum plebis, & scurram agat; dedecet namque virum penè diuinum cum vulgo insano ludicra habere, & vel comessatiunculas exercere, Vtinam & nostro seculo id genus lurcones non essent, aliorum aucupantes mensas. Non omnino tamen Senex damnat, si quis ad scientiam suam propalandam, absque iactantia tamen, & fastu, dissertationes palàm ineat, & sui notitiam præbeat: Quin operæpretium existimat, vt non modò cum sapientioribus, verùm vulgaribus quoque viris propriæ dignitatis gratia ratiocinetur. Nec erit ab re, si Medicus cum Principibus pręsertim viris extra medicinæ limites sermones habeat, & se eruditum ostendat: gregali namque medico, & oppidano sat est, si tantùm de vrina, & excrementis loqui sciat; at politiores, aulicique Medici oportunè vltrà medicinæ dogmata aliarũ quoque scientiarum specimen exhibere debent, & Magnates graui, ac iucundo acroamate subleuare, & animos pascere. Quin ægrotantibus omnibus medicus gratificari debet verbis, silentio, mendacio, & veritate, vt Vallesius in

com-

commentario relatæ superiùs sententiæ octauæ sectionis sexti Epidemiorum basilicè exarauit, cuius verba hìc registrare non grauabor: *Iubet Hippocrates, medicum loqui, & tacere ad gratiam ægrotantis, & dicere, quæ ille vult, & eis verbis, quibus ille dici velit, siue opus sit magna, siue submissa voce vti, siue multis dicere, siue narrare vera, siue aliquid fingere. Quid ergo? Num hæc scurrilitas est? Non certè. Non enim in assentationem, sed in vtilitatem debet hæc tendere. Neque enim dicendum est, quod ægroto obsit, & si placeat, sed quod ita placeat, vt etiam prosit, aut non obsit. Pertinet hæc sententia ad illam sectionis quartæ, qua dicebatur: Laborantibus gratiæ, introitus, sermones, & ad illam, quam nuper citauimus ex secunda sectione, qua dicitur, circa ægrotantem administratio, & de morbo interrogationes, quæ narrat, qualia, vt accipiendi sermones.*

ANTIPHΩNIA X.

Lepra, & impetigines fiant ne à pituita, an ab atra bile.

THESIS.

IN libro de affectionibus num. 35. Pręceptor statuerat, lepram, impetiginem, cęterosque huius census cutaneos affectus ab humore pituitoso ortum ducere: Verba sunt illa: *Lepra, & pruritus, & scabies, & impetigines, & vitiligo, & alopecia à pituita fiunt.*

Suaderi autem posse videtur dictatum ex eo, quòd squammosa illa phymata, quæ in lepra, & scabie apparent, non nisi à crassiori humore, qualis est pituita, excitari valeant, à pituita inquam, non simplici, & pura, sed salsa, vel corrupta, quomodo carnes corrumpit, exulcerat, & crustis inquinat.

AN-

ANTITHESIS.

CONtrà ad calcem secundi libri Prædictionum Dictator idē lepram, & impetiginem ab atra bile oriundas constituit; habet enim sic; *Fiunt leucæ quidem ex letalissimis morbis, qualis est & morbus tabidus appellatus; Lepræ verò, & impetigines ex morbis ab atra bile factis.* Subscripsit præter Galenum & Auicennas, qui 3.4.tract.3. cap. primo sic loquitur: *Lepra est morbus ortum habens ex bile atra per totum corpus sparsa.*

Consonat hic & ratio: Quippe cùm lepra, & impetigo (qui duo affectus idem sunt apud Celsum) non nisi secundum intensionē, & quandam squammositatem à scabie differant, ideòque Paulus Aeginas vno, eodemque capite de vtraque agat; quis ignorat, scabiei efficientem causam non aliam esse, nisi melancholicum, adustum, atque atrabilarem succum, adeò vt licet Auicennas septima quarti tract. 3. cap. 6. causam psoræ sanguinem bili admixtum statuerit, eam tamen bilis portionem in melancholiam conuersam fuisse, coactus fuerit asserere.

SYNCATATHESIS.

NIcolaus Rorarius hanc expendens contradictionem lepram, dixit, & impetiginem à pituita primariò, eiusque salsedine ortum ducere, cùm autem salmacida huiusmodi qualitas ad eum intensionis gradum deuenire valeat, vt prorsus exiccet, aduratque humorem, atque adeò in atram bilem degeneret, putat ideò, lepram secundariò ab atra bile excitari posse, quòd idem est, ac dicere à pituita exiccata, & adusta. Verum enimuerò isthæc paragoge multis, & Auicennæ in primis non probatur, qui atram bilem à pituita immediatè produci posse, palàm inficiatur.

Dicamus ergo, à pituita quatenus atræbilis noxias vires, & qualitates æmulatur lepram, & impetiginem oriri posse: vsque adeò enim salsedo, & mordacitas in pituita ab insigni corruptione excitari potest, vt nihil à qualitatibus atræ bilis, quæ vel terrā acredine fermentat, differat; qua ratione dictum putes ab Hippocrate libro eodem de affectionibus, furunculum, & carbunculum à pituita fieri, quod absurdum, ne dum paradoxon prima facie alicui videri posset. Adde, quòd Hippocrates non ait, leprā,

&im-

& impetiginem ab atra bile exoriri, sed *ex morbis ab atra bile factis*; quod non parum differt. Nempe in morbis à melancholia, & atrabile oriundis magna pituitosi, serosiq; humoris colluuies aggeneratur, qui acredinem nactus cutem inficit, labefactat, atque exœdit: sic videre est, post quartanam in primis rebellem, scabiem, & quasi impetiginem plerunque superuenire.

Dicas demum, nullibi πλασόλογον fuisse Hippocratem, quando affectus huiusmodi æquè ab atra bile, atque à pituita manare possunt, immo & ab omnibus alijs humoribus, ita tamen, vt crassioris pituitæ dominium aliquod adsit; Id nimirum ex eodem Hippocrate libro illo de affectionibus præcitato aucupari fas erit, qui postquàm dixerat, lepram, & impetiginem à pituita fieri, hosce affectus curaturus hæc subiungit: *Quò verò hæc depurges, pharmacis sic vtendum est. Quicunque biliosi sunt, his dato ea, à quibus bilis purgatur; pituitosis verò ea, à quibus pituita: atrabilarijs autem ea, à quibus atrabilis: hydropicis ea, per quæ aqua*. Quibus verbis manifestè annuit, humores omnes, etiam aquam hydropicorum, vbi summam acredinem, ac mordacitatem adepti fuerint, lepram, scabiem, impetiginem, & congeneos affectus inurere posse; quò collimat aphorismus ille insignis: *Vlcera hydropicorum vix, imò ne vix curantur*.

ANTIPHΩNIA XI.

An Medicus cum ægrotantibus de mercede conuenire debeat.

THESIS.

Libro de decenti ornatu num. 5. Princeps noster inter alias dotes, quibus medicus insigniri debeat, auri contemptum recenset: sic ille: *Nam omnia, quæ ad sapientiam requiruntur, insunt in medicina; argenti contemptus, reuerentia, &c.*

Præclarum hoc sancitum, ne verbis facta dissonarent, operibus confirmauit ipse primus, quando ingenti auri cumulo oblato ab Artaxerse accersitus opes renuit, argentumque despexit; audia-

diamus ipsum in Laconica illa epistola ad Demetrium. *Persarum Rex nos accersiuit ignarus, quòd apud me maior est sapientiæ ratio, quàm auri*. Sic & in iure iurando auaritiam abiurans, se ab omni corruptione alienum fore, testatur.

Et sanè nullum in Medicos turpius crimen incidere potest, quàm lucri cupiditas, & sordida auaritia, ob quam curationes negligunt, ægrotos, si minùs diuites, aut liberales fuerint, floccipendunt, & omnino pietatem Medicinæ vnam clamidem exuunt. Nempe, vt Numina vitam, salutemque gratis impertiuntur; ita & medici Dijs compares, teste Hippocrate, nullo pretio ægrotis medicinam facere deberent: tametsi illorum partes postea essent, ne ingrati audirēt, liberali manu labores, & salutem rependere. Et hic erubescāt medici, seu mendici potius illi expilatores, qui semper ab ægrotantibus aliquid petere, imo carpere student, quique domos cùm ingrediuntur (minor cura ægroti salus) statim oculos in supellectilem dirigunt, auidè intuentur, & admirantur, laudantque enixius hoc, & illud, vt fortè oblatum excipiant: quin & sordidi adeò reperiuntur (noui ego nonnullos) vt non vereantur brassicas, lentes, placentas, castaneas, allia, & adhuc viliora postulare, vel vt meliùs dicam, harpagare. Medicus fuit, qui ægrè ab ægri domo absque munusculo aliquo discedebat, quin postrema verba vulgaris illius dictati: *Oportet, medicum esse fortunatum, & natura prudentem*, vertebat, *natura petentem*. Abeant in malam crucem Artis huiusmodi retrimenta sordida: Medici nomine, nedum dignitate priuentur, digni, qui è domibus, Castris, ac Ciuitatibus baculo dispellantur: En quanta in ægrotis calamitas ab auri sacra fame, quantum dedecus in Medico, ideoque iure in eo Hippocrates argenti contemptum tanquam virtutum summam desiderat.

ANTITHESIS.

AVdiamus eundem libro de Præceptionibus apertis fidibus admonentem Medicos, vt curationis initia à mercede exordiantur; en verba numero 4. *Si enim à mercede inceperis, conducit enim hoc vniuerso negotio, ægroto quidem huiusmodi cogitationem inducis, quòd non ipso relicto abibis. Si verò non pacisceris, quòd ipsum negliges, & de quibusdam in rem præsentem non admonebis. Curare igitur oportet de constituenda mercede, &c.*

Rationes autem huius dictati non aliæ ferè esse possunt, quàm

quæ

quæ ab Hippocrate ipso adductæ fuerunt. Neque propterea auaritiæ insinulari Medicus debet, quandoquidem si omnis labor præmium optat, maximum expetit, ac meretur ille, qui humanę saluti reparandæ, ac vitæ propagandæ impenditur; vt enim Soranus Ephesius in isagagoge ad artem medicam aiebat: *Mercedes si quidem dentur, accipiantur, & non recusentur; si autem non dentur, non exigantur, quia quantum quisque dederit non potest vlla exæquare mercede beneficium Medicinæ*. Et sane sarctam, tutamque valetudinem, vitalemque auram reparatam nullum vel magnificum donum, nulla argenti, auriue copia compensare valet: etenim pereunti cuncta fortunæ bona occidunt, nullumque vsum, aut iucunditatem præstare ampliùs possunt; adeò vt Reges in extremo vitæ periculo constituti vitam pollicenti dimidium Regni, nedū opes immensas dono darent. Sic Philippus ille Macedo Magni Alexandri Pater, cùm ob clauiculæ luxationem malè haberet, & subinde Medicus mercedis aliquid postularet, respondit illico; *accipe omnia, quæ voles, quandoquidem clarum habes*. Sic Persarum ille opulentissimus Rex Artaxerses Hellespōti Præfecto scripserat, vt quocunque prætio Hippocratem ad se mitteret. hæc sunt epistolæ verba: *Hippocratis Medici Coi ab Aesculapio originem ducentis gloria artis etiam ad me peruenit: dato igitur ipsi aurum quantum voluerit, & reliqua abundè quibus opus habet, & ipsum ad nos mittito, nam optimatibus Persarum æqualis erit*: Longum foret amplissimas Medicorum mercedes, atque summa stipendia hìc referre. Erasistratus, Antiocho Rege sanato, à Ptolomeo eius filio sexaginta mille aureorū dono habuit. Ludouicus Vndecimus Galliæ Rex Iacobo Cocterio Medico decem aureorum millia singulis mensibus stipendium dabat. Magnus Mogorus Medico suo præter amplissimos honores centum millia coronatorum annuatim assignauit. Si placeat, Rodericum à Castro 3. libro sui Medici Politici videas.

Quinimò & ipsi valetudinario nullā prorsus voluptatem afferre queunt opulentiæ, thesauri, fortunæ quecunque commoda; siquidem vt ille de Igia canebat:

Absente te cuncta sunt dura, & aspera,
Nec grata prorsus cætera est fælicitas. Non malè ergo à mercede curationem exordietur Medicus.

SYN-

SYNCATATHESIS.

RODERICUS à Castro solidioris, ac simul politioris doctrinæ Vir in suo Medico Politico cap. 21. monitum illud in præceptionibus exaratum, *à mercede incipias*, sic explicat; nempe Hippocratem Medicos illos de constituenda mercede admonere, qui à Principe aliquo, seu Republica ad conditionem aliquam aduocantur, aut eos, qui in alienam Vrbem, vt ibi Medicinam exerceant (conducti vulgò dicuntur) proficiscuntur. Quod sanè ex verbis illis palàm colligi videtur: *Cognitionem induces, quòd non ipso relicto abibis*. Etenim cùm ij extra patriam in alieno solo degere debeant, vtique de honorario conuenire debent, ac pacisci mercedem, quæ si fuerit ampla, onus libenter excipiunt, ac medẽdi prouinciã subeunt. Placet nimirũ Roderici conciliatio.

Addam ego, nullam prorsus esse in his sententijs antilogiam, siquidem potest Medicus mercedem pacisci, absque auaritia tamen, ita vt aurum accipiat quidem, animo tamen contemnat potius. Nempe celebriores Medici eatenus honorarium conspicuum, & magnificum optant, quatenus id eorum existimationem auget, & venerationi addit; flocci penduntur enim Medici illi, qui minori precio operam impendunt. Quid multa? Fas est postulare mercedem, ita tamen, vt non sit illa Medici finis, qui vnica ægrotantis salus esse debet, in quam velis, remisque contendat.

ANTIPHΩNIA XII.

Foetus intra vterum quem situm habeat.

THESIS.

LIbro de natura pueri numero 35. decernit Hippocrates, ita situm esse puellum in vtero, vt pedibus finitimum caput habeat: verba sunt: *Cæterùm puer in vteris existens manus apud genas habet* (legunt alij ad genua, & vtraque lectio probatur Andreę Laurentio) *caput autem prope pedes, & non datur probè, ac rectè cognoscere, etiam si puerum in vtero videas, vtrũ caput sursum habeat, an deorsum.*

Dictatum pro ratione euidentiam habet, quandoquidem non rarò secto vtero fœtus in eo situ conspectus fuit.

ANTITHESIS.

ATqui libello de octimestri partu numero 2. aliter sentiens statuit, fœtus omnes caput sursum habere: sic ille: *Gignuntur enim omnes sursum habentes caput.* quid clarius? Et videtur quoque rationi consonum, vt etiam intra vterum membra suum situm, & locum obtineant, cùm ergo caput in sublimi locari debuisset, iuxta illud Vatis:

Pronaque cùm spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cælumque tueri;

sublime etiam vel intra vterum gestari debet.

SYNCATATHESIS.

SEntentiarum è diametro pugnãtium vnum Aristotelem cõciliatorem afferam; sic ergo ille 7. de historia animalium capite 8. *Omnibus animalibus caput primis mensibus superius est, sed cùm creuerint, exitumque appetiuerint, deorsum deducitur.* Quare Hippocrates libro de natura pueri hunc descripsit iam perfectum, & absolutum, necnon ad exitum paratum; quo tempore caput eo modo ad pedes decliue refert; ita tamen, vt non sit planum

num distinguere, vt ipse ait, *vtrum caput sursum habeat, an deorsum*; quamobrem res versatur in ancipiti, atque adeò sermo non potest dici contradictorius: libro verò de octimestri partu eiusdem generationem, ac primæuam situationem respexit; quod manifestè liquet ex verbis illis: *gignuntur omnes caput sursum habentes*: Nempe in generationis liturgia cõsonum est, vt natura preposterọ non vtatur ordine, sed singulis partibus suos locos, suosque situs ascribat; capiti supremam regionem, cordi medioximam, pedibus infimam.

Doctrinam hanc Iacobi Rueffi chirurgi olim egregij auctoritate firmatam volo: sic ergo primo libro de conceptu, & generatione hominis: *Sub partus autem tempore facie versus genua propendet, vtraque crura attrahit, ambas supra genua manus abijcit, naribus in medio positis, in globi modum conuolutus anteriori parte tergum matris respiciens, posteriorem verò ventris matris obuertens.*

ANTIPHΩNIA XIII.

Siue meliùs

APPENDIX.

In qua Hippocratis quædam symbola potius, quàm antiphωna recensentur.

LIbello de alimento, qui totus videtur enigmaicus, quædam leguntur apud Hippocratem, quæ symbola potius, quàm antiphωna censeri debent, cùm eiusmodi sententiæ statim ἀντίθετον, seu contrapositionem habeant, quarum præcipuæ sunt illæ: *Potentia alimenti melior, quàm moles: Moles alimenti melior, quàm potentia. Humidum alimentum magis facilè transmutatur, quàm siccum: Siccum alimentum faciliùs transmutatur, quàm humidum*; sic numero vndecimo. Rursus antea numero nono. *Sanguis alienus vtilis: Sanguis proprius vtilis. Sanguis alienus nociuus: Sanguis proprius nociuus. Humores proprij nociui: Humores alieni nociui. Humores alieni conducibiles: Humores proprij conducibiles. Consonans dissonans est: Dissonans consonans est. Lac alie-*

num bonum : Lac proprium nociuum . Lac alienum nociuum, lac proprium commodum . Symbolorum huiusmodi elucidationem qui cupit, Stephanum Rodericum Castrensem adeat in Cōmentario ad Hippocratis libellum de alimento: nos enim alto silentio præterimus, quod extra nostrum institutum arbitramur . Et hìc totius libri finis esto .

INDEX
RERVM MEMORABILIVM,
Quæ in toto Opere continentur.

P. Paginam. A V. Versiculum notat.

B

C

Con-

G

Gur-

Hydro-

L

Lac

M

N

Pe-

Q

R

San-

res:

Spu-

Va-

V

Victus

Vlce-

F I N I S.

AVCTOR
Lectori Beneuolo.

QVisquis nostra hæc Antiphωna legis, compertum id habeas, quòd nemo potest, lynceis licet oculis vtatur, sũmamque diligentiam, atque industriam adhibeat, typographorum errores euitare. Porrò fortunatus ille censeri poterit, qui non quidem nulla, sed pauciora, atque minùs grauia in suis operibus errata referet à prælo. Quare nostrorum quoque menda librorum, quæ correctione signantur, vt æquè feras, iterum, atque iterum rogamus: sunt autem hæc præcipua, quæ sequenti pagina delineantur.

ERRATA.

	Errata.	Correctio.
Pag.26. v.23.	culpi	culpis
pag.28. v.11.	cordis	cordis
pag.29. v. 5.	ques	quis
pag.32. v. 7.	caliſſimi	calidiſſimi
pag.35. v. 4.	caliditat	caliditate
pag.59. v. 4.	mulieribus	muliebribus
pag.67. v. 1.	immedlatè	immediate
pag.69. v.9.	πλέυμα	πνέυμα
pag.69. v.32.	veuæ	venæ
pag.81. v. 1.	ęgimus	egimus
pag.81. v.27.	pusri	pueri
pag.84. v.26.	altis	alijs
pag.93. v.11.	cx	ex
pag.93. v.18.	conuuiſionem	conuulſionem
pag.94. v.50.	paræmiam	parœmiam
pag.94. v.24.	cœlo	cælo
pag.97. v.11.	catartico	cathartico
pag.97. v.3.	deliuerauerit	delirauerit
pag.99. v. 7.	diarrhæam	diarrhœam
pag.99. v.19.	nam ;	; nam
pag.100. v.34.	vriuis	vrinis
pag.101. v.14.	diarrhæa	diarrhœa
pag.101. v. 8.	febrihus	febribus
pag.108. v.12.	ibdurat	obdurat
pag.109. v.21.	diarrhæa, perirrhæa	diarrhœa, perirhœa,
pag.112. v.15.	ſeptimu,s	ſeptimus,
pag.113. v.37.	æſtue	æſtu
pag.114. v.28.	poſtillam	poſt illam
pag.115. v.22.	Næc	Nec
pag.116. v. 2.	nuę	quæ
pag.116. v. 3.	veqas	venas
pag.120. v.31.	Pleiadem	Pleiadum
pag.122. v.19.	effœctum	effœtum
pag.125. v. 5.	biliis	bilis
pag.133. v.24.	ſuperfœctauit	ſuperfœtauit
pag.134. v.19.	ἐρλωεια	ἑρμηνεία
pag.134. v.10.	contrè	contrà
pag.135. v.32.	quatuorpręter,	quatuor, præter
pag.141. v. 4.	iuxta rationum	iuxta rationem
pag.149. v.21.	velis	velit.
pag.154. v. 9.	antem	autem.
pag.155. v.16.	reſtituti	reſtituti.
pag.157. v.29.	nclinent	inclinent
pag.158. v. 7.	ἀνάῤῥοπι	ἀνάῤῥοποι
pag.159. v.30.	eſſ;e	eſſe ;
pag.176. v.11.	& hallucinatio	adde indicant
pag.178. v.19.	coriphœus	coryphæus
pag.218. v.22.	mulieri ac remotri.	mulceri, ac remoueri
pag.220. v.24.	exculentis.	eſculentis.

	Errata.	Correctio.
pag.222. v.39.	eſt	&
pag.223. v. 9.	diem	dies
pag.225. v.18.	rubicondior	rubicundior.
pag.227. v. 4.	iniatus	initiatus
pag.230. v.31.	nulltm	nullam
pag.230. v.33.	tereis	terreis
pag.232. v. 9.	poſeſt	poteſt
pag.237. v.15.	bradipſia	bradipepſia
pag.240. v.11.	xiſtit	exiſtit
pag.240. v.	tenurs	tenues
pag.251. v.20.	reficere nihil	adde eſt
pag.252. v.12.	cacoſtomacum.	cacoſtomachum.
pag.254. v.22.	non in vno	non vno
pag.258. v.24.	antithton	antitheton
pag.262. v. 6.	Sabina	ſabinum
pag.269. v.11.	anaphyſma	anaphyſima.
pag.277. v. 5.	cholceica	cholerica.
pag.277. v.32.	flux	fluxu
pag.278. v. 5.	Ariſtotiles.	Ariſtoteles
pag.278. v.16.	fic	ſic
pag.278. v.18.	acidet	accidet
pag.281. v.29.	iudicatu	iudicata
pag.287. v.16.	conquoqueret.	concoqueret
pag.287. v.21.	conquoquit	concoquit
pag.290. v.17.	deiretoria	deiectoria
pag.293. v.34.	ærem	æs
pag.295. v. 1.	is	his
pag.295. v.17.	abre	labore
pag.296. v.19.	efunditur.	effunditur.
pag.297. v.28.	condiuuntur.	condiuntur
pag.298. v. 2.	catarcticas.	catharticas
pag.299. v. 9.	diſſentericas.	dyſentericas
pag.304. v.19.	ongelat	congelat
pag.307. v. 2.	caluum	aluum
pag.307. v.17.	tantnm	tantum
pag.307. v.30.	vomitum	vomere
pag.307. v.26.	exicat	exiccat
pag.310. v.19.	catarcticas.	catharticas.
pag.311. v. 5.	laobris	laboris
pag.311. v.12.	antumnum	autumnum
pag.313. v.20.	autunno	autumno.
pag.314. v. 3.	ſocietates.	ſiccitates
pag.322. v.15.	affluxit	effluxit
pag.328. v.29.	λογοδέδαλο	λογοδέδαλον
pag.334. v.8.	tutamque.	tectamque
pag.334. v.17.	clarum.	clauem.
pag.87.	Antiphonia XI.	inuenitur bis notata.
pag.129.	Antifonia	lege Antiphonia.
pag.132.	Antiphonia XXVIII.	lege XXVII.
pag.223.	Antiphonia XXVI.	lege XXVII.
pag.225.	Antiphonia XXVII.	lege XXVIII.

RE-

REGESTVM.

a A B C D E F G H I K L M N O P Q
R S T V X Y Z.
A a.

Omnes sunt duerniones, præter Aa, quæ est dimidium folium.

ROMÆ,
Ex Typographia Ludouici Grignani.
Anno Iubilei MDCL.

Superiorum permissu.